Digitized by Google

R-1655

Digitized by Google

P-11

FLC
17 584

123-9

Digitized by Google

Digitized by Google

ANNVÆ LITTERÆ SOCIETATIS IESV

ANNI CIↃ. IↃC. X.

2715
An 7
17584

AD PATRES ET FRATRES EIVSDEM SOCIETATIS.

BIBLIOTECA



Coll. Lovanii Soc. Jesu Bibliot.

DILINGÆ,

Apud Viduam Ioannis Mayer.

Digitized by Google

Digitized by Google

SYLLABVS PROVINCIARVM,

QVARVM

Annuæ res hoc libro reddúntur.

PROVINCIA

Sicilia.
Neapolitana.
Mediolanenſis.
Veneta,
Luſitania,
Toletana,
Sardinia,
Francia,
Aquitania,
Lugdunenſis,
Toloſana,
Prouincia Belgium,
ViceProuincia Belgium,
Auſtria,
Germania Superior,
Rhenana,
Polonia,
Lithuania,
Aragonia,
Bætica,
Peru,
Philippinæ Inſulæ,
Mexicum.

Digitized by Google



ATIS, puto, ſupérque anno proximè ſuperiori, in ipſo ſtatim Annuarum noſtrarum limine intellectum eſt, quàm egregio in B. Parentem noſtrum IGNATIVM, nõ Sicilia modò vniuerſa, ſed pleræq; omnes etiam aliarum, quamuis remotiſsimarum terrarum prouinciæ, tam huius quidem, quàm ſuperioris, aut ſequentis anni affectæ ſint: quàm magnificis honoribus, quantis ſumptibus quibus vocibus & religionibus eum diem exceperint, egerintque, qui primus tam præclarum virum, Auctore Summo Chriſtianorum in terris Capite, inter BEATOS collocauit: vti proinde nihil iam eorum ſub ſtylum reuocandum, aut repetendum videatur; quamuis nec pauca in eo genere, nec humilia paſſim vltro ſeſe ingerant, & velut ex itinere ſcribenti occurrant. Malo enim in his diuitijs videri parcus, quàm prodigus; cùm facilius à prudentibus veniam mei impetraturum ſperem, modeſtè ſilendo, quæ dici potuiſſent quàm narrando prolixiùs, quæ fileri. Quapropter relictis iſtis alijſque ſexcentis, quę frequentia ſua aures etiam patientes ferire ſolent, præſentem hunc annum CIↃ. IↃC. X. ingredior: eo fine, ijs legibus, quas mihi cum Maiorum volũtate principio præfixi. Et Siciliæ quidem, cuius litteræ anni præteriti ad manus noſtras non peruenerunt, hoc anno

(quod ratio ordinis ita depoſcat)

primas damus.

PRO-

Digitized by Google

PROVINCIA SICILIA.

Versati sunt hoc anno in Provincia Sicilia domicilijs tribus supra viginti Socij quingenti triginta duo. Octo morte amissi; totidem rursus & viginti in horum locum suffecti.

	Vniuersim.	Sacerdotes.	Præcept.	Scholast.	Adiutores.
Panormi in do. Prof. numerati.	LV.	XXVIII.			XXVII.
In Collegio ibidem.	CXIV.	XXIV.	IV.	XLIV.	XLII.
In Domo Prob. ibidem.		I.			IV.
Mamerti in domo Profes.	XLII.	XXII			XX.
In Collegio ibidem.	XL.	XL.	VI.	IX.	XIV.
In Collegio Catinensi.	XXX.	XVIII.	III.		IX.

Digitized by Google

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
Syracuſano.	XXIII.	IX.	IV.		X.
Drepanitano.	XIX.	XI.	III.		V.
Marſalenſi.	XV.	VI.	II.		VII.
in Dom. Prof. Platienſi.					
Colleg. Caltaieronenſi.	XXI.	IX.	II.		X.
Caltaneſſetenſi.	XXXII.	VI.	II.	XVII.	VII.
Minenſi.	XL.	X.	I.	XX.	IX.
Netino.	VIII.	III.	II.		III.
Bibonenſi.	XV.	VI.	II.		VII.
Xacenſi.					

Digitized by Google

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
Coll. Montis regalis.	XVII.	VII.	IV.	II.	IV.
Melitenſ.	XIV.	VI.	II.		VI.
Rhegino.	XVII.	VIII.	II.		VII.
Sede Chiâ.	VI.	IV.			II.
Monticanâ.					
Miſſ. Agrigentinâ.	III.	II.			I.

A magnis periculis exempti Noſtris operam ſuam conferentibus ſeptem.
Diſcordiæ grauiores ſedatæ octo.
Auxilia à B. P. N. Ignatio ſingularia præſtita decies quater.

DOMVS PROFESSA PANORMITANA, Mamertina, &c.

II.

QVINQVE de Nostris Panormitana Professorum domus extulit: Primum in funesto agmine P. Iulium Viti nonagenarium senem, natione Vbricensem, à B.P.N. pro socio agnitum. Qui cùm ob ætatem, & multa in Societatem merita, rude iam donatus esset, onereque tam officij Diuini recitandi, quàm sacri faciendi subleuatus, nihilo tamen se minùs accuratè sollicitéq; ad illa quotidiano examine parabat; ad Confessiones excipiendas, Catechesin tradendam, alia nostri instituti propria exercitia sese offerebat; ne otiũ scilicet venerandæ senectuti aliquam maculam conciliaret. Proximus hæsit P. Petrus Mersarinus Societatis nostræ insignis operarius, præsertim verò in docenda Grammatice infatigabilis, & pueris mirè vtilis. Tertius iuit P. Pompeius Luparinus feruenti charitate vir, corporis quidẽ ob ingrauescentem ætatem, sed animi viribus nun-

nunquam fractus. Quarto loco venit P. Ludouicus Manſonius Panormitanus inter illuſtres noſtræ Societatis viros meritò collocandus. Rexit Collegium Romanum; Prouincijs Neapolitanæ & Mediolanenſi præfuit; viſitauit Sardiniam; Legatus fuit in Hyberniã; & poſt multos deniq; lectionũ concionumq; labores, hanc Panormitanã domum triennio ferè adminiſtrauit: ex qua deinde Romam, grauiſſimis de cauſſis, rebuſque non ad Societatem modò, ſed ad huius etiam vrbis, totiúſque Reipub. bonum pertinentibus euocatus, in Mamertinã domo morbum, mortem, ſepulchrum, & quod egregia eius facinora ſperare iubent, cælum reperit. Vltimus ad eandem metam collimauit Saluator Belmons commendabili morum integritate frater; in culinæ muneribus quatuor ſupra viginti anno, ea, quę omnes delectauit, charitate verſatus. Itaque mercedem curarum acceperunt iſti, ad eandem alij magis adhuc laboribus diſtenti adſpirant.

III. E CONCIONIBVS, Catecheſibus, Confeſſionibus plurima, imprimis ad Noſtros, manauit vtilitas. Argumento eſt Cœnobium ab vno ex Noſtris de peccatis auditum, è quo Virgines duæ pijs meditationibus excultæ, eam bonam reliquis quoque ſororibus iniecerunt mentem, eodem vt vellent contemplationis genere illuſtrari. Aurifaber quidam, nundinario quæſtu oneratus, iter faciebat in patriam. Id ſubodorati latrones, in vaſta ſolitudine hominem aggrediuntur, & quatuor millibus aureorum exo-

Digitized by Google

nerant. Ea res ita boni viri animum excruciauit, vt dolor in corpus, non sine magno vitæ discrimine, redundaret. Domestici, ne cum rei iacturâ animæ quoque detrimentum caperet, suadent Confessionem; abnuit æger, nullisq; verbis aut rationibus flecti se permittit. Adhibent tandem vnum è Nostris: qui vt hominem ad peccatorum suorum narrationem permoueret, *bono animo esse iussit, sibi modò tam honesta suadenti obtemperaret: quod humana iniuriâ perdidisset, diuinâ ope breui recipiendum.* Valuit ad expugnationem animi proposita spes: Confessus est, & ad CHRISTI mensam inuitatus accessit. Mirares! eodem illo die Diuina Numinis clementia sponsoris fidem liberauit: comprehensi enim prædones illi, & ad vrbem cum ingenti prædâ adducti, vniuersam auri summam, quam huic abstulerant, restituerunt. Solatio fuit hæc res Aurifabro, non tamen saluti; immò saluti, sed non corporis: ex hac enim vitâ nihilominus post dies aliquot feliciter migrauit. Impudica mulier multis annis in lasciuiæ luto volutata, non vitam modò ad terrificas Sacerdotis nostri voces in melius commutauit, sed habitum insuper pœnitentis & dolentis assumpsit: vt quæ multis offensioni fuisset peccando, documento nunc foret, & exemplo, benè agendo. Contra fœnebrem quæstum seriò actum; & vt omnis sordido lucro in posterum occluderetur aditus, erectus est hic quoque Mons Pietatis, vt vocant, cuius instituti rationem omnem anno priore

in.

Digitized by Google

in Prouincia Belgica reddidimus: sed & alij Sodalitati nomen & initium dedit Præsentatio B. VIRGINIS. In eam viri primarij ipsique adeo Magistratus adscribi voluerunt. Eorum est eleemosynis vinctos & tenuiores alere, ipsorum causas expedire, æs alienum dissoluere, quamprimùm è custodia liberos dimittere: quod dum fiat, curare, ne quid animæ quoque desit alimenti; ne carcerem alea, lenitas, improbi mores inhabitent. Atque in huius Sodalitij confirmationem scriptæ constitutiones, iam ab amplissimo Cardinali huiusque vrbis Archiepiscopo sunt approbatæ, ab eodémque consuetis Ecclesiæ largitionibus sacris liberaliter donatæ.

IV. PIETAS in BB. PP. nostros Ignatium & Xauerium non mediocriter auxit in hac vrbe, quam etiam summa DEI clementia miraculis quibusdam visa est promouisse. Eorum iam, qui ex Collegio testimonium habent, mentio nulla fiet, quòd priore anno perscripta sint; de quibus vero Patres Professi testificantur, placuit huic anno reseruare. Per chirographum proprio sanguine exaratum deuouerat se adolescens. Hic deinde salutari pœnitudinis telo ictus, Sacerdotem è Nostris adit, eiusque consilium, auxiliumque, obortis lachrymis, exposcit. Flentem Pater à se ad Beatum Ignatium Nostrum amittit, ab eoque auxilium sperare indubitatè, iubet: profuit obsequium; nam ope Beati implorata, factáq; execrandæ deuotio-

Digitized by Google

uotionis detestatione ex Orci pęnè faucibus extractus est. Nihilominus tamen expertus deinde est, (vtpote qui ad DEI seruitutem accesserat) non minima cum deterrimo hoste certamina: recurrit miser ad Nostros; imparem se tanti hostis insultibus clamitat, nullius Religiosi, nisi qui de Societate sit, consilio acquiescere aut defendi posse. Neque sic tamen sat repulsus est importunissimus aduersarius, quin grauissima incestûs sollicitatione hominem aggrederetur, victámque à tanto scelere voluntatem iam triumpharet. Sed antequam ad locum designati flagitij deueniret, B. Ignatij pietas, collatûmque in se beneficium in memoriam venit, vnáque saluberrimus ille aquæ humor, qui reliquias sacras eiusdem Beati tetigisset. Periculum itaque facturus, an eiusce aquæ vis tam vastum, atque indomitum libidinis incendium restinguere posset, eam hausit; statimque (quòd mirère) ab ipso hausto omnis ardor ita remisit, vt ne in posterũ quidem vnquam simile ardoris genus fuerit expertus. Alius quadraginta iam annos Confessionis Sacramento culpas non expiauerat, multósque dies pauidus in magno dubitationis æstu fluctuarat, num Nostris conscientiæ suæ occulta reuelaret. Creuit interea fama miraculorum Ignatianorum, & per huius quoq; aures in animum vsque spem saluris intulit; iam enim de vtraque valetudine ferè desperauerat. Reuocato igitur animo, & fiducia de Beati fauore concepta Sacerdotem è Nostris accersiuit, cum quo omnis anteactæ vitæ rationem magno pietatis sensu

Digitized by Google

sensu, multo Nostri solatio accuratissimè subduxit: quo facto & corpore & animo valere cœpit. Mulier ingenti vberum tumore grauiter adeò laborabat, vt de eorum curatione esset iam conclamatum. Voto suscepto in honorem B. IGNATII præter omnium expectationem cõualuit, geminásque mammas argento fusas ingrati animi significationem imagini eius, à quo curata est, appendit. Laminam argenteam ob simile beneficium adiunxit puella quinquẽnis sepulchro iam destinata, quæ matronæ cuiusdam precibus ad B. IGNATIVM fusis sanitatem pristinam recuperauit. Deniq; ne longum faciam, haud exiguus fuit eorum numerus, qui eiusdem Beatissimi viri auxilium & virtutem in ardentissimis febribus, in fœdissimis vlceribus, aliísque id genus ægritudinibus senserunt, acceptámque valetudinem anathemate ad eius simulachrum relicto testati sunt. B. Xauerij meritis illud adscribe. Maura femina in Mahumetana perfidia valde quàm tenax, à Christiana Domina in Societatem fidei sæpe sollicitata, tam diu renuit, dum in morbum pœne deploratum incidit. Vsa mali non mala occasione Domina illa, ardentibus precibus instare, Maurámque contumacem quibus potest optimis rationibus in suam partẽ inuitare; nihil proficientibus humanis, ad Diuina auxilia conuertitur, salutémque Mauræ illi Beato supplex committit, qui Maurorum aliorúmque Paganorum gratia extremas terrarum regiones indefesso pede peragrans, tot animas CHRISTO Domino lucrifecit. Vix finem præbr-

bus imposuerat hæc, cum Maura, velut è lethali somno expergefacta, sacrum baptisma flagitat, CHRISTIQVE fidem ac Religionem profiteri se paratam esse proclamat. Baptizata igitur est, nec multò pòst in cœlum translata.

V. DE PROBATIONIS Panormitanâ domo nihil est, quod hîc scribamus, cum, & hoc & duobus superioribus annis Tironibus in Mamertinam translatis, leuata sit, quo ædificiorum structura cõmodiùs surgere, & ad culmen perduci possit. Mamertinorum ciuium pietas duobus maximè temporibus conspicua fuit, & cùm ante Natalitias CHRISTI ferias partũ VIRGINIS expectarent, & cùm ieiunium vernum quadraginta horarum oratione auspicarentur. Illustrissimus huius vrbis Archiepiscopus, re diuinâ solemniter factâ, cùm apud nos conuiua humanissimus esset, populi frequentiam pietatemq; non satis potuit demirari. Auctores fuêre Nostri instituendi Sodalitij, in quod Sacerdotes & Clerici suscipiuntur, qui carcerem, sacrarum Virginum cœnobia, ac Xenodochia Confessionibus audiendis, pijs colloquijs, aliisque id genus officijs subleuarent.

VI. IN COLLEGIO condiscipulum Scholastici nostri perdiderunt Franciscum Tublum natione Græcum septem supra viginti annos natum, ex quibus vndecim in Societate transegit, tantò, cùm cetero tempore, tum verò maximè vltimis diebus exemplo, vt in molestissimâ trium annorum phtisi nemo vnquam audierit ingemiscentem. Octo item è Parthenijs Sodalibus mortui sunt,

sunt, sed vitæ liberiori tantùm: feliciori nimirum mortis genere, in varia Religiosorum claustra translati. Ex ijsdem vnus patronæ suæ aprimè deditus, cùm fortè die quodam è Sodalitate domum se reciperet, à quâdam in palatium vocatur; ille, vt cuius animi cãdor nihil mali suspicari permiserat, ingreditur, mòxq; à duobus perditissimis profligatissimæq; vitæ hominibus interceptus, prece primum ac pretio, tum verò minis etiam ac verberibus ad indigna eorũ mandata perferenda sollicitatur: sed nimirum Sodalem B. VIRGINIS offenderunt impuri lenones: repudiat hic conditiones, verbera contemnit; a, lienum à se, alienum ab omni cantæ MATRIS cliente asserit, in tam indigno flagitio esse sequestrem. Expediunt illi mucrones, pugionibus inuolant, & nî pareat, sententiam mortis dicunt: *sepossè occidi* respondet adolescens, *non vinci; florem integritatis se seruaturum; lilium an rosam? id verò parum suâ interesse.* Admirati adolescentis fortitudinem illi cesserunt tandem. Parthenius seruata innocentia, veluti qui hostilem multo labore obsidionem soluisset, triumphans ad Nostros accurrit, suæque victoriæ ac gaudij vult esse participes, à quibus & pugnare & vincere didicisset.

COLLEGIA CATANENSE ET SYRACVSANVM.

VII. E CATANENSI Collegio, ex ijs, qui peractis studijs tertio se Societati anno probarunt,

runt, ad vicina oppida missi aliquot, hos laborũ suorum fructus reportarunt præter communes. Sanctimoniales imprimis ad Religiosam obseruantiam extimularunt. Earum vna, ob enormia patrata scelera vaferrimo Dœmoni deuota, nihil non infandum aut absurdum designare iam audebat. Adorabat quippe Diabolum, Sacratissimum CHRISTI Corpus coram illo pedibus conculcabat, alia indigna agebat, quæ silere præstat, quàm indicare posteritati. Hæc demum audita concione, spéque animo concepta, clarissimis intimæ acerbitatis indicijs, & multo lachrymarum imbre perfusa, totius vitæ sentinam expurgauit. Sacerdos etiam profanis amoribus aliquot annos sacrilegè irretitus, Sacerdotis nostri cõcionem pro occasiõne habuit, vt electa concubina totius vitæ Confessionem institueret. Accidit hoc tempore, vt nouo hiatu montis Ætnæ ignis, fluminis instar exundans atque erumpens, vineas, arbores, sata, pecora, ipsósque adeò quos offenderat lapides consumeret. Iamque ad oppidum Baterno dictum accesserat malum, cùm trepidi oppidani ad Nostros, qui tum in viciniâ commodùm sementem diuini Verbi fecerant, accurrêre, atque ad omnia se paratos promptósq; obtulêre, ne vita quidem (si ita opus esset) immunitati reseruatâ. Non neglexerunt occasionem Nostri, placandóq; irato Numini piacularem pro concione mox indixêre confessionem: tum quoq; decreta publica piaque supplicatio est. Et sanè placuisse misericordi DEO lugentis populi lachrymas precésq;, optatus

optatus euentus docuit. Vix enim à supplicatione discessum est, cum igniuomus ille torrens stetit, breuique penitus extinctus est. Syracusis etiam ad vicinos se Nostrorum effudit charitas: recognita multorum omnis anteactæ vitæ piacula: vix tamen melior opera ne domi quidem, quàm ea, quæ pacē inter tot homines, odio immaniter atq; iniurijs à se inuicem diuulsos, redintegrauit. De singulis non attinet dicere. Nonnulli certè regni optimates ad redamandam pacem Rectoris Nostri studio sunt inducti. Simultatem eam Antistitis in retinenda Ecclesiastica disciplina constantia creauerat, cùm nullo prorsus pacto permitteret sacræ potestati ciuilē dominari. Multo tempore arsit ea flamma, sed tandem incredibili omnium bonorum, præcipuéque ciuium iucunditate restincta quieuit. Vir nobilis odio in eundem integerrimum Pōtificem concepto calumniā improbè excogitatā, (quod ipse deinde fatebatur) statuerat sese de optimo illius nomine vindicare, atque id vt assequeretur, testes falsos & corruptos contra eiusdem innocentiā in medium producere. Malè affecti animi nō ignarus Vicarius Generalis (quāuis de fraudibus, quas tum ille machinabatur, nihil dum constaret) adhortatur virum, eo super negotio ad Patres Societatis referat, eorum consilio in causſa tam ancipiti & periculosâ vtatur. Audiens fuit illico monitis tam salutaribus Nobilis, nec difficiliorem se stitit Nostris: quidquid enim caloris & iracundiæ in Collegium intulit, id mox ad P. Rectoris rationes & promissa deferbuit

Digitized by Google

buit; cum quo postridie ad ipsum Episcopum erroris confitendi, veniæque impetrandæ gratiâ profectus, ad Pastoris sui pedes, magnâ animi demissione, se proiecit, prodigi illius amarissimis verbis vsus; *Pater peccaui in cœlum & coram te.* Pontifex in amplexus mox occurrere, humo leuare, summâ charitate humanitateque quidquid delictum foret, remittere, amicum se benevolentem semper futurum polliceri. Addidit hoc etiam P. Rector ei faciendum, vt Sacramento Confessionis animũ ab omnibus noxis expediat, ferculóq; pacis refectum in futura tempora confirmet.

IIX. DIGNVM porrò in hac vrbe admiratione est, laudibúsq; non vulgaribus meritò celebrandum, videre feminas complures nobili oriundas familiâ, diuitijs affluentes, in ipso ætatis flore, à mundo muliebri, adeóque omni vestium luxu abhorrere; summa ac pœnè incredibili modestia corporis ornatum negligere, immò detrectare; & quod præclarissimum in hoc maximè genere est, maleuolorũ hominum dicteria, quæ in eiusmodi spargi solent, ne huius quidẽ facere. Earũdem matronarũ laudata fuit à multis egregia liberalitas, & misericordia in depositos hîc, laborantésq; milites. Nam ipso ferè anni huius exordio huc appulsæ sunt, mox in orientẽ vela daturæ naues omnino tredecim, sub Catholici Regis vexillo magnam militũ multitudinem vehẽtes, quorum plurimi lethali pestiferáq; febri obsessi, cùm à publico Xenodochio excluderentur, in vicino templo decumbere coacti sunt, vbi supra modũ doloris, extremæq; paupertatis incõmoda tamdiu

Digitized by Google

tamdiu passi sunt, donec nostrorum diligentiâ, piorum hominum benevolentiâ epulas, stragula, linteamina, alia corpori iuxta, animæque curandæ necessaria copiosè acceperunt.

COLLEGIA DREPANITANVM, MARSALENSE, CALTAIERONENSE CVM Professâ domo Platiensi.

IX. MIRVM quantum Drepanitanam ciuitatem ad pietatem commouit virtus Sodaliũ nobilium VIRGINIS Annũciatæ, qui pridie ante Parasceuen alba veste induti pauperibus numero duodecim in templo publicè pedes abluerũt, eosque eleemosyna donatos, cibísque refectos dimiserunt. Inter quos tam pij spectaculi actores Comes fuit S. Stephani, vnicus Marchionis ac proregis filius, quem princeps Pacecus etiam alacri studio voluit imitari.

X. NOBILES duo Marsalenses impijs moribus occalluerant: qui quoniam diuitijs & auctoritate pollebant, ab eorum cõcordia discordiâve totius vrbis fortuna pendebat. Hi ita nostrorum consuetudine victi compositíq; sunt, vt admirãte gratulantéq; vniuersa ciuitate in B. VIRGINIS Sodalitium ac syllabum referri voluerint. Eadem pacis per Nostros tẽtata procuratio, successit in factionibus optimatum: nec in Mauro quodam emendando cassus fuit labor, qui damnatis nefarijs Turcarum superstitionibus sacrum Baptismatis fontem ingressus est. Miracula, quæ hîc B. P. N. IGNATIVS, occasione institutæ sibi celebritatis, patrasse creditur, omittimus,

quòd illa tametsi multis medicorum, aliorúmq; testimonijs iuratis, publicóq; vrbis instrumento ac sigillo munita Romam missa sint, ad nos tamen, cùm hæc scriberemus, non redierint.

XI. DOMVS Platiensis eam vidit hoc anno in æde sua hominum celebritatem, quantam prioribus vix vnquam; quæ res & Societati vrbem mirè deuinxit, & multis ciuibus, quos simultates variè distraxerant, causſa pacificationis, duabus meretricibus calcar & occasio pœnitentiæ fuit. Ex Idiotarum Sodalitio, cui præsunt Nostri, quidam Dominicis diebus Eleemosynam ostiatim corrogant, qua pauperum succurritur egestati.

XII. IDEM curatum, vt pro captiuis fieret, quadrageſimæ præsertim diebus, à Patribus Caltaieronensibus; quam commendabilem eorum charitatem non potuerunt, quin remunerarentur quodammodo optimi munificentiſſimíque ciues. Nam præter varias à varijs oblatas eleemosynas ducentos aureos, quibus obærati soluerentur, dederunt: à Sacerdote deinde in templi ornatum quadringenti cum publico instrumento irreuocabili donatione assignati sunt. Initium Nostrorum promotione sumpserunt Sodalitates quatuor; vna in vrbe, quæ ex opificibus constat; tres in alio extra pomeria oppido, in quod ad moribundum accersitus Noster noluit negligere negotium illud, quod animis inter seſe colligandis tam aptum, communitatibus rebúsque publicis tam vtile esſe non ignoraret.

COL-

Digitized by Google

COLLEGIVM MINAENSE ET QVÆDAM ALIA.

XIII. HAVD minùs in Mineensi Collegio à Nobilium, quàm supra in Platiensi ab Idiotarū Sodalitate eleemosynæ sedulò vndiq; sunt corrogatæ, vt verecundię pauperum quorundam, & egestati extremæ subueniretur. Neeti grauis quidam vir sequestribus Nostris cum aduersario in gratiam redijt, non sine ingenti vrbis gaudio, & Christianæ pietatis documento: hîc vt nouum est Collegium, ita & Gymnasium, in quo adolescentum virtus & numerus æqualibus incrementis procedunt.

XIV. BIBONE in vicinum oppidum profectus Sacerdos antiquam, & iam pœnè cum ipsis defunctis sepultam, erga animas in igne purgante detentas pietatem in oppidanorum pectoribus iterum suscitauit, coactísq; precariò sumptibus instituit, vt certis quibusque hebdomadæ diebus sæpius in defunctorum necessitates sacrificaretur. Effecit idem, vt ædes quædam sacra, prodigiosa CHRISTI in cruce pendentis effigie nobilis, priscam pietatem, hominúmque ad se Religionis ergò confluentium multitudinem iterum videret. Domi interea Sacerdos quidam de tota vrbe optimè meritus ita profecit in ascesi B. IGNATII, vt Xenodochium quoddam, situ ac vetustate pœnè collapsum, non modò restaurarit, sed illud etiam suppellectili in ægrotantium vsus necessaria abundè instruxerit.

XV. SACCÆ nouitia adhuc Societas nostra il-

Digitized by Google

lud iam specimẽ industriæ suæ dedit, & fructus, quem inter ciues fecit, vt rumor non vanus exortus sit, redijsse cum eâ in vrbem prima illa felicia nascentis Ecclesiæ tempora. Eam concionator noster in Quadragesima traxerat auditorũ frequentiam, vti locus mutandus, & in maximum vrbis templum inde migrandum esset. In illa tamen capacitate, non minus, quàm apud nos, angustiæ repertæ, ita vt pro foribus templi pia ciuium multitudo reuerenti silentio diuini verbi micas colligeret. Debita trecentorum florenorum superioribus annis contracta pro nobis exoluit idem, qui & Collegio huic initium dedit & dotem.

XVI. MONTE-REGALI adolescentem alioqui non improbum impudica muliercula longâ blãditiarum oppugnatione tandem ita fregit, certum vti diem locumque in suburbanis hortis patrando sceleri opportunum nominauerit: quidies vbi illuxit, antequam vrbe egrederetur, in templum nostrum diuertit, preces certas P. N. IGNATIO de more facturus. Ibi ab æditimo enixè flagitat, aliquantulum sibi de illa aqua concederet, qua Beati IGNATII reliquiæ fuissent ablutæ. Non potuit tam pio adolescentis desiderio non obsequi ille, penes quem erat copia dandi: impetratam ergo statim hausit adolescẽs, eóq; pharmaco omne simul libidinis venenum ab animo ita absterſit, vt ire quidem ad feminam non dubitaret, sed non nisi cum ingenti victoria reditũ sibi quasi certò polliceretur. Et sanè verbis flagitium illud tam potẽtibus excepit ca-

Digitized by Google

pit castigauitq;, vt nullam ab eo deinde molestiã pateretur: quam rem horti illius custos admiratus, haustum quoq; salubrem facere voluit, eâdémq; illà aquà febrim diuturnam submersit. Feminæ parturienti eiusdẽ Beati effigies religiosè culta, seu potiùs ipse Beatus filium, filio deinde periculosè ęgrotanti sanitatẽ à DEO obtinuit. Sed & B. Nostri XAVERIVS & ALOYSIVS in miseros mortales benefici esse voluerunt. Prior mulieri in extremo vitæ articulo constitutæ eâ se formâ spectandum dedit, eo prosus vultu & habitu, quo illum in templo nostro depictũ sæpius viderat. Accedere namq; ad decumbentem visus est, &, vt de lecto surgeret, imperare: tum eam lustralivndâ decussatim inspergere; quo illa beneficio breui vires antiquas recuperauit. Molestissimo capitis periculo afflictabatur quidam: is simul capite partẽ, ex quo B. ALOYSII pendebat simulachrũ, venerabundus tetigit, dedoluit.

COLLEGIA MELITENSE ET RHEGINVM.

XVII. MELITÆ non tantùm mali quidam Christiani, & impuri maximè, Patrum nostrorũ cõsilio mores mutarũt, sed Iudæi quoq; & Turcę aliquot CHRISO Sacramentum fecerunt. Ex agro illud memorabile fuit. Quidam grauissimis sceleribus oneratus eò tandem stimulis Nostrorum adigi se passus erat, vt conscientiam suam leuaret: quod cùm semel feciſſet, reliqua quædã crimina, quorum ipso die fuerat oblitus, reuo-

Digitized by Google

care in mentem onerosum nimis & graue putauit, adeóque neglexit; cùm ecce intempestæ noctis silētio repentè expergefactus, vigil & apertis, vt aiunt, oculis B. V. MARIAM sibi adesse videt, suauissimis verbis exordientem, & singula ordine peccata, quæ memoriam antè fugerant, ob oculos ponentem; quæ deinde statim primo diluculo Sacerdoti aperuit, & augustissimæ Virginis beneficium non prædicauit modò, sed ipsa vitæ in melius cōmutatione rectè eam se agnouisse comprobauit. Haud absimili ratione femina quoque ad terrenarū rerum contemptum, religiosæque vitæ amorem est traducta. Quæ vt filiæ ab amittendæ pudicitiæ periculo caueret, eámq; religioni consecraret, rem cum Sacerdote nostro communicauit: cui ille; *laudo*, inquit, *consilium et approbo: sed miror interim te tam de filia sollicitam, nullam omnino de tua salute habere rationem. Age verò quando tibi ferià illud in mente est, filiámq; DEO dicare placet, vnà eadémq; operâ tibi tuæq; proli consule.* His illa verbis altiùs animo impressis, anceps nihilominus consilij domū reuersa, eadē illa nocte videre sibi visa est chorum feminarum ex suo gynæceo in cœlum vnà cum cœlestibus spiritibus euolantium, & vnum quendam ex agmine oratione ad se conuersa docuisse, similē illis eam quoque fore, si simile quid auderet, rebúsque inanibus relictis sacrum aliquod consortium eligeret. Vigilauit, & ingenti lachrymarum, atq; gemituum vi præteritam vitam detestata, quàm primum licuit, CHRISTO nupsit,

sese

seséque cum filia in Cœnobium contulit, non sine magna ciuium vel consolatione, vel admiratione.

XLIX. SENATVS populúsq; Rheginus de Collegio bene mereri in dies magis magísque non cessat, quod eorum studium in colendo Societatis Auctore hoc anno præcipuè eluxit.

RESIDENTIA CHIANA ET MOTICENSIS CVM MISSIONE Agrigentina.

L. DEDECORI erat apud Chianos, quæ ornamento maximè & honori esse debuit, Sacerdotalis dignitas: vnde opera data à multis est, vt eâ de re sublimiùs sentire honestiúsq; cœperint, & aliquam multi de prima nobilitate ad eum dignitatis gradum ardenter aspirarint. Et sunt Nostri in hac insula tam Christianis, quàm Hebræis & Turcis pro sacra velut ara, ad quam lites suas & discordias componendas accumulant. Qui ab insula remotiores sunt, nullum interim patiuntur defectum, seu consilia desiderent, seu doctrinæ Christianæ adiumenta. Erat hic quidam veste quidem, atque habitu religiosus, vitâ verò & moribus scelestissimus homo. Is quamuis pluribus à Nostris affectus beneficijs, multa tamen à se vel ficta vel confecta scelera priuatim atque publicè in Societatis homines tanquam auctores deriuauit, tandémque epistolam dedit ad totius insulæ Præfectum Turcam, in qua grauibus verbis nomen nostrum ac famam

Digitized by Google

accepit: ex fraudibus scilicet compositos nos, neque aliam ob caussam Chiam adnauigasse, quàm vt Hispano exploratores ageremus: illi quidem fidissimos, Turcarum verò imperio pernicioſissimos. Sed breui homo perditus, quàm fide dignus fuerit, nobis etiam tacentibus declarauit: neque enim diu innocentes premi, réq; nocentes latere diu ita disponente DEO possunt. Nam cùm puellam summo amore deperiret, videretque eius sibi copiam Christiano esse non posse, mulierculæ Fidem posthabuit, publicéq; CHRISTVM detestatus Mahometis superstitione perfidiamque est amplexus. Maturus iam erat vindictæ sceleratus, adeóq; diutiùs inulto esse non licuit. Iniecit itaq; in eum manus homo Venetus, & grauibus cathenis compeditum coëgit suis triremibus in Italiam transmittere, publico illic exemplo tanti sceleris pœnas subiturum.

XX. AD MISSIONEM iam Agrigétinam quod attinet, durauit ea mensibus nouem. Nam cùm in eà ciuitate plures annos antea Nostri magno cum operæ pretio resedissent, hoc iterum anno ex Sacerdotibus duo postulante Episcopo in eam messem sunt designati. Quatuor ibi instituêre Sodalitia; Dominorum vnum, alterum plebeiorum: Presbyterorum tertiũ, vltimum adolescentum: ita vt nulli prorsus ad eorũ aliquod aditus nõ pateret. Igitur breui numerosam singula adiunxère turbam, ex quibus deinde Religiosæ familiæ velut ex seminarijs plantas suas plurimùm acceperunt. Quidam ex his Sodalitijs de pietatis tramite, ipsiúsque adeò legibus præcipiti negligentiâ

gentia deflexerat defecerátque. In eo vitæ ſtatu cùm eſſet, & neſcio quid animo verſans aut moliens ad honeſtę matronæ limina acceſſiſſet, maritus illius feminæ ira extimulatus verutóq; obarmatus fugiẽtem, vt figeret, cœpit inſectari. Et ictum quidem iam intentarat, cum miſer ille B. VIRGINIS opem ſupplex implorat, cuius clemẽtiam licet indignus præſentiſſimam mox eſt expertus. Cùm enim toto virium impetu hoſtis in ictum rueret, ſola veſtis vulnerata eſt, ferro à cute, haud ſecus, ac ſi in adamantinum clypeũ impactum eſſet, diſtorto. Agnouit auxiliarem DEIPARÆ manum homo, & ad Sodalitium multò quàm antea frequentior & ardentior acceſſit, à quo, quòd viueret, habere ſe non dubitauit. Medicum quendam alius caſus fecit meliorem. Solitabat ille, quotidianis ſermonibus ac dicterijs Societatis famam perſtringere, vulgò Noſtros noſtraq; carpere et lacerare. Sanari non poſſe videbatur medicus ille, niſi ægrotaret. Ergo volente DEO in grauiſſimum incidit morbum, cuius cauſſam, vt artis gnarus ſtatim ſanè agnouit. Itaque hominem de Societate ad ſe acciri iubet, *iure ſe à DEO puniri teſtatus, qui in homines innocentes per ſummam iniuriam tam procliuiter inuehi fuiſſet ſolitus: quamobrem ſcelus ſuum tandem aliquando ſe agnoſcere, veniam rogare:* quam cùm facillimè impetraret à Noſtro, non minùs tamen facilè, aut citò priſtinas vires à DEO viſus eſt recepiſſe.

Hæc hoc anno de rebus Siculis.

PRO-

Digitized by Google

Excoluerunt hanc prouinciam è Societate decem ſupra quingentos, ſeptendecim diuiſi locis: ad alteram vitam abierunt ſeptendecim: duo & viginti Noſtris ſunt aggregati.

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
Neapoli Do. Profeſſ. habuerunt.	XXC.				
Collegium ibidem.	XCIV.				
Æglenſem vrbem.	LXXIII.				
Cantazarium.	XX.				
Aletium.	XXX.				
Nolam.	XXVII.				

Digitized by Google

	Vniuersim.	Sacerdotes.	Præcept.	Scholast.	Adiutores.
Salernum.	XIV.				
Consentiam.	XX.				
Beneuentum.	XV.				
Barolum.	XIII.				
Theatem.	XIX.				
Aquilam.	XIX.				
Adriam.	XII.				
Bouinium.	XII.				
Tropæam.	VIII.				
Massam.	XLVII.				

Digitized by Google

	Vniuerſim.	Sacerdotes.	Præcept.	Scholaſt.	Adiutores.
Stabium.	VII.				

Mahometis impietatem deſeruerunt ſexaginta vnus.
Ad concordiam redierunt centum ſeptuaginta ſex.
Generalis Confeſſiones inſtituerunt decem ſupra centum.
Cædis conſilium in melius mutârunt ſex.
B. P. N. opem experti ſunt viginti.

Digitized by Google

COLLEGIVM NEAPOLITANVM.

I.

EX INSIGNIVM OPERARVM iacturam fecit hoc anno Collegium istud; P. Petri Albizij. Hic cum ab honorũ expedito curriculo deflexisset ad humilem vitam, Deoq; fidem in Societate nostra despondisset, ingenti contentione studium solidarum virtutum percurrit. Et cùm in omnibus eius actionibus esset quod commendares, vnum tamen alterúmve maximè admiraberis. Litabat DEO incredibili sensu pietatis, & litantem illum (quòd agmen liquidarum oblectationum vbertim affluebat) sæpe Ioannes Franciscus Orificius Episcopus Acernatûm in aërem sublimem extolli viderat, spiritu sarcinã corporis eleuante. Cùm ergo progressu temporis Orificij nepos ex fratris filio graui morbo corriperetur, adit Petrũ, summam spei coniectam in ipsum prędicat, obtestatur, vt luem ægroto deprecetur. Obsecutus Pater ad sacrificij finem (in quo pro more extasin passus erat) Orificio renunciat, puerum absque dubio conualiturum.

Acce-

Digitized by Google

Accepto hoc responso, sacróque peracto reuertentem Episcopum à templo nostro seruus excipit, à quo subducta ratione tempus cognoscit, nepotem sanitatem accepisse eo ipso puncto, quo Petrus innuerat recipiendam. Quo quidem ex genere plura suppeterent de tanto viro narrari digna, si ei superstes Orificius fuisset. Hūc enim dicere solitū crebrò aiunt, se multa de Petro & magna proditurum fore, nisi prior occūberet. Animaduersa tamen ab alijs est mira in eo dexteritas tractandi animos & agendi præcipuè cum ijs, quorum filij aut propinqui in Religionibus DEO se consecrauêre. Nec sanè mentior, si trecentos eóq; ampliùs illius opera ac labore religiosum habitum induisse affirmaro; vt de reliquis eius & quasi domesticis virtutibus ne verbum quidem faciam.

Ioannis Francisci. Qui iuuenis dum omnes expectatione sui sustinet, fefellit; non suo quidē vitio, sed naturæ humanæ: quæ vt imbecilla est & fragilis, ita morti cedit facilè; nec patrocinari in eo periculo, aut voluit aut potuit ætas florida, ingenium liberale, acre iudicium, alia, quæ in iuuene excellenter viguêre.

Ioannis Bitonti Coadiutoris, vnum & quadraginta annos in Societate degentis, eóque cœlestis mercedis amore & desiderio accensi, multis vt ante mortem diebus repudiato terrenarū rerum omnium commercio, solus sibi vacare voluerit, quò DEO familiariore vteretur. Quem fratrem optimum duo item alij Coadiutores Rigonani (quod est oppidum nostrum) præiuerāt, alter

Digitized by Google

alter eximia charitate vir & modestia vitæ Ioannes Pizinus; alter orationi mentíque demissioni apprimè deditus Ioannes Petrus Alisius honesto loco natus, & communium litterarum cognitione haudquaquam destitutus, ob quam caussam sacris etiam initiari non nolente Præposito Generali potuisset, nisi tãto muneri se ratus imparem antiquius habuisset rei familiaris ministerium; quam modestiam iuge parendi labor. díque studium, abdicatio rerum humanarum, sermo de DEO frequens, & mors ipsa denique magnâ sanctitatis famâ obita fecerunt probatiorem.

P. Constantij Pulcharelij. Erat vir impensè doctus, seu seueriorem seu mitiorem spectes eruditionem; sanè religiosus, seu interiorem animi constitutionem, seu exteriorem corporis habitum consideres; ne vestigium quidem in eo contumaciæ, fastûs, aut arrogantiæ alicuius vnquam deprehenderes. Acerbiùs appellauit neminem, nullius facta perstrinxit. Tulit diuturnum morbum perinde diuturnâ patientiâ. Etenim vno alteróve pòst anno, quam nostræ militiæ sacramento rogatus esset, è pectore tantam eiecit sanguinis vim, vt reliquo vitæ tempore (quod annorum viginti quinque fuit) ex difficillimo morbo sese expedire nunquam potuerit. Et cùm tantis difficultatibus subiectus esset, nihilominus tamen litteras humaniores octo annis, (vel etiam pòst votum Romano Pontifici factum) accuratè docuit. Sed nunquam Constantij huius nostri cõstantia acutiorem radium

Digitized by Google

euibrauit, quàm illo triennio integro, priusquam naturæ concederet. Nam cùm infrequentiùs à Socijs inuiseretur, non quidem charitatis defectu, sed iusto cõtagionis metu, ita suam illam solitudinem æquanimiter tulit, vt nemo eum vultuosum, nemo minùs serenum aut lætum animaduerteret. Opportuna autem saluti remedia procurare à suis partibus prorsus alienum putauit: vtpote(quod dicere solebat)cui nihil eorum debeatur. Interim cursum suum habuêre consuetæ corporis macerationes, ita vt nullum pœnè asperitatis genus prætermitteret, à quo temperaret. Cineralia quippe ieiunia, quæque ceterum intercurrunt annum, affecto corpusculo perseueranter obseruauit: humo mudâ cubitare, informe lignum & rùde pro pulluillo capiti supponere familiarissimum ei erat: & quæ duo non parum ipsi vtique cęlestem gloriam accumulârunt, in tantâ conflictatione malorum diuinam quotidie rem fecit, & statum orationis tempus aut expleuit semper, aut protraxit longiùs.

II. AD VIVOS iam stylum vertamus. Quot diebus Sabbathinis semel horariâ doctrinâ imbuti sunt Presbyteri, & sub aliquantam Danidici Carminis enarrationem officij sui rationem sunt edocti. Opificum cætus incredibiliter est auctus, numerantúrque in eo Sodales ad sesquimille, in quinque tributi classes. Omnes partium suarũ esse existimant, vrbe totâ pueros imperitámq; multitudinem Christianæ doctrinæ rudimentis instituere, continentem oram consilio

filio eodem lustrare, suadere facinorosis expiationem scelerum, alia omnia facere, quæ illos ex disciplinâ Societatis prodire manifestè demonstrant. Illud egregio sanè fructu nuperrimè sunt cõmenti pietatis argumentum, vt Diuorum aliquê vniuersæ familiæ tutelarẽ in singulos annos ex alueolo sortiantur. Eius imaginẽ pro sacello statuunt, opem arctis in rebus implorant, & cœlesti refecti pabulo ferias agunt. Quam eorũ religionẽ diuina beneficentia cumulatè rependere videtur, non æterna modò, sed & tẽporaria mercede. Ferunt enim aliquot tenues, & ab opibus imparatos, ex quo Sodalitiũ inière. fortunis instrui cœptos; vt desertoribus ex aduerso diffluere, quæ congesserant, quotidiano videatur experimento: quorũ quidem alios obiecta diuinitùs terriculamenta ad tuẽdam initi propositi fidem impulerunt; alios obita pericula, vitata nõnullos à defectione reuocârunt. Cùm quidam istorũ decredita pecunia debitorem suum appellaret, ab irato atramentariâ thecâ secundùm faciẽ appetitus est. Creditor non hîc vltionem, sed specimẽ dare voluit, quid in Sodalitio profeciſſet. Itaq; cùm & ipse ferramenta præ manibus haberet, quibus illatum vulnus vltro reponeret, omisit, animóq; amico percussorem admonuit, caueret, ne quid vnquam tale in alium auderet: futurum enim fortassis, vt quam expertus esset in se facilitatem, eam in alio desideraret.

III. CONFLATA quoque Sodalitas est ad iuuandos ex Mauritano Turcicóque bello captiuos: vtque res è sententia cederet, illam ingressi sunt

Digitized by Google

viri ſpectatæ virtutis & ſanctimoniæ, qui domicilia tributim habentes ſine magno negotio ſeruos iſtos ſtatà die ad oratorium ſuum conuocarent. Sexaginta plùs minùs hac ratione Mahometicam perfidiam ſunt dedocti; è quibus nonnulli poſt acceptam veritatis lucem, ad tam explicatam rerum diuinarum intelligentiam euecti poſtea ſunt, vt meditando multam ſæpe diem inſumere conſuêrint. Ergaſtuli autem, in quo noxij ſeruantur, alia longè ſpecies eſt, ex quo Noſtri ſuam in eo perpurgando poſuerunt operam. Crebris enim exhortationibus & peccandi vltro compeſcuêre licentiã, & prima quędam graſſatorum nomina compulêre ad accuſationem noxarum omnium, quarum cõſcientia, vel ab vſque primis incunabulis animum verberaret. Atq; præclara hæc cœpta ne ſpatio langueſcerent, erectum in ipſo carcere ſacellum eſt, ad pietatem varijs excolendam argumentis. Et imprimis quidem ad multitudinem excitandam decreta quadragenaria ſupplicatio eſt, cuius auxit religionem vnius è Noſtris exemplum, qui ſe palàm verberibus accipiendo ad æmulationẽ tam ſalutaris animaduerſionis aliquot inſignes fàmà nebulones prouocauit, non minore ſpectatorum admiratione, quàm incitamento virtutis. Paria auſus ali è Noſtris militi cuidã cauſſa fuit, ne vtrunque vitam vno naufragio perderet. Suſpendio enecãdus ille fatalem horam iam expectabat, tam malè interim præparatus, vt de pœnitudine ſcelerũ ne audire quidem aliquid vellet. Accerſitus Noſter tormenta Gehennæ cõmemo-

memorat, æternitatem nullis circumscriptam terminis minatur, illúdque præ ceteris monet, obstinatione illius minimè productum iri supplicij diem, proin maturaret, quæ è re salutis foret censeret. In ventum iêre verba omnia, nec à misero quidquam audiebatur, quàm insontem sese necisque immeritum. Noster arduo planè consilio & insolente, sed exitu secundo conficiendum negotium ratus, ad pedes cõtumacis accidit, prolixàmque sui diuerberationem exorsus testatur, tantisper in semet animaduersurum, quoad ipse vel cruore omni destitueretur, vel reus culpam agnosceret, & pœnam acceptaret. Ad hanc spõraneam Nostri lanienam Hispanus cohorruit, atque ab eâ manum vt retraheret, enixè rogauit. Ille tum ratus id quod erat, hominem spectaculo commotum esse, acriùs instare, neq; vllum flagellandi sui finem facere, donec victus exclamauit reus: *Hem! Quid porrò te vita moror? agedum occumbamus, libet vltro perdere* CHRISTI *causâ vitam, & minimo mortalitatis dispendio totam redimere immortalitatem.* In huiusmodi sententiam diu cùm esset locutus, animũ lustrali Confessione purgatum sacro viatico pauit non vulgari pietate: posterâ verò die supplicij de trabe multa profatus ipsi carnifici lachrymas vbertim elicuit, summáque fidei capita professus, eò se abijsse reliquit sperandum, vbi non pœniteat, consilijs exemplísque bonorum virorum fuisse obsecutum.

Digitized by Google

DOMVS ÆGLENSIS.

IV. CONVENIVNT haud procul ab his ædibus octauo quoque die collegia mendicorum & balatronum ad erogatam à quodã è supremo Magistratu stipẽ accipiendam: atq; vt id genus hominum plus sæpe verbi diuini pane, quàm corporis pastu indiget, ita pauciſſimos habet, à quibus adiuuetur. Itaq; duobus è Nostris negotium istud datum, vti iam non tam pro corporibus, quàm pro animabus solliciti concurrere videantur; id quod non maiorem vniuersæ ciuitati voluptatem afferre solet, quàm eruptiones in compita plateasque vicinas vtilitatem. Et cernere quidem erat, præsertim in eo, cui à Roberto coronato nomẽ est foro, concionem duũm triúmve millium à dicentis ore pendentem: hærebant visu atque auditu primores optimatum, quibus eò loci frequens aditus esse solet, neq; vocem edebant vllam, nisi quam aut dolor peccatorum, aut metus pœnarum expressissent: cetera quoq; multitudo aggemere identidem audita est. Vbi verò perofatum erat, magnum institutum est agmen ad ædem nostram, in quâ ad Sacerdotum pedes certatim sese abijcientes peccata sua à multis annis meminerunt.

V. SED nihil ferè tam fuit ad exemplum, quàm piscatorum institutio. Viuebant illi sine lege, sine Rege, sine DEO, pœnéque brutorum instar. Operis ergo trifariam locatis excoli cœpta siluescentis illius agri facies: & quidem aliæ conuocare passim dissipatos, aliæ fidei sumam ad vulgi captum

Digitized by Google

captum tradere, certos aliæ locos ad pietatem informare: quo penso absoluto concionem piscatorum vniuersam procedere ad ædem nostram iubebant, exceptam, quocunque pergeret, adeò faustis obuiorum apprecationibus, vt nullam huius consilij auctoribus felicitatem non ominarentur. Exinde Catechesis accuratiùs tradi cœpta; tum verò Cõgregatio instituta, in quâ numerabis ad quinquaginta supra quadringentos piscatores, qui omnes enixè tuentur instituti rigorẽ, aliósq; trahunt ad idem vitæ genus amplectendum. Eo præsertim anni tempore, quo magis efferuescere solet stultorum insania, mirum in ijs exarsit pietatis studium; à nostris enim ædibus ad Professorum, vbi, prout moris est, indictæ quadragenariæ preces, bini supplicationem instituerunt, & alternis alij prægrandibus opere cereo facibus ibant, alij flagris se cædebant ornatu pereleganti, alij Sanctorum reliquias baiulabant. Et hanc istorum pietatem miraculo pœnè comprobare voluit Opt. DEVS. Cùm enim in morbum ex verberatione quidam incidisset, ac proinde pauperrimæ familiæ victum aliquãdiu quæritare omitteret, recuperata valetudine piscatũ exijt, opémq; DEIPARÆ Virginis in loco postulauit, vt ipsa iacturam DEI caussâ factam refunderet. Præcepta spes minimè fefellit piscatorem; tantam enim mox piscium copiam concluſit, quantam priùs nunquã. Iuuenis ex eodem Sodalitio, cui pater in altercatione fuerat interemptus, vt declararet, quàm sibi cordi institutum suum foret, non modò

Digitized by Google

ab vltione ipſe abſtinere ſe voluit, verùm & inimici malo grauiter perculſus eſt, cùm illum in apparitorum manus incidiſſe cognouit: aiebat enim; *hominem auguſtiſſimæ DEIPARÆ obſequio mancipatum decere, vt aduerſarij malis indolere, ita & commodis delectari.* Et cùm mater iuuenis iniuria pariter ac dolore victa omnem, quē ipſe faceret piſcando quęſtum, in viri nece perſequēdā profunderet, ſæpenumero eam commonuit, de ſententia vt diſcederet. Quod cùm illa facere recuſaret, à piſcatu ſe ceſſaturum edixit, niſi parta pecunia ſatiùs vteretur: adeóque deinceps adduci nunquam potuit, vt opus faceret, donec accepta fide parentis interfectorem omni moleſtia ſolutum iri intellexit. Hæc quidem priuatim: at publicè mirifica profectò iſtorum piſcatorum pietas & virtus apparuit. Cùm enim in piſcario foro (quò tanquam ad aleatorum ſcopulum naufragia faciebat, quicquid opum è Pelago quæſiſſet inops hominum genus) immunitas à lictorum duce teſſerario ludo facta fuiſſet, verita multitudo, ne quis imbecillior à propoſito deficeret, ad nos adeunt, permixtóq; virorū, mulierum, puerorúmq; agmine ſuas exponunt querimonias, rogant, agamus, vt nequam ille lucrio, quàm ocyſſimè ſolum vertat: interim aleator, ſeu quia ſuis artibus aliquot dies irretire ferè potuit neminem, ſeu quia conſtantes aduerſarios ſe habiturum cognouit, iniuſſus diſceſſit, nóſque obligatione fidei, piam plebeculam ſollicitudine liberauit.

COL.

Digitized by Google

COLLEGIA CANTAZARIENSE ET ALETINVM.

VI. DVOS transmisêre cœlo duo hæc Collegia: Cantazariense P. Ioannem Mariam Sanctorium hominem frugi, paupertatisque tenacem: Aletinum. P. Ioannem Salicetum Italiâ totâ concionandi famâ clarum. Expeditiones vtrobique in varia loca susceptæ omni generi hominum solertiam Nostrorum probârunt. Inimicitiæ cõsopitæ ferè quinquaginta supra centum. Præceptoribus humaniorum litterarum ex præscripto nostro leges rogatæ, Angelo custodi decretus honorarius dies: & ciues quidem Cantazarienses supplicabundi Sanctorũ corpora quatuor aliásque reliquias insignes operibus ex ebeno inclusas magna pietate comitati sunt, cùm primùm in nostro templo reponerentur.

VII. ALETIO Burganeum missus vnus ad habendas in Quadragesimá conciones, tantum statim altero die animorum motum concitauit, vt cuncti sub ipsâ concione ad Parochum cõcurrerent, &, quid peccatoribus facto opus esset, rogarent. Confessi deinde omnes ferè. Puella ad vouendam CHRISTO virginitatem vi cõcionis impulsa, rem parenti indicauit: qui mox cõminatus ei mortem est, si capillum eius rei gratiâ præcidere attentaret: sed illa iam duplici proposita corona animatior, virginitatis, inquam, & martyrij, capillum secat impunè: parens enim à facto ita placatus repentè est, vt diuina quædá vis puellæ caussam egisse videretur. Actum eras

Digitized by Google

aliquando in concione de honore parentibus habendo: id argumentum adeò profuit auditoribus, vt quidam gratias immortales egerint DEO, quòd cùm antea, & desererentur à liberis, & interdum etiam malè verberibus acciperentur, nùc mutata voluntate maximè ab ijsdem & honorarentur & sublevarentur. Ipse loci curio testatus est non semel, hoc anno negotium audiendarũ Confessionum leuissimum sibi videri, quod antèa intolerabile pœnè fuisset expertus: eundem fructum post se reliquit in alio quodam oppido quadraginta dierum spatio commoratus Pater.

COLLEGIA SALERNITANVM, CONSENTINVM, BAROLITANVM, Theatinum.

VIX. Rei familiari accessio facta Salerni nummũm aureorum quadringentorum supra mille, qui ad coëmendum prædium sunt erogati; plus autem multò accessit pietati ciuium, & nobilis è Gallia vir idémque iuratus in verba Caluini miles, ad Sacramentum impietatis reuocandus persuasus est.

IX. CONSENTIÆ quidam è Nostris nõ imperitum caduceatorem egit, duósq; equestris ordinis magnos viros, quos factiones sequebantur haud obscuræ, improbato duello composuit, adeóq; vrbem ipsam magno ciuilis belli metu & periculo liberauit. Quidam ætate iam deuexâ pronam adhuc in terras animam & cœlestium inanem gerere videbatur; illúmq;, vt fit, pari licẽtia

dispar

Digitized by Google

dispar, quo puer æmulabatur ad ignominiã: vterque suasu Nostrorum ex illo animæ veterno excitatus ita mentem immutauit, vt senior quidẽ in B. VIRGINIS clientelam fidémq; receptus exactæ vitæ peccata quàm acerrimè vindicet, iunior autem religiosæ disciplinæ propositum & meditetur & vrgeat. Non vulgare pœnitendi exemplũ dedit ille, qui post integram scelerum accusationẽ ea cõditione dimissus à Sacerdote est, ad cõdictam vt reuerteretur diem. Hæc vbi illuxit, ita ob cõscientiæ labes ad trutinam reuocatas indoluit, vt collo funem iniecerit, arreptóq; palmari lapide pectus ad quatuor millia passuum magnis ictibus pulsare non cessárit.

XI. CETERVM fortunæ nostræ annum hunc habuerunt multò magis propitiũ Consentiæ, quàm Baruli: ibi præter iactum ab Episcopo Martoranensi ædi nostræ primum lapidem, suppeditati iam sunt piorũ hominũ liberalitate aurei mille quadringenti: hîc Sociorũ numero longè minor est sustentatio, ac nisi frumẽtarias expensas Senatui hoc anno demeruissent Patres, actũ erat: verùm in tantâ rerũ difficultate vnum fuit solatio, quòd accepta spei tessera est à ciuitate optimè in nostrum ordinem animata, huic incommodo breui fore modũ. Inde factum, vt intento laboratum animo sit à Nostris ad eam benevolentiã quoquo modo rependẽdam, præcipuè in ope ferendâ moribundis; quo in genere illud fuit insigne. Iuuenis erat, qui febriculoso morbo iactat⁹ abalienatâ mẽte desipuerat, atq; in Phreneticorũ morem vociferari, fremere, secũ altercari, nihil

ab in-

Digitized by Google

ab insano diuersum agere solitus. Hærebant initiò propinqui, quid rerum ageret ignari; post multam denique consultationem ex Nobis aliquem euocari placuit: ad cuius aspectum subitò æger mentem recepit, neque nisi cœlesti pastus epulo è viuis abijt.

XI. OPIFICVM Sodalitas secundo procedit voto, vtitúrque DEIPARA, quam multis modis deueneratur, multis modis clemente. A cœtu quidam prohibitus (languidior enim in instituto cursu per fastidium ad pristina redierat) iter habuit de nocte procul ab vrbe, neque sat scio, quo furore tactus impia verba cœpit dicere in DEVM, cùm ecce tibi deformem repentè belluam incessiti NVMINIS vltricem, exposcentémque conuiciatoris artus ad laniatum. Hic temerarius ille ad se redire, desertæque VIRGINI vota noua facere, atque ad Sodalitium redeundi propositum firmum concipere: quæ bona voluntas voto ferè citiùs auertit ab homine periculum, & horribile illud spectrum, quod ad mille passus fugientem sequebatur, à trepidantis conspectu se subduxit: ille verò suscepti consilij memor accurata confessione totam vitam defleuit, Sodalibúsque redditus frugi esse didicit. Iam Concionatoris etiam orationes ad egregia sæpe facta coëgit auditorem: atque illa quidem, quæ de componendis inter DEVM hominémque inimicitijs disputauit, ad centum circiter permanavit capita, vt per sacrã totius anteactæ vitæ Exomologesin contractas animi sordes eluerent: altera verò, quæ B. XAVERIVM nostrum à benefi-

centiâ

centiâ facilitatéque in miseros mortales cõmendauit, hunc fructum habuit. Podagrâ quidam acerbè tactus incurabili morbo remedium hoc reperit. Audierat fortè in pridiana concione Nostrum, cùm de B. XAVERIO diſceret, illa verba ſæpius ingeminantẽ; *Domine ſatis eſt: ſatis eſt Domine.* Hæc Podagricus ille protinus edidicit, indéque medicinam ſibi fecit, & Antitheſin (ex deſiderio patiendi, an ſimplici errore?) identidem vſurpauit: *Non ſat eſt Domine, non ſat eſt.* Quibus verbis pedum dolore breui perfunctus, integer ac valens in noſtram ædem ambulauit.

COLLEGIA AQVILANVM, ADRIENSE, TROPŒANVM, ET Maſſenſe.

XII. MAGNA fuêre adoleſcentum quorundam nobilium in Aquilano Collegio ad Societatem noſtram admiſſorum certamina cum parẽtibus, victoriæ maiores. Ille enim qui dixit; *qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus:* ille, inquam, ſuppeditauit animos, quibus blandimenta huius mundi poſtponerẽt delicijs, quas olim præparauit DEVS diligentibus ſe. Feminarum deinde quarũdam virtutes planè fuêre ſingulares, quæ teſtimonium habent non hominũ duntaxat, ſed & Diuorum immortalium, BB. IGNATII præſertim noſtri & XAVERII, qui earũ nonnemini reddiderunt ſanitatem. Fuit & viſio illa cujuſdam Virginis ſignum pietatis non vulgare, quam quidem nunquam commemoraſſem,

Digitized by Google

râssem, nisi fidem argumenta feciſſent. Videre ſibi viſa eſt DEIPARAM cum infantulo IESV præſentem & longam ſimul ſupplicantium ſeriem: ordinum omnium & ætatũ anteſignanus cum eleganti vexillo è Noſtris erat, cui ſidus in fronte ipſo ſole lucidius micabat: multi præterea de Societate in illà multitudine permiſti incedebant, agmen velut inſtruentes, qui ex ſidere, quod fixum frontibus erat, facilè dignoſci poterant. Virgo quid id ſpectaculi ſibi vellet, CHRISTVM ipſum interrogat. Is beatorũ eſſe reſpondit manum, vnáq; ad cœleſtes illas domos contendere: viros autem illos aſtris notatos pullíſq; veſtibus gradientes Ieſuitas eſſe, quorum labore & induſtria tot alij ad cœlum deducantur, eáque propter primipilorum ductorúmque in eo ordine officio fungi. Nunquam antea Noſtros viderat hæc virgo. Sed vbi primùm deinde ad ædem noſtram vnum offendit, ad comitem conuerſa; *En*, inquit, *agnoſco habitum, Societatis eſt.* Sed & alia quoq; charitatis indicia Virgini huic ſæpe præſtant familiares IESVS & MARIA. Cùm vtriuſque ſuauiſſimo aliquando frueretur aſpectu, curoſiùs intuetur quoddam de crepundijs ex collo pueri IESV dependentibus: ſciſcitata quid eo pretioſum clauderetur: de ligno Sanctiſſimæ Crucis incluſam eſſe particulam audit, cui ſimilem à quodam Sacerdote noſtro poſſet expetere & impetrare, ſi priùs eum, quàm diſcederet (abitum enim adornare) conueniret. Diſtulit illa exactionem promiſſi, adeó-

Digitized by Google

adeóque priùs abijsse Patrem comperit, quàm sacrum illud pignus accepit.

XIII. ACCEPIT interim templum nostrum à R. P. Generali corpora trium Martyrum integra additis aliorum quoque Martyrum aliquot caluis; quæ omnia magnificis pretiosisq; thecis inclusa atque exornata pompam celeberrimam ab vniuersa ciuitate decretam egerunt. Nobilium item feminarum, quæ ad nostrum templum ventitant, liberalitas extitit non tacenda. Aræ pretiosissima ornamenta, sacrario suppellectilem ingentem, sacrificanti vestes eleemosynæ nomine donârunt: Sanctorum autem venerandas reliquias auro & argento custodiuerunt. Quarum quidem insigni pietati respondêre beneficia, quæ nostrorum Beatorum patrocinio se accepisse fatentur. Nobilium parentum infans vnicus ad B. Aloysij (quod creditur) preces impetratus, cùm decumberet iam ad mortem, conceptis B. IGNATIO votis commendatur: conualescit illico, & in pedes stetit.

XIV. IN NOBILIVM Sodalitate accidit hoc memoriâ dignum. Quidam eques Hetruriæ sub magno Duce militans quadâ die preces fundebat, nihil prorsus, quod suarum partium esset, in eo negotio desiderari passus: & quoniam ne lachrymulam quidé intimus eliciebat affectus, angi propterea ille, seipsũ obiurgare, velut qui suâ culpâ arescceret. Auxit curam viro frater germanus ijsdem in ædibus, sed nõ in eodem precatus cubiculo, quem in fluuio propè lachrymarũ singultantem procul audiuit: cui cùm pinguem

istum

istum & succosum orandi modum vir bonus inuideret, ad suum Spiritum tutelarē magnâ verborum fidentiâ conuersus: *En*, inquit, *ariditatem meam vides, nec misereris: saltem entere, vt frater illachrymans iuxta me deprecetur miseriam meam.* Cōprobauit euētus petitionem non fuisse inanem. Cōtinuò enim nescio qua occulta virtute compulsus est frater illius, quamuis absens & ignarus, ad obsecrandum pro misero, cuius speciem animo secum circumferre semper videretur, ita vt eam repellere non posset. O miram orationis vim ac virtutem! Cadunt è pumice guttæ, lachrymæque aridum pectus emolliunt, & omnem animo languenti mœstitiam detergunt.

XV. AVDITORVM frequentia aucta est in scholis, postquam Philosophiæ Theologia accessit. Adriæ quoque Sodalitates duabus nouis creuerunt, puerorum scilicet & artificum, quæ posterior capita numerat trecenta. Horum omnium ea est in virtute constantia, ea in virtutibus contentio, vt sublatis iam vulgò execrandi, ludendi, rixandi pessimis consuetudinibus, vrbs ipsa nouam velut induisse faciem videatur.

XVI. TROPOEÆ præferoci ingenio iuuenis & in omnem licentiā proiectus à familiaritate Nostrorum religiosissimè cauebat, ne de immodico luxu corrigēdo prorsus audiret, & à quo interim de Nostris ad colloquium eius rei gratiâ sollicitaretur, contemptim spargebat. Sed dum Noster constanter insidiatur non desperatæ prædæ, capit, ingenti bono illius, qui nassam priùs adeò horrebat.

Patris

Digitized by Google

Patris enim oratione fracta sensim est exultantis adolescentiæ proteruitas: ascribitur Sodalitio B. VIRGINIS, vniuersæ vitæ maculas accuratâ confessione delet, cunctisq; admirantibus, eo quo superstitauit mense, pudicos ita mores coluit, vt sperandum vtique dederit, se breui consumatum explèsse magni temporis interuallum. Aliud in alio statuere placuit exemplum diuinæ iustitiæ. Hic Sodalitij transfuga, cùm gregales sibi asciuisset grassatores & sicarios, à lictoribus in eo comitatu deprehensus exitu dissimiliore, quàm initia spoponderant, luit suspendio suam defectionem.

XVII. MASSÆ exædificata hoc anno ambulatio & turris; illa ad habitationem laxandam, hæc ad arcendos impetus excursionésque Turcarum; & supputant impensos vtrobique ter mille aureos.

D PRO-

Nouem in hac prouinciâ domicilia aluerunt Socios ducentos quinquaginta duos. Naturæ cessit vnus: plures Nostris accesserunt.

	Vniuersim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholast.*	*Adiutores.*
Profes. Dom. Genu. incoluerũt.	XXXIV	XIIX.			XVI.
Collegium Genuense.	XLII.	VI.	IV.	XXV.	VII.
Collegium Montis regalis.	XXVII.	IX.	III.	IIX.	VII.
Nouocomense.	XX.	VII.	III.	VII.	III.
Nicienſe.	XIII.	V.	V.		III.
Taurinense.	XXXIV	XV.	IV.	IV.	XI.
Domum Prob. Genuensem.	XXXIV	IV.			III.

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
Domum Probat. Aronenſem.	XL.	XII.			III.
Collegium Vercellenſe.	IIX.	IV.			IV.

Eleemoſynæ loco egentibus impetrati aurei mille.
A deſperatione, atque cæde ſibi alijſvé inferendâ abſterriti ſeptem.
Diſſidentium animorum motus compoſiti vicies ſepties.
Mahometis aliorúmque errores deteſtati ſeptendecim.

DOMVS PROFESSA, COLLEGIVM, ET TIROCINIUM Genuense.

I.

IN PRIMIS FRVCTIBVS NVMERARE solita est Genuensis Professorum domus, quòd ex ijs, qui triremibus attinentur, septem Mahumetanos, vnum Hebræum, tres Apostatas hoc anno ad CHRISTI gregem perduxerint. Quidam ex captis mortis sententiam iam acceperat, quo tempore maximè miserrimum illud genus hominum insanire solet. Itaque cùm in eo iam statu res esset, præoptauit reus sua, quàm aliena manu mori: vitrum, quod in ipso carcere fors dederat, sibi applicat, venámque incidit. Currente sanguine duo sese homini spectandos exhibuêre, hinc Cacodœmon, inde S. Franciscus. Ille quidem felicem eam incisionem venæ esse iussit, facinúsque collaudauit; hic verò sceleris eum acerrimè incusans, claudere vulnus, sanguinem iuxta animámque seruare præcepit. Adest opportunus sub hæc Sacerdos noster, venā obducit,

Digitized by Google

ducit, salutarem pœnitentiam suadet, quæ tandem totius vitæ noxas absterserit. Magni deinde motus à Concionatore nostro facti; quo aliquando pro sacrarum Virginum inopia subleuandâ perorante, ita liberalis viri nobilis animus perculsus est, vt mille aureos in eum finem contulerit.

II. INVIDIÆ tela Collegium non segniter oppugnarunt, copiosámque malenolentiæ fluctus incolis patiendi præbuerunt materiam. Nec omnino alienum videatur à vero, si dixero, Genuense Collegium in tam celebri Italiæ emporio adhuc à sexto anno peregrinari, cùm fuerit opus nunc tertio cum domicilio solum mutare: ita vt pro omni censu esse debeat, quod non cesserit fortunæ, vtpote conductum ad tempus dũtaxat, & in quo certas sapiẽtia sedes non habeat. Logicæ classis reuocato tandem scholarum labore Academiam auxit.

III. IN SVBVRBIIS Christianæ doctrinæ vsum pœnè aboleuerat negligentia: huc generosus è Tirocinio iuuenis ventitare consueuit, puerósq; pariter ac senes ad Catechesin inuitans magnam in triuijs & viarum angulis coëgit multitudinẽ. Eum docentis Tironis ardorem, illam populi audientis pietatem ferre non potuit improbus quidam parúmq; modestus homo quin etiam procaciter illudere, atque ea sancta, quæ à Tirone audierat, per iocum & ludibriũ profanare: adeò nihil salutare non modò ad animum, sed ne ad aurem quidem admittebat obstinata mens. Verùm non diutius impunè ludebat, quàm dum

Digitized by Google

luceret: nocte enim subsequente repentino casu miserè afflictus, sacrísque omnibus destitutus iocandi pariter & viuendi finem fecit. Euentu tam miserabili perterriti ceteri, mirum est, quanto studio & frequētia ad cœlestem doctrinam accedāt, vt aliam prorsus faciem ipsum oppidum videatur velle induere. Vel ianitoris etiam nostri pietas & industria ad id multùm iuuat. Dum enim solitam in pauperes eleemosynam elargitur, meminit *non de solo pane hominem viuere, sed in omni quoq; verbo diuino*: proinde eā plebeculam illam solertiā erudiuit, vt intra paucos dies non esset, qui capita ad salutē necessaria non scitissimè recitaret. Eò deinde factū quoq; est, vt concio in nostrum templum fuerit deducenda, ibíq; cum auctoritate instruēda. Ingentes diuitias nacti videntur sibi ij pauperculi, DEOq;, quas possunt, gratias agunt, quòd ingraueſcente iam ætate in tam opportunum inciderint doctorem. Terni de more paupertatis experiundæ peregrinabantur Nouitij, atque in ipsa via pijs colloquijs obuios quosque itineris comites ad sanctius vitæ genus amplectendum, ad condonandas iniurias, ad generalem peccatorum expiationem, ad alia salutis studia sollicitè hortabantur. Audijt hæc inter alios Cyrnæus miles acres inimicitias iamdudum profes-sus, atque in hæc verba prorumpit; O *amici per vos tandem veritati succumbo, ideóq; ex hoc iam tempore coram DEO, Beatissima VIRGINE vobísque simultatem omnem penitus depono.* Præstitit non tantùm hoc, sed profuso lachrymarum imbre

imbre peccata quoque cetera per Confessionem expurgauit.

COLLEGIVM MONTIS-REGALIS.

IV. EST hæc ciuitas vt amans Nostrorum, ita emolumentorum quoque qualiscunque industriæ nostræ percupida. Vnde quò maior alatur in Collegio Nostrorum numerus, pluréſq; Philosophiæ docendæ adhiberi possint, ad ceteros reditus adiecit hoc anno de publico ærario aureos ducentos quinquaginta, eósque perpetuò voluit esse annuos, eà lege, vt & à R. P. Generali nostro Philosophiæ curriculum perpetuò stabiliatur. Cum hac ciuium liberalitate, vt par erat, certârunt Nostri, superârúntque vota, cùm non solùm Philosophiam, sed & Theologiam, quæ mores spectat, explicare aggressi sunt, ea in re gratificati præcipuè Episcopo, qui suo clero expetierat hanc prælectionem.

V. AD PRINCEPS virorum scilicet nobilium Sodalitium iam sunt quodammodo reserati aditus frequentissimæ nobilitati, sublatâ nimirum stultâ opinione, quæ in hac vrbe serpebat, eóque latiùs manabat in dies; Congregationes fermè instituras ad corrogandas pecunias: ita nihil tam sanctum inuenire potest religio aut instituere, ad quod euertendum, venenatæ maleuolorum linguæ non elaborent. Inter alios, qui huic nomen dederunt,

Digitized by Google

fuêre ciuitatis duo oculi, Episcopus & Gubernator. Ille parentem verè se gerit, dum Congregationis, cui semper auctoritate fauet, præsentiâ subinde suâ auget numerum: hic vero lachrymas omnibus elicuit, cùm flens ipse, atq; in genibus sedens, sacro VIRGINIS ab Angelo salutatæ die conceptas preces coram Episcopo, quasi ephœbus puer recitauit vir grandæuus, nec nisi in castris stare, atque arma tractare doctus.

VI. PIETAS huius ciuitatis vniuersim magna in B. nostrum IGNATIVM est, qui quidem non sinit gratis se coli. Inciderat in morbum vir nobilitate clarus, nullâque erat spes conualescendi: adhibentur incerta hominum remedia profectu nullo, dum certiora tandem à B. Patre nostro impetrata vim morbi fregêre. Ita beneficium hoc virum occupauit, vt è vestigio cubiculum suum peristromatis exuerit, eáque ad cultum sui liberatoris templo nostro dedicârit.

COLLEGIVM NOVOCOMENSE.

VII. MAXIMAM partem Diœceseos cum Reuerendissimo vtilissimè inuisêre patres Nouocomenses, quâdo tribus cum eodem profectionibus Sacerdotes duo duodecim millium hominum confessiones audiuêre, & in ijs multas, quæ vniuersam vitam complectebantur, vt alia vniuersa in calamo relinquam, quæ fuêre non minùs fructuosa, quàm laboriosa.

IIX. VIXIT è Socijs vnus, P. Carolus Carlantinus

tinus indefessus senex cuius lachrymis non paucorum sanè sceleratorū indurata pectora emollita denique liquidas veri doloris significationes frequenter dederunt. D. Ambrosij discipulum dixisse, quem in eo virtutis genere ad miraculū excelluisse ferunt. Animi demissionem pariter & celsitudinem mirè Carolus copulauit. Quidam die festo percelebri inimicum rotato sclopo alijsque instructus armis pro foribus templi præstolabatur ad necem, nemine concepti sceleris conscio. Ad id templum supplicatum veniebat P. Carolus, hominémque conspicatus vultu cerbereo pallidóque, sic alloquitur; *Quid tu hic spectas miser? quid meditaris infelix? veni, sequere.* Cum dicto hominem apprehēdit manu, & *confitere*, inquit, *de peccatis tuis.* In amentiam pœnè armatum illum dedit improuisa ea consiliorum suorum proditio: tremebundus tamen ductorē sequitur, confitetur, inimicitias soluit, & quod P. Carolum diuinitus planè huic negotio interuenisse docet, Religionē ingreditur, in quâ hodiéq; piè viuit, factúmque, vti narratum est, cōmendat. Superstes est adhuc vir pietate & prudentiâ iuxta clarus, Medicus huius vrbis, qui palàm prædicat, duobus adolescētulis filijs suis desperatâ valetudine decumbentibus venisse bene precatum P. Carolum, quod cùm ipse ritè fecisset, cœpisse pueros meliùs actutum habere, breuiq; cōperta omnino valetudine consurrexisse. Hæc verbis potuit & precibus, demissione animi tantundem. Cùm ægrotos ex officio inuiseret, Medicus periculosè decumbentes monere

Digitized by Google

identidem solebat, preces vti à P. Carolo pro dubia valetudine expoſcerent. Conuenit fortè apud quendam vterque & P. Carolus & Medicus, hic ad corpus, ille ad animum curandum. Ibi tum Medicus Patrē magnificis verbis extollere; duos filios ſaluos ſibi ſuperſtitéſque dicere, precibus ipſius id DEO acceptum beneficiū referre, & ni viueret, iam tum Sanctum appellare. Omni vituperio & contemptu grauius fuit hoc amici ſincerum quidem, ſed importunum præconium homini de ſe abiectiſſimè ſentienti. Sermone igitur aliorſum verſo minitabundus edixit: *Sibi ſcilicet ipſum eum videri, in quē beneficia malè collocarentur, vt qui neſciret vti; deberi quidem DEO laudes & grates, at homini fidem, quam nullam exiſtimaret in amico, qui tacere neſciret.* Complures Noſtratium ab eodem Patre, dum eſſet in viuis, audiuiſſe memorant, cùm diceret; ſibi fortè ex viâ occurriſſe feminam, quæ maleficio grauiter afflictata duceretur ad Exorciſten; quam ille pomum, cui bene precatus erat, iuſſiſſet mandere. Id vbi feciſſet femina, mirum dictu ex imis ſtatim viſceribus cœpiſſe eiectare glomum, cui ferrum informe, claui, filum canabinum, acus calybeæ alia id genus Acheruntica arma atque inuenta forent intexta: atq; his omnibus ad ſalutaris pomi eſum eiectis conualuiſſe. Plura de innocentiſſimi viri huius ſanctimonia dici poſſent, niſi prædicationē virtutis ſuæ ſemper odiſſet. Paulò antequam moreretur, hoc vnum monuit infirmorum curatorem, vt ne illi morti vicino, & cum eâdem iamiam colluctanti

multa

multa inclamerentur: *Hoc vero potissimum velim,* inquit, *ingeminetis: (Memento Pater Redemptoris, qui peccatorum miseretur)* Morte igitur vitaq; pariter sanctissimè obità funus apparârunt Nostri, vt iustis persolutis communi tumulo conderetur. Sed is fuit populi accursus, & cadaueris religiosissimè tangendi desiderium, vt viæ, area, templum piâ illâ multitudine vndique complerentur. Itaque relato in Congregationis aulam tantisper funere, dum arca lignea pararetur, biduum post eo loco positum est, quo totos triginta annos Confessiones pœnitentium exceperat ad sinistrum templi latus, & primò ingredientibus proximum. Viuam spem pijs omnibus reliquit, vt qui olim tanto studio tantaque vigilantiâ ciuitatem vniuersam iuuit, eum suis apud DEVM precibus & meritis non minùs iam posse & velle. Quam eorum non dubiam sanè opinionem satis declarat toties perspectum desiderium, quo tam cupidè tradi sibi, & supereſſe aliquid vel de soleâ calcei præstantes doctrinâ & nobilitate viri postulauerunt.

COLLEGIVM NICIENSE.

IX. IN SODALITIVM Nobilium pius ille flagellandi sese atque in rebellem carnem animaduertendi citra omnium ferè opinionem introductus est mos; vsque adeò diuinum negotium animosè suscipiendum semper, nec vnquam despondendus animus est, quamuis dubia

Digitized by Google

dubia sint initia & ardua. Quædam mulier impotens sui, quòd falsò insimularetur stupri, nec tantam iniuriam ferre posset, vt illatam morte propulsaret infamiam, venenum hauserat, iacebátque humi iamiam moritura. Res ea defertur ad Nostrum, qui præsens potentiori amuleto per vomitum curat eijci venenum, & quà herbarum, quà verborum medicamine pristinam corpori animæque restituit sanitatem. Tres ipsos annos iuuenem operarium agebât intemperiæ; malo siquidem Genio ad sui fratrisq; necem identidem impellebatur: in ipso tamen facinore, consilio etiam voce expresso, atque ope boni Angeli minimè destituebatur; quippe cuius fides in clientem nullis in periculis vacillet. Ibat ergo iuuenis ex iugi Cacodæmonis infestatione conterritus, amenti non absimilis. Cœnaculum illi erat conductum, tenuíque interiecto pariete distinctum: pars anterior vnicâ fenestella lumen admittebat: posterior caligábat, vtpote angustior: atque hic sibi sedem locârat Princeps tenebrarum. Hinc si forte iuuenis in lucidiorem partem secessisset, suo ipsum reuocabat nomine, cúmque nihil esset eo in gurgustio præter attritam lacernam, vox impuri tenebrionis audiebatur: ac primò sonitum velut irritatæ felis stridorémque emittebat, tum clarâ voce Franciscum (hoc enim nomen iuueni erat) inclamabat. Perpetuo interim quatiebatur horrore familia tam infelici contubernio infestata, donec accitus è Nostris vnus ad minas eiusmodi & voces intrepidus vanos mali hospitis tumultus

multus exorcismis sacris sæpius instauratis sedauit, domum iuuenémq; quieti & securitati reddidit.

X. EX ILLA hominum colluuie, quæ in triremibus Sereniss. Sabaudiæ Ducis catenata remigat, Turca vnus Mahometem execratus; quatuor alij perfidiæ notà insignes fidem Catholicâ professi sunt. Sacello nostro celebritatem addiderunt sacra lipsana D. Iusti Martyris cum craneo S. Septimillæ Virginis & Martyris Româ ex cœmiterio S. Priscillæ recens huc translata. Eo applausu atque triumpho ab armatâ vrbe excepta atque introducta sunt, quo decuit licuítque immortales à mortalibus decorari. Et agnouisse DD. Martyres probasséque eam pietatem mirifica ab ipsis in populum collata beneficia declarauerunt. Nos duobus contenti rem confirmabimus. In oppido Villafranca, iuxta quod triremis augusto illo depositio læta morabatur VI. Idus Febr., Paulam Antoniam puellam octennẽ nobilis viri. N. Genuensis è Sauolorum familiâ longus molestúsq valde occupauerat morbus, erraticâ febri teneros artus depascente, nec vnquam, nisi ad interuallum, recedente. Itaq; suprema iam confecta macie puella discrimẽ mortis adijsset, nisi è gossipio, quo sacra Martyrum corpora inuoluta erant, aliquid ab vno è Nostris Religionis & valetudinis ergo accepisset. Grati parentes valentem adduxêre filiam in sacellum nostrum cum votiua tabula, & grates DEO Diuóque Martyri Iusto iustissimas egêre. Alterum beneficium fuit. In Cœnobio Virginum sacrarum,

Digitized by Google

tum, quod in hac vrbe est, cuidam, quam Angelam Mariam Seuerinam nuncupabant, totum corpus, ventré que præcipuè deformem in modum intumuerat, indurueràtq; : aquâ intercute eam laborare dixisses, ni morborum arbitri maleficas artes tumoris illius canssam iudicâssent. Cibum fastidiebat, nec nisi perexiguum admittere volebat; adeò vt nec medici ipsi iam dispicerent satis, quibus consilijs ægram adiuuarent. Morbo in dies magis magísque ingraueíscente, ea, quæ inter Virgines maxima erat, de dimittenda infirma seriò cogitare cœpit. Quod vbi resciuit Angela Maria Seuerina, grauiter commota ad glorioſum Martyrem Iustum confugit, eumque sibi patronum religiosissimè adoptauit. Ex eo statim tempore subsidere & molleſcere venter, illa è lectulo sese tollere, è cubiculo discedere, liberéque conuersari : sorores contra ruere in amplexus dulcissimos valentis, repentinam admirari valetudinem, sospitatémque congratulari : dato denique signo omnes in vnum conuenêre, & grates DEO Opt. Max. eiúsque Martyri Iusto persoluêre.

COLLEGIVM TAVRINENSE, VERCELLENSE, ET DOMVS PROBATIONIS Aronensis.

XI. VLTIMA templi pars DEO bene iuuante Taurini ad culmen peruenit, in quam insumpta aureorum millia quinque, quæ pecuniæ summa ex Sereniſſimi Ducis ciuiumque liberalitate ma-

Digitized by Google

magnam partem collata est. Suscepta hoc anno noua à Socijs expeditio in oppidum Lancei, medias inter alpes situm, felicem successum habuit. Populus doctrinam Christianam tam attentis accepit auribus, vt eam iam & vernaculo decantet idiomate, & ad sacram mensam non nisi accuratissima facta præparatione accedat.

Narrari debet, quod Bibianæ (oppidi quoque id nomen est) ita contigit. Mulier, (vt facilè deceptu est id genus hominum,) per fraudem ab Hæreticis Romanam fidem dedocta erat, quæ non difficulter ad nos se redituram affirmârat, veritatis deprehendendæ copia si fieret. Copiam fecit Noster, explosisque per solida argumenta & rationes erroribus, non eam solùm in Catholica fide firmauit, sed filios quoque vnà cum matre in nauiculam Petri recepit. Hoc aliisque Nostrorum facinoribus effectum est, vti iam nullus ferè Hæreticorum audeat Bibianam venire, ne cum Nostris in arenam descendere, adeóque cedere veritati cogatur.

XII. IN COLLEGIO Vercellensi hoc anno propter inopiam & æs alienum scholæ sublatæ sunt. Ex Aronensis Probationis Domo duo Patrum, qui tertium Probationis annum subeunt, (nam octo huius generis hîc versâtur) in Velaunos profecti sunt, vallem Pedemontani tractus totidem in Ligurũ oras: vnus cum Nouocomẽsi Antistite diœcesin illam perlustrauit. Qui Nouariẽsem prouinciam magnam partẽ obierunt, quamuis non opportuno tẽpore, (naturæ enim mes-

messis viros, feminas, teneriorémque ætatem ad opus vocabat) maximum operæ fecêre pretium. Nam præmonitus aliquot antè diebus per Curionem de Nostrorum aduētu populus, rectà ad templum contendit, pagum solemni supplicatione lustrauit, peccatorum sarcinas deposuit, tum demum ad intermissum rusticationis opus alacriter iterum accessit.

XIII. EGREDIAR ex hac prouinciâ, vbi non ignobile Tironis nostri facinus consignâro. Itare solent tradito iam more Tirones nostri festis quibusque diebus doctrinæ Christianæ rudibus exponendę gratiâ in proximas villas, & quâ sunt in omnes charitate, obuios & otiosos homines hortantur orántque, doceri ne nolint, quę Christianum scire necessarium est. Vsuuenit fortè, vt vni eorum obuius esset vir quidam animo perturbatus, & si quid facies cultúsque corporis significare poterant, præfractis moribus. Colloquitur hunc iuuenis, comitérq; ad sacram ædem inuitat; renuit ille, & instanti: *Nec precationem,* inquit, *ego noui Dominicam, nec quidquam eiusmodi, qualia vos docetis: sed quid tum postea? Tum postea,* respondet Tiro, *tu te post mortem CHRISTI discipulum futurum speras?* ille, vt videbatur incensus; *ego enimuero,* inquit, *sic censeo;* actúsque furijs Tironem malè accipit. Hic inter verbera monere, caueret etiam atq; etiam, ne in DEO deuotum hominem debacchando sibi malum accersat. *Quid ergo tu,* (subdit insanus) *Iudæum me, Lutheranum, Hæreticum, & quem non tandem appellabas?* Quid faceret iuuenis aduersum robustum virum eadem

eadem iterum atque iterum eâdem pertinaciâ mentientem? pernegaret? mendacijque argueret? stupam igni, materiam tixæ ministrâsset. Terga daret, seque in tutum fugiendo reciperet? At perstabat sententia non componendi solùm hominis, sed ad pietatem quoque permolliendi. Igitur (quod multis in virtutis palæstrâ diu exercitatis fortasse hon adeò facilè & promptum esset) abijcit se Tiro ad furibundi pedes, brachiisque decussatim ante pectus collocatis lachrymabundus orat, obsecrat, atque obtestatur, veniam det linguæ præcipiti, si quid fortè per imprudentiam in eum peccârit; nec propterea diuino se auxilio velit defraudatum: inter hæc oscula quoque pedibus figere tentabat. Titubauit ad inexpectatum hunc arietem murus, sed non cecidit: pedem repressit homo durus, sed post aliquantulam moram ad ingenium redijt. Noster verò licet à sua spe tam ferini hominis curandi deiectus, cœlesti tamen dulcedine ita circumfusus est, nunquam vt maiorem animo hausisse sanctè affirmaret.

E PRO-

Hæc Prouincia Socios habuit hoc anno viginti supra trecentos in tredecim domicilia distributos: viuere ex ijs in terris defierunt tres: plures tamen nostrum institutum arripuerunt.

	Vniuersim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholast.*	*Adiutores.*
Parma recensuit.	LXXXV.	XX.	IV.	XLV.	XVI.
Colleg. Nobilium ibidem.	IX.	IV.		III.	II.
Bononia.	XLV.	XIX.	III.	VII.	XVI.
Ferraria.	XXXII.	XVII.			XV.
Mutina.	XXIV.	X.	II.		XII.
Forum Liuij.	XX.	IX.	II.		IX.
Placentia.	XXVI.	XIII.	II.		XI.

	Vniuersim.	*Sacerdotes.*	*Precept.*	*Scholast.*	*Adiutores.*
Mantua.	XXI.	XI.	II.		IX.
Nouellaria.	XXXIIX.	IIX.	I.	XIV.	XV.
Castrum leonis.	IIX.	III.	II.		III.
Forum Cornelij.	V.	III.			II.
Fauentia.	IV.	III.			I.
Regium.	III.				

Confessionem de totâ vitâ instituerunt centum sex.
Odia & inimicitias deposuerunt septuaginta tres.
BB. Ignatij & Stanislai opem senserunt nouem.
Veram fidem amplexi sunt decem.
Cædis consilium deposuerunt tres.
Impudicos mores exuerunt quatuor.

COLLEGIVM PARMENSE.

1.

PARMÆ molestâ hecticę febre tabe consumptus Alexander Bonetius Physices auditor magnum æqui animi, atque prudentis dedit exemplum annis septem, quibus in Societate vixerat, cùm natus esset tres & viginti. Hic quantæ fuerit innocentiæ iuuenis, vel ex eo discas, quòd ille, cui vniuersæ vitę noxas ante mortem explicauerat testatus sit, eum semper à baptismo mortiferæ labis mansisse immunem. Vnum itaque hunc huius vnius casum si excipias, reliqua omnia hoc in Collegio ex voto & sententiâ successere. Quadraginta dialis ieunij tempore frequentior solito coacta concio abundè respondit laboribus: & pueri puellæque ampliùs trecenti ad sacrum cum CHRISTO conuiuium primo celebrandum, velut ad nuptias singulari quadam curâ sunt præparati. Adfuit accumbentibus Illustriss. ipse Antistes, ceu Modimperator quidâ aut conuiuij Rex, magno tum sui Sereniss. mique Ducis solatio, tum lætitiâ ingenti

genti vniuersæ ciuitatis. Singulis deinde conuiuis pium aliquod munusculum datum, ad perpetuam vel certè diuturnam tanti beneficij memoriam alendam. Eodem prorsus tempore Hebræus quoque iuuenis in fide informatus, ab Episcopo Sacro fonte tinctus, à Sereniſſimo Duce, Principéque Matrona inde ſuſceptus eſt. Nobilis adoleſcens, cui Staniſlao nomen, tametſi grauiter ægrotaret, vt confiteretur tamen, adduci nunquam potuit. Inuiſitur à Noſtro: infertur opportunè ſermo de Beato Staniſlao noſtro, ei ſe ægrotus commendat: inde iam factus tractabilior confitetur, ſubitóq; meliùs, paucis interiectis diebus optimè habuit: quod beneficiũ ipſemet medicus ſupra ſuam artem fuiſſe affirmauit. Templi denique noſtri magna à beneficis habita eſt ratio. Accepit illud thecam illuſtrem aliquot B. ALOYSII oſſibus aſſeruandis: velum ſacris calicibus operiendis à D. Vrſulæ ſacris Virginibus donatum; eſtque ob artem pretiũmque centum minimùm aureis æſtimatum: pallium ſuggeſtui ornando aptum. Iacta præterea ſunt fundamenta Sacelli noſtro templo contigui, quod liberali Vrſulinarum Virginum pietate, opere peruenuſto ac pretioſo, conſtituitur.

II. IN COLLEGIO adoleſcentium nobilium, quod in hac etiam vrbe floret, multi accuratis rerum diuinarum commentationibus excoluêre animum, inſtituto generali totius vitæ examine, eoq; Sacerdotis iudicio poteſtatiq; permiſſo: ſingulis contemplantium decurijs Noſtrorum,

Digitized by Google

singuli præerãt, dum & ipsi in eodem sese genere exercerent. Vnus ex Alumnis Collegij (numerãtur eorum hodie quatuor supra sexaginta) Societatis nostræ ingrediendæ percupidus, cùm ex duplici tertianâ grauiter admodum laboraret, post votum B. P. IGNATIO & S. Bertoldo ritè nuncupatum, breui conualuit. Idem deinde pestiferâ sanguinis dysenteriâ pœnè absumptus, Beati STANISLAI ope, cui itidem vouerat, eâdem horâ, quâ signum eiusce voluntatis suæ in ædem nostram ad Beati imaginem deferri iussit, recreari se ex morbo sensit, & viginti quatuor horarum spatio, stupentibus vnà cum medico vniuersis, incolumitati est restitutus. Quibus beneficijs diuinitus concessis, quid aliud voluisse Beatos nostros putamus, quam adolescenti optimo viam sternere ad Societatem? Certè cùm hic ipse adolescens admodum sollicitè & anxiè secum perpenderet grauissima impedimenta, quibus se teneri videbat, quo minus propositum suum exequi posset: & inter alia facilè animaduerteret, parentem, à quo tenerrimè amaretur, inexorabilem fore; repentè præter omnẽ expectationem nũcium accipit, vixisse parentem. Collegit se tantisper ad inexpectatum nunciũ orbus filius, coniectisq; oculis in proximam CHRISTI è Cruce pendentis effigiem, eam suauiter amplexans, oreq; ad lateris vulnus amantissimè applicato: *Nunc demum*, inquit, *Domine mi omnibus expeditus curis me tuæ manciparé potero seruituti.* Atque vbi DEO se totum obtulit, eiúsque se commisit voluntati, vitâ quoq; functum

ctum parentem commendare cœpit, illud interim sæpius iterans; *Fiat voluntas tua.*

COLLEGIVM BONONIENSE ET FERRARIENSE.

III. Et scholæ Bononienses domi solito frequentiorem habuerunt auditorem; & foris ab vno maximè Sacerdote laboratũ cum fructu est. Quatuor ab hæresi reduxit, à cæde reuocauit aliquos, libros obscœnos plurimis è manibus extorsit, alia omnia ex sua superiorúmque sententia accuratè præstitit, ob quæ in eiusmodi expeditiones operarij Societatis mitti consueuerunt. Quid patria, sanguis, prauorúmque Sociorum nimia familiaritas in animis iuuenum efficere soleat, vnius exemplo demonstrare non fortasse importunum fuerit. Iuuenis claritate generis, ingenij acumine, morúmque integritate præcellens post diuinam dulcedinem in nostris Sodalitatibus prægustatam, in patriam abierat, vbi minus cautè, vt est hæc ætas improuida, libertatis blandimenta secutus, eos breui mores induit, quos habent, qui nullius frugi esse cœperunt. Bononiam vbi reuertit, incredibile dictu est, quàm præfractè obstinatéque restiterit omnibus, quotquot salutaria tam grauiter ægrotanti suadere conati sunt. Actum videbatur de salute iuuenis, nisi Deus cuidam è Nostris medicinæ faciendæ modum suggessisset. Sanctè affirmauit ille audiente adolescente, quot se diebus grauem voluntariorum ver-

Digitized by Google

berum pœnam subiturum, donec is depositâ peccatorum sarcinâ ad antiquos mores rediret. Parum alter tum quidem cõmoueri visus, adeò pertinacia hominem inuaserat: verùm nonnullis interpositis diebus patrem ipse monet, ab illâ tandem sui castigatione innocenter pro nocente susceptâ desistat, in eius se velle potestate esse, & peccatorum graue iam onus deponere paratum. Et volebat ille quidem, sed fascino nescio quo retroagi videbatur ambiguus. Deniq; victa difficultate ad salutare tribunal accessit, confessusq; est tanta cum vi lachrymarum atq; singultuum, vti Sacerdos iudex, (cuius etiam pedes reus deosculari tentauit) admiratione defixus obstupuerit. Postridie diuino refectus epulo, amaras illas pridiani doloris lachrymas in dulce iucũdissimæ pietatis vinum sensit esse commutatas. Patri verò, cuius industria & charitate id boni cõsecutus erat, gratias agere maximas non oblitus est; lætus se recepisse apud alienos, quod apud suos domi perdiderat.

IV. FERRARIENSE Collegium vnà cum reliquâ ciuitate multis longisque morborum afflictationibus extremo Augusto exortis vexatum est. Ægrotauêre domi nostræ quindecim, plerique ad vitæ periculum, quod nec facilè, nec citò euasêre. Sed vt nullum incommodum sine commodo, obtulit hæc morborum frequentia hominibus nostris magnam domi foriſque exercendæ charitatis materiam. In quotidianis ministerijs omnia pœnè solemnia, præter Hebræos aliquot, ad baptismum eruditos: ex ijs mulier

Digitized by Google

mulier in fide, in quâ fluctuabat, confirmata: alia in monasterio collocata, magno illarum Sanctimonialium plausu. Episcopo annuente pueri in Christiana eruditione recensiti, ad quinquies mille per vrbem rectissimo ordine processerunt, multis antiqui nouíque instrumenti historijs repræsentatis.

V. SACELLVM in ædeno strâ B. P. IGNATIO dicatum sic in tempore absolutum est, vt primum in eo solemne sacrum celebrari potuerit pridie Calend. Sextiles. Huic simul & concioni interfuit Illustrissimus Cardinalis Spinula, Magistratu ac primoribus ciuitatis piè ac hilariter subsequentibus. Ac Magistratus quidem cereorum fascem pridie miserat ea lege, vt postridie aram Beati illustrarent. Quod ciuitatis studium in eundem nostrum parétem crescere quotidie facilè cognoscitur, tum ex magno Anathematũ, quæ ad eius imaginem pendent, numero; tum ex frequenti multitudine conueniétium ad preces in eo Sacello fundendas, vel etiam ad sacrificandum; ex eorum deniq; testificatione, qui asseuerant, insignia se hoc pietatis studio beneficia diuinitus accepisse. In his minimũ quatuor implorato Beati patrocinio repentè se sensère grauibus morbis liberatos. Marchio Gualengus cùm in periculosam incidisset febrim, tum proprio consilio, tum coniugis hortatu vouit ædificaturum se B. Francisco Xauerio Sacellum Ignatiano geminum, ex alterâ scilicet templi parte respondens; idque suum votum, siue conualesceret, siue è vitâ migraret, voluit esse ratum.

Digitized by Google

Liberalis promissio liberalem habuit mercedem, valetudinémq; meruit accipere, qui etiam pro perditâ sumptus facere decreuit.

COLLEGIVM MVTINENSE.

VI. FRVCTVS ex scholis, qualis è duabus haberi potest, in hoc Collegio fuit is, quem etiam ciues suspiciant. Schisma errorésq; patrios dedoctus est iuuenis quidã Græcus, Byzantio huc nescio quo consilio profectus. Femina clarissimis orta natalibus sæpius à Cacodæmone infestata ad corpus D. Geminiani huius vrbis patroni producta erat, vbi energumenis alijs non rarò contra iniquum possessorem reperta vis & auxiliũ. Post longum & difficile certamen, in quo ad multam noctem plures robustissimi homines eam retinendo compescendóq; fessi laborârunt, tandem pessimus hospes sacrorum Exorcismorum vi adactus, palàm fateri cogitur se victum, sibíque seu volenti seu nolenti esse recedendum. Antequam exiret, nocte scilicet ipsâ, quam insequitur dies Beatissimæ VIRGINIS, confessus est expelli se à tribus; DEIPARÆ, GEMINIANO, IGNATIO: quem IGNATIVM mulier illa singulari studio demerebatur. Itaque hospitium reliquit, eóq; migrauit infelix orci incola, vnde profectus erat: quod apertè significauit bona corporis secuta valetudo, aliáque manifestissima argumenta, non sine magnâ admiratione pietatísq; incremento multorum illustrium virorum, qui tantæ rei fuêre spectatores.

VII. TEM-

Digitized by Google

VII. TEMPLVM nouum ad culmen peruenit materiâ & auxilia pio promptóq; animo subministrantibus amicis. Prope illud locus extruêdo Collegio aptissimus in possessionem & ius nostrum venit, qui æstimatione factâ numûm aureorum sex millium summam ferè conficit. Locum illum occupârant ædes prædiuitum Iudæorum, quas adepti sunt Nostri fauêre Sereniss. Duce, qui auctoritate sua omnes difficultates egregiè profligauit & vicit. Idem accidit cum quodam stabulo & impluuio principum quorundâ ciuium, quod erat in medijs ædibus peramplum. Quibus vtique ex rebus alijsque id genus non paucis facili negotio perspicitur, quantopere Sereniss. hic nostræ Societati & Christianæ rei ac religioni prospiciat: qui & nullum alium Quadragesimæ tempore Concionatorem admittit vel audit, quàm Nostrum. Quin aliunde quoque diuinæ beneficentiæ Societas cordi fuisse animaduersa est. Nobilis eques, qui pro suâ pietate Sacellum in nouo templo sibi petierat constituendum, è vitâ decedens adopus absoluendum ornandúmque Collegio aureos legauit sexcentos: trecêtos alios virgo quædam nobilis ad noui Collegij exædificationem. Vestium pretiosarum pro Sacerdote, altari, tabernaculo non exiguum fuit pretium, elegantia magna.

COLLEGIVM FORLIVIENSE.

IIX. INEVNTE anno migrauit è viuis in hoc Colle-

Digitized by Google

Collegio P. Ioſephus Tita, Bononienſis, Coadiutor ſpiritualis, quadrageſimo tertio ætatis ſuæ anno. Nouellariâ huc miſſus erat valetudinis cauſsâ, quòd ſperaretur loci aëríſque mutatione reſpiraturus, cùm aquâ intercute grauiſſimè laboraret. At ſalubre cœlum dum quærit, ſanè reperit: omnium ſcilicet ſaluberrimum illud, in quo nemo ægrotat, nemo moritur; ſed nunquam finitis temporibus viuitur beatè. Vixerat in Societate annos plus minus viginti ſex; è quibus nō paucos humaniores litteras docendo, Confeſſarij Miniſtríque munera obeundo inſumpſit, clarâ ſemper magnarum virtutum ſignificatione. Verùm hic ad domum potius Nouellarienſem pertinet: ad hoc autem Collegium Ludouicus Bitius Foroliuienſis, rerum domeſticarum formatus adminiſter, annos natus ſeptuaginta quinque, è quibus quadraginta è Noſtro inſtituto vixit. Simplicitatem præſe tulit, & pietatem prorſus ſingularem: precandi autem ſtudio excelluit, quam qui maximè; vt meritò magnum ſui deſiderium moriens reliquerit.

IX. CONCVRSVS hominum ad ædem noſtram ſolet eſſe frequentiſſimus: & quamuis Concionēs Quadrageſimæ Aduentúſque Domini temporibus in primum vrbis tēplum tranſlatæ ſint, gaudent nihilominus eodem, vel etiam maiore fructu. Ad puerilem ætatem Chriſtianis inſtitutis commodiùs erudiendam, inductus tādem in morem eſt, Auctore Epiſcopo, (qui multùm noſtrā opera & libenter vtitur) libellus Cardinalis Bellarmini à Clemente VIII. publicis litteris,

Digitized by Google

teris Diœcesibus commendatus, cuius adhuc iustas ob caussas hac in vrbe istóq; in templo vsus non erat. Inter cetera huius exercitationis emolumenta vix aliud magis placuit ciuitati, quàm institutio deductióq; solemnis puellarum duodecim annos habentium (nam pueri in proximum annum reiecti sunt) ad SS. Synaxin in æde nostra primò percipiendam, qui deinde puellarum grex in quandam velut Sodalitatis formam collectus est. Et opificum Sodalitas (quæ quarta hîc est) cum primùm se Romanæ aggregatam per nuncium accepit, Sodalitati quoque doctrinæ Christianæ sese adiunxit ad perpetuum subsidium pro viribus illi præstandum. Quod prudentissimo huius prouinciæ legato summopere probabatur, illud fuit: ab vno è Patribus nostris non dextrè minùs, quàm constanter adnitente conciliatam stabilitámq; pacem inter duos illustres huius vrbis familias, quæ totam pœnè secum distrahebant ciuitatem, non absque graui vtriusque factionis incommodo, grauiori éq; discrimine, si conciliator pacis defuisset. Collegio ad annuos reditus accessêre aurei sexaginta.

X. SVB VERIS FINEM Sacerdotes duo in diuersa huius Diœcesis loca erudiendorum populorum gratiâ sunt profecti: tres alij postmodum in alia Illustriss. Cardinalis Aldobrandini subiecta potestati extra Rauennatem Archiepiscopatum ad alpes. Dici vix potest quot & quantos laborum suorum manipulos ex Cõfessionibus, concionibus, pacificationibus, aliisque salutariter gestis in aream Domini comportârint.

Fuit

Digitized by Google

Fuit, qui dolore conſcientiæq; ſtimulis adactus, publicè coram multis peccata ſua narrare cœpit, pergere paratus, ni confeſſarius auctoritate ſua interceſſiſſet vetuiſsétq;. Inquirétibus in totam vitam ad mille aures datæ. Ad conciones verò tanta venientium vis fuit, vt in pratis nonnunquam dicendũ fuerit. Quadam die Concionator de morte accerrimè diſputauerat, inſtiterátque vehementiùs in inculcãdo quotidiano atq; aſſiduo moriendi periculo: iuuit hæc dicentem ſeu caſus, ſeu quod fieri potuit, extraordinaria quędã diuinæ ſeueritatis facta ſignificatio. Eodẽ enim die, quo hæc diſſerebãtur, ex auditoribus quidã, dum piſcatur in proximo flumine, repentina inundantiũ aquarum eluuione multis inſpectantibus, opémq; ferre impotentibus, miſerandũ in modum obruitur; efficax ceteris ſpectaculum factus ad nouiſſimæ concionis ſenſa multò quàm antea magis longéq; firmius menti imprimẽda.

COLLEGIA PLACENTINVM ET MANTVANVM.

XI. ARCI PRÆFECTVS Leolazarus Haller in hoc Collegio ſupremum ſpiritum DEO reddere voluit; vir Societati noſtræ, vt reipsà declarauit, longè addictiſſimus. Nam poſtquam ea ſemel cognita perſpectaq; illi fuit, totum ſe ad noſtrã conſuetudinẽ adiunxit, nihil prætermiſit, quod vel ad aperiẽdum nobis animũ ſuum, vel ad noſtram ſubleuãdam inopiam pertineret; vt planè diuinitus in hanc vrbem Societatis bono è Belgis miſſus

missus videretur. Liberalitas eius in nos tanta fuit, vt ad vicies HS. partim viuens in nostros vsus transferret, partim testamento moriens relinqueret; plus relicturus, si plus ipse possedisset. Eius cõtinua prope cum Nostris familiaritas pertinuit ad multa. Nam & improbos & maledicos ipsius auctoritas à linguæ licentiâ improbitatéq; continuit, & homines intelligere cœperunt, lõgè aliam esse nostram viuendi rationem, atq; inuidi & maleuoli iactarent. Magna igitur breui tempore cùm in plebe, tum in ipsâ nobilitate animorum perperam de nobis sentientium facta mutatio est. Ædificauit nobis Collegium eiusmodi, quo pulchrius, descriptius, commodius tota non habet prouincia. Quod ille opus dum vrget, simul & illud cogitat, quemadmodum domui nostræ instituto eorũ, qui humanioribus litteris imbuẽdi sunt, idoneus paretur census, vt eâ ratione Nostrorum opera eiúsque vtilitas ad plures permanare possit. De hoc igitur negotio cum Patribus ille sæpe communicare, multa vtiliter suggerere consueuit, facilè vt appareret, optimum virum in summa etiam rerum omnium inopia omne suum studiũ ad laxandas Collegij reiq; familiaris angustias, & ad pios Nostrorum conatus adiuuandos contulisse. Nec verò satis habuit bene de nobis, dum in vita fuit, mereri; in ipsâ etiam morte, quo erga nos animo esset, testatum esse omnibus voluit. Ineunte vere, cùm febris, quâ tentari biduo ante cœperat, nihil remitteret, quasi præsagiente iam propinquum vitæ exitum animo, deportari se ad

se ad nos imperauit; videlicet vt quorum non modò beneuolentiæ, sed etiam precibus plurimum tribuebat, inter eos potissimùm (id quod multis iam annis ante statuerat, optárátq; semper) animam efflaret. In Collegio igitur amicissimè, vt decuit, à Nostris exceptus, benignissimè habitus, patientissimè mortuus est. Cadauer viuo similius homini, quàm exanimato visum: dixissésq; animũ æternæ vitæ radios ad socium corpus transmittere. Quamobrem incredibile memoratu est, quantum sui desiderii apud Serenissimum Parmæ Placentiæq; Ducem, cuius Arci præfectus erat, quàm gratam memoriam apud Nostros vniuersámque ciuitatem reliquerit. Hæc de tam bene merito Societatis amico meminisse decebat: nunc reliqua perstringamus.

XII. CVM FRVCTV posita opera est in compluribus licentioris vitæ hominibus: & ex captiuis Cingari (vt vocant) tres auditi de tota vita, iterum ac sæpius palàm professi, quando tam benignũ Dominum tam grauiter offendissent, se lubenti paratóque animo supplicium laturos. Difficiliùs eadem moriendi alacritas impetrata ab alio, sed impetrata tñ. Hic cùm initiò ab omni salubri consilio abhorreret, neque vllam, licet iam perituris, salutis suæ curam rationémq; admitteret, tandem recitatis pro eo litanijs dedit manus, excussóque peccatorum onere mortem promptè alacriterque suscepit.

XIII. TRIBVS SODALITIIS, Opificum, Mercatorum, nobilium, accessit hoc anno Placentinæ quar-

Digitized by Google

Placentiæ quartum, quod Sacerdotes constituunt & Clerici, qui paucis diebus peruenêre ad septuaginta. In primo vt maximus numerus, ita præcipua pietas. In quarto præclara initia non mediocrem ostendunt spem. Sodales omnes, summi, medij, infimi cùm in alia pietatis opera, tum verò ad reconciliandos in suo quisque genere dissidentium animos strenuè incumbunt. Velatæ Virgines Episcopi rogatu Nostrorum sæpe aures, sæpe sermones impetrarunt.

XIV. TEMPORE quod inter anni principium & initium magni ieiunij lapsum est, Sodalitatem inchoârunt Patres Mantuani, in qua de quatuor Nouissimis fructuosissimè disserebatur. Auditores mirè pœnitebat peccatorum suorũ, quod singultibus permixtæ lachrymæ satis ostendebant: nõnulli confessiones de tota vita instituerunt. Sacellum B. IGNATII solito fuit hoc anno splendidius celebriúsq; : quod & absolutum iam, & rariore quadam auctum icone est: clausstris altare præmunitum, nobilíq; opertum pallio ex piorum munificentia. Numerus eorum, & frequentia, qui conciones nostras audiunt, maior fuit, quàm vnquam aliàs post ædem hanc nostram conditam. Sed & scholæ numerosiores factæ, aperta classe quæstionum, quæ ad conscientiam bene dirigendam pertinet. Ita ex sententiâ fluxit annus ad Martium vsque mensem, qui toti ciuitati valde funestus esse cœpit: quæ quidem causa Patres nostros in audiendis ægrotantium confessionibus moribundíq; dies noctésque iuuandis magnopere exercuit. Verum-

Digitized by Google

enimvero, quæ DEI misericordia fuit, nullus Nostris vel desiderat° est, vel grauiùs ægrotauit.

XV. VLTIMORVM genialium dierũ apparatus in templo ad bacchantiũ vesaniam compescendam institutus, magnam hoc anno habuit commendationẽ, nobiliũmq; virorũ frequentiâ fuit celebratus: quod in hac vrbe, tali tẽpore insolẽs est, & inusitatum. Quadragesimam quotidianas conciones comitati sunt sermones de CHRISTI cruciatibus, & lachrymis VIRGINS diebus Mercurij & Veneris: qua item occasione exponebatur diuini Altaris Sacramentum, & psalmus quinquagesimus musicè decantabatur.

TIROCINIVM NOVELLARIENSE.

XVI. TIRONVM nostrorum Nouellariâ reditus oppidanis & gratus fuit, & fructuosus; tum quia doctrinæ Christianæ schola multò numerosior facta est, tũ quia indigenę opinantur & dictitant, Nouellariam ornari præsentiâ illorum, eorúmq; occasione nomẽ oppidi in varias orbis partes deportari. Septimum iam annum Nostro Doctore carebant Nouellarienses: hoc toto spatio externo Præceptore, & quidẽ magno mineruali proposito vsi erant. Ergo carendo magis Nostrorũ operâ, quàm habẽdo, quanti ea facienda foret intellexère: nam & oculis ipsis viderũt & priuatim publicéq; conquesti sunt, suos liberos magnâ cũ litterarum inscitiâ & morum prauitate educari. Quare cum Nostros vehementer desideraret ciuitas, cùm primùm adesse Prouinciæ Præpositũ accepe-

Digitized by Google

acceperũt Consules, totius oppidi nomine Illust. Comitem Camillum Gonzagam suum Dominũ adiêre, eúmq; vehementer rogárunt, vt à P. Prouinciali Doctorem postularet. Nec intermisêre ipsi quoq; Consules per se idem ab eodẽ precibus cõtendere, scriptis etiam datísq; negotij promouendi gratiâ ad R. P. Generalẽ nostrum litteris. Impetratus deniq; Magister Grammaticen magnâ ciuium gratulatione docere cœpit.

XVII. ADVERSA valetudo Nouallarienses nõ minùs, quàm Mãtuanas hoc anno exercuit, multósq; eorũ exanimauit, quibus ægrotantibus solatia Nostri pro viribus suppeditauêre. Inter beneficas domûs, numerata est Illustris. Comitissa Victoria de Capuâ, quæ centum viginti aureorũ pretio rem sacram auxit. Aurei trecenti aliunde venerunt: tantúmq; nobis frumenti & leguminis donatum est, vt his diuenditis centum viginti nummorum confici possit.

COLLEGIVM CASTILIONENSE CVM RESIDENTIA Regiensi.

XIIX. DICI vix potest, quanta sit incolarũ hoc in loco erga Nostros vel beneuolentia, vel reuerentia. Primarij quique viri ad oratorium confluere cœperunt, quod hoc primùm anno institutũ est: & ad cõciones confessionémq; maior est hominũ concursus, quàm sacelli nostri angustiæ admittant. Partheniа verò Sodalitas Romanæ tandem associata numero quidem lætatur, sed

Digitized by Google

multò magis profectu adolescentium. Nobilis matrona Brixiana fundum nobis cum hortis nostris continentem mille ducentis aureis mercata est, vsufructu sibi in vitam tantùm reseruato; quod prædium magno erit huic Collegio & ornamento & adiumento. Eximium deinde fuit beneficium R. P. N. Generalis, qui caput B. ALOYSII Gonzagæ olim huius loci principis vnà cum quatuor Diuorum corporibus; Iouini scilicet, Marcellæ, & Anonymorum duorum Martyrum è cœmeterio Priscillæ huc transmisit: quo cœlesti thesauro templum nostrum aliquando ditabitur.

XIX. IN REGIENSI sede possessores legitimè cõstituti sumus ædium paroeciæ D. Gregorij. Iudex ipse ciuitatis Põtificias tabulas, quibus eiusdem curiæ Sacerdotium nobis transcriptum atque adiudicatum est, iussu Serenis. Ducis Mutinensis obtulit, idque tam honorificis de Societate verbis præfatus est, vt omnes mirarentur. Institutio puerorum in nostro templo inchoata est auspicatis principijs.

MISSIO FOROCORNELIENSIS CVM RESIDENTIA.

XX. ILLVSTRISSIMVS Cardinalis Mellinus, fori Cornelij, (quod Imola vulgò nuncupant) Episcopus, grauissimis Romę negotijs detentus, Ecclesiæ suæ, quando ab ea procul abesse cogitur, consultum voluit quàm optimè. Ac quoniam in suæ Diœcesis opis metropoli satis animorum

Digitized by Google

rum saluti prospectum erat, quam ad rem nostra Residentia opis non parum attulit, ideo non dubitauit a Generali Societatis Præposito vnum aliud saltem Sacerdotum par expetere, qui in reliquis circa locis vineam Domini excolerent. Missi ergo principio Maij Sacerdotes duo in eam partem, quæ montes spectat, ad Calendas vsque Septembres laborem produxerunt. Lustrauêre oppida tredecim pagos viginti quatuor, magnâ plerisque in locis omnium ordinum lætitia excepti. Vidisses vias instratas floribus, muros ac parietes viridantibus ramis vestitos, in templis mulieres, viros in plateis præstolantes: quorum bona pars militari habitu, sclopis, lanceis, atque hastilibus disposita, hinc inde plebis alas exornabant, non sine iucundo stupore pauperum Sacerdotum, qui baculis innixi & rustico aliquo comitante, vt CHRISTI imitatores decebat, ingrediebantur. Ad decem aliquando Ecclesiarum Rectores vnà simul obuiam Patribus processêre, conscientiam ijs aperuêre curiones viginti quinque. Cetera hominum pars pleraque, quocunque venerant, confessa est. Audierat fortè homo profanus nullisque sacris ad id auctoratus confessionem scelesti sui socij moribundi, quòd nulla Sacerdotis suppeteret copia. Is viginti circiter millibus passuum venit ad Nostros percunctatum, quid facto opus censerent? paratum se ad pœnam omnem auditis peccatis debitam, vt socio promiserat, persoluendam. Edoctus hic à Nostris est, quid consilij foret capiendum. Adolescens inter fuos nobilis capillos

Digitized by Google

ſupra frontem rectos circa tempora calamiſtratos gerebat. Vixdũ audito Concionatore noſtro in huiuſcemodi femineas illecebras vehemẽtius declamãte ad tonſorẽ aduolauit, cæſariémq; illa vna cũ criſtà demeſſuit, cuius poſt modũ imitati exemplũ æquales non pauci facinus idẽ in ſe deſignârũt. Iter faciebat vnus è Patribus aſellà vectus, quem vtriuſq; ſexús multitudo magna comitabatur. Accedit quidam eminus aduolans ad iumẽti pedes, ſuſpirijs, gemitibus, lachrymis cõfitendi copiã locúmq; ſibi dari poſtulas. Inuenit opportunũ importunitas, multitudinéq; tantiſper recedente à peccatorũ vinculis eſt expeditus. Senecionẽ item, qui tres integros annos pedẽ domo non extulerat, Noſtrorũ aduentus deſideriũque ſalutis extraxit. Virginũ in votis cõfirmationes, puerorũ inſtituendorũ in parœcijs inſtauratas conſuetudines, pacificationes, alia eiuſmodi inter cõmunia relinquo. Vna tamen præ alijs inſignis cõpoſita controuerſia eſt, duas inter familias, quorũ ſimultates totum oppidũ miſerrimè diſtrahebant. Cædes iam aliquot interceſſerant, vigebántq; apud Iudices criminationes inprimis graues. Partiũ principes cum ſuis vterq; comitibus ab vno è Patribus in ſacrariũ vocati præſente curione: qui nõita multis à Noſtro pro pace amplectendâ diſputatis adeò molleſcere cœperunt, ſublimiore proculdubio animos interius cõponẽte vi, vt mox obortis lachrymis ruerẽt in mutuos amplexus, eóſq; ſanè diuturnos: diuulſi tandem imperauere ſuis idem vt facerent, pacémq; ſtabilirent. Tum deinde ſyngraphas iniuriarum

Digitized by Google

vtrinq; remissarũ testes patri exhibuêre, cęlestiq; mensę omnes accũbentes non cõsanguineis modò suis & familijs, sed oppidanis vniuersis diuturnam gestiendi gratulandiq; caussam præbuerũt.

MISSIO FAVENTINA.

XXI. QVO DIE PAVLI V. Pontificis Maximi consensu in hac Prouincia B. P. N. IGNATII memoria festa haberi cœpta est, obijt Fauentiæ Alexander Pasius, vir genere, pietate, diuitijs pollẽs: obseruatúmq; est opportunè admodũ, eius obitum in hanc diẽ incidisse; quippe qui Societatem nostram iure testamenti reliquerit hæredẽ ex asse, ex quo aurei redeãt quotannis mille quingẽti, quãuis hodie varias ob caussas vix mille recipiãtur. Non deerãt, qui in hoc negotio reclamarẽt: sed breui sine lite omniũ consensu Nostris adiudicata caussa est: quod in primis gratũ accidit Illustriss. Cardinali Fauentinorũ Episcopo, qui eo tẽpore cùm abesset, gratulatus est nobis per litteras expectatum euentum, suóque vicario viro prudenti Societatíque non minùs studioso res nostras vnicè commendauit. Antè expedienda erunt multa ex ipsius testamenti præscripto, quàm vel mediocris in hoc nouo Collegio numerus Nostrorum alatur: facere tamen interea non potuit P. Prouincialis, quin ciuibus ac præcipuè Cardinali rogantibus, quantum quidem licuit, indulgeret. Itaque præter Sacerdotem & Socium, qui domi curet, alios quoque Sacerdotes duos concessit, qui Diœcesin nostra munera exercendo lustrarent.

Digitized by Google

XXII. EXIERVNT ij adulto iam Augusto magnâ ad hominum salutem procurandam potestate instructi in perampla eam Diœceseos partem, quæ ducit ad montes; vbi præclara passim oppida cernas, quæ partim summi Pontificis, partim verò magni Hetruriæ Ducis ditione atq; imperio continentur. Septẽ fuêre lustrata præcipua, & cum ijs Cœnobia Virginum quatuor, mensibus ampliùs tribus insumptis. Ac licet non defuerint aduersa, quibus vel iucunda, vel secunda condirentur, vniuersi tamen vsque eò beneuolis lætisque vocibus sunt excepti, vt ad auditos honoris ac reuerentiæ titulos meritò erubescerent serui DEI, quòd interdum Angeli, aliàs Apostoli, nonnunquam Patres sancti audirent. Quem motum & fructum in populo feruenti hinc conijce, quòd graues ætate homines, seriò aliquoties affirmarint, tantum tamque alacrem animorum consensum vel ad conciones, vel ad Confessiones sacramque synaxin se nunquam antea vidisse. Certè venit ea piscium sacrorum copia in rete, nõnunquam socijs vt fuerit annuendum, potestasque, quam pro se acceperant, alijs quoq; Sacerdotibus, assentiente Vicario impertienda. Erat quodam in oppido ædes Virgini MATRI dicata, hominum, vt fit, incuriâ tam obsoleta atq; obscura, vt stomachum DEIPARÆ studiosis illico moueret. Instituit in eâ concionem ipso die natali Virginis Sacerdos noster: dixit pro Virgine quantâ potuit contentione ac feruore. A Concione statim ipse ad simulachrum Virginis appendit donum auro ac marga-

margaritis præclarum. Concionatoris exemplum secuti deinceps Auditores. Sic factum, breui est vt desertum illud neglectúmque templum cœperit donarijs insigniter clarere & diteſcere.

XXIII. QVATVOR igitur pœnè mensibus decursis reuocati sunt Patres Fauentiam, propediē in alias vrbes præfecturi. Sed profectionis diem dum præstolantur, distinentur Vicarij rogatu in duabus consecratarum Deo Virginum familijs ad domesticam pacem & disciplinam renouandam: quà in re non minùs vtiliter desudatum est, quàm extra vrbem. In eo autem negotio dum Vicarius Noſtros exercet, ciuitas, ad quam bonus odor Societatis iam permanârat, tam vehementibus apud Præpoſitum Generalem noſtrum precibus litteríſque egit, adiuuante etiam Cardinali, vt Patri placuerit, eoſdem Sacerdotes Fauentiæ ad ſedem inchoandam relinqui. Itaq; ineunte Decembri ſummi tẽpli Confeſſarij publicè renunciati ſunt, & ſub veſperas ſolemnes in ſacris pœnitentiæ tribunalibus collocati tali omnium ordinum ac præcipuè nobilium accurſu, vt difficile nõ fuerit, egregiam ciuium de Societate opinionem, & erga nos charitatem intelligere: maximè cùm ille populi accurſus conſequenti deinde tempore nihil remiſerit. Quo factum, vt certum in eodem templo ſacellum Vicarius deſignârit, in quo cœleſtis panis vel intra hebdomadem poſtulantibus diſtribueretur. Ad eundem auguſtiſſimum Panem maiore cum decore ſeruandum, tabernaculum perelegans

pretioſúmque miſit Illuſtriſs. Cardinalis: qui & nobiliſſimum ſuorum Clericorum ſeminarium optiméque conſtitutum noſtræ curæ commendauit, in ijs ſaltem, quæ ad propriam ctiúſque ſalutem animæque profectum faciunt. Quam quidem curam faciliorem reddit Sodalitas B. VIRGINIS inter eundem Clerum Cardinali approbante non ita pridem inchoata, eiſdem ferè vtens inſtitutis ac legibus, quibus eæ, quæ ex noſtris Collegijs in Romanam primariam coaptãtur. Sit ergo, vt eſſe iam creditur, in æternâ beatitudine Alexander Paſius, tantorum bonorum poſt DEVM auctor præcipuus: de quo vulgò Faventini non ſine lætitiæ ſingularis declaratione iactant; *Nunc demum verè ſe perfrui Alexandri diuitijs, cùm ſub manibus Societatis hunc prouentum dedêre.*

PRO-

E ſocijs ſex & octoginta ſupra Sexcentos, qui tribus de viginti locis diſpertiti prouinciam hoc anno Luſitaniam conſtituerunt, ad meliorem, vti ſperamus, vitam ſunt profecti quinque; his ſeptendecim plures noſtris accenſi ſunt.

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
Olyſippone inhabitârunt { Dom. Profeſſ.	LVI.	XXXII.			XXIV.
Collegium.	LXV.	XXIII.		IX.	XXXIII.
Colleg. Conimbricenſe.	CCXLVI.	LII.	XXII.	CIII.	XXXIIX
Colleg. Eborenſe.	CLII.	XXXV.	XX.	LXXVI	XIII.
Portuenſe.	XIIX.	X.	I.		VII.

	Vniuersim.	Sacerdotes.	Precept.	Scholast.	Adiutores.
Bracarense.	XL.	XVI.		XVI.	IIX.
Brigantinum.	XXIV.	X.		VII.	VII.
Dom. Prof. Vlauicosan.	XII.	VII.			V.
Sedem Turdetanam.	IX.	IV.			V.
Amiensem.	VI.	IV.			II.
Coll. Funchalense.	XX.				
Angrense.	XV.				
Insulam S. Michaelis.	VII.				
Sedem Angolanam.	X.				
Guineam.	V.				

Digitized by Google

	Vniuersim.	Sacerdotes.	Præcept.	Scholast.	Adiutores.
Montem Olueti.	IV.				
Colleg Hybernorum.	III.				

Lites impeditiores expeditæ centum sexaginta septem.
Pudicitia in integrum restituta octies.
A vi defensi quatuor.
In sententiam Catholicorum iuerunt triginta vnus.

Digitized by Google

DOMVS PROFESSA, ET COLLEGIVM Olysiponense.

I.



LYSIPONE à Professorum domo cùm alijs in rebus multis, tum verò in tuenda compluriũ castimonia & fama cæteque impedienda est allaboratum. Liberali forma, sed indole liberaliori puella multis onerata promissis à procorita' se constantem præbuerat', vt repudiatis torquibus in collum iniectis *malle se diceret vitam præ fame, quàm pudorem amittere:* cúmque iterum pretio argenteisq; telis peteretur, *abi*, inquit, *cum argento tuo scelerate cupido, apud me nihil emis.* Actum erat de alterius salute, quæ grandi aureorum summa sibi furtim sublata meditabatur suspendium, nisi Nostrorũ consilia saniorem mentem illi iniecissent. Venenata potio è manib', atq; ipsis pẽnè labris extorta alteri est. Quædam iterũ ac tertiò formidolosæ altitudinis ascensum tentauit eà mente, vt è sublimi præceps rueret ad exitiũ. In ipso ascensu lux nescio, quæ in oculos incidit; oboritur inde spe-

ſpecies auguſtæ cuiuſdam matronæ candẽti veſte, decore eximio venerabilis: à quâ interpellata de ſuccepto negotio arguitur, vt Patres Societatis conueniat, docetur. Parendũ cenſuit tam liquidę ſuauiq; adhortationi mulier, gemẽſq; errorẽ ſuum Sacerdoti noſtro meditatũq; facinus aperuit, & correxit. Quidã monachus ab Antiſtitis obſequio deficere ſtatuerat, ſiue liberioris vitę amore, ſiue ſeuerioris impatiẽs: curatũ à Noſtrate ſeduld eſt, vt intelligeret imprudẽs, quantũ in rebus humanis foret inane, quá fluxa falſaq; gaudia, & in luctũ plerunq; deſinentia: cõtrà nihil eo eſſe ſecuri⁹ feliciúſq;, qui DEo religiosè ſeruiret, oneribus atq; incommodis non cederet, ad finem vſq; æquabili conſtantiq; virtutę perduraret. Retinuêre nutantem hæ aliæq; ſimiles rationes, vt⁹ totum ſe Cœnobiarchæ ſuáque omnia commiſerit ſuſcepti conſilij pœnitens.

II. ALVNTVR porro in hac domo noſtræ Societatis Sacerdotes, q Borealiũ nationũ linguas percallẽt, magno eorũ bono, q Religionis cõſtantiâ in Luſitaniâ ꝓfugi ſe recipiũt. Eorũ duodetrigintà dãnata hęreſi Catholicos ſe ꝓfeſſi ſunt. Ex his cuidam magnũ fuit illud momentũ, q ſui erroris Antiſtes tenaciſſim⁹ apud Gallos, & magnę apud omnes auctoritatis vir Catholicũ Concionatorẽ accerſierit, hęreſinq; abiurârit, confeſſus palàm, *magis ſe neceſſitudinib⁹ preſſũ, quàm veritatis ignoratione vel cõceptu, malè firma dogmata defendiſſe.* Mahumetani tres baptiſmatis lauacro mũdati ſunt. Sicarij duo pecuniâ cõducti duorũ itẽ vitâ ad cędẽ ꝙrebant. Hanc atrocitatẽ certis indicijs noſter aliquis

aliquis è Collegio Sacerdos subodoratus est: nã eius operâ non solum illi, qui mactandi erant, seruati sunt, sed ipsi etiam sicarij verso in pœnitudinem consilio redhibitâ pecuniâ resipuerũt. Eodem successu laboratũ est in corrigendo adolescente nobili, qui profligatam grassatoris vitã instituerat, vt ex latrociniis & prædâ flagitio partâ imminentem paupertatem repelleret. At postquam facinorosam illam audaciam cum ministruis confessionibus commutauit, prouisum à Nostris est, vt non tantum fœdum conscientiæ, sed & molestum paupertatis onus deponeret honestâ ratione.

E Nostris duos habuit Collegium, quos efferret: primum Emmanuelem Rodericum rei familiaris administrum, quem charitas & patientia in morbo insigniter commendauit. Alter fuit P. Gomes Vazæus ex Indijs in hanc vrbem reuersus, qui sexagenario maior quinquaginta Societati, quadraginta sex Goanæ familiæ inseruierat: vbi & quatuor vota nuncuparat; & concionandi laude vitæque sanctitate Indis proceribus mirè charus erat: de eius viri virtutibus longus esset dicendi ordo, nisi loci distantia, in quo illas gessit, & properata in Lusitaniâ mors eam nobis facultatem inuidissent.

COLLEGIVM CONIMBRICENSE.

III. CONIMBRICÆ è numerosa illa Nostrorum familia (excreuit enim hoc anno ad ducentos quadraginta sex) plures duobus (quæ Dei gra-

gratia est) non obierunt. P. Vincentij Ferdinandi Coadiutoris formati memoriam superstitem fecit impiger eius animus, neque, si per valetudinem (quâ semper incommodâ vtebatur) licuisset, ab audiendis Cõfessionibus vnquam auellendus. Id in eo obseruatum & magnopere probatum est, quòd peruigilem linguæ suæ custodiã adhiberet: & si quando licentioribus paulò verbis longiùs alij progrederentur, dexterrimè in viam reuocaret. Annos vixit vniuersim quinquaginta quatuor; in Societate sex & triginta. Franciscum Gallucium natione Italum India luxerit; quippe cui designatus in Lusitaniam contenderat. Ad insulam Chio, vbi peracto Tirocinio quadriennium versatus erat, non sine vitæ discrimine Christianam iuuentutem informauerat, ne quid tenera illa ætas, inter infectos Turcas colligeret impietatis. Inde reuersus Indicam expeditionem precibus tum à DEO, tum ab ijs, quos DEVS illi præfecerat, maioribus impetrauit. Sed diuina bonitas, quæ non tam factum ipsum curat, quàm faciendi voluntatem, euocandum censuit, tranquillóque in portu collocandum, qui tot iam pericula, & labores pro animarum salute exantlasset.

IV. SVPERSTES multitudo, quantò fuit maior, tantò fructuosiùs omnes Societatis nostrę partes expleuit. Nec publica ergastula à Collegio deserta; seu animis cõsilium, seu corporibus escam peterent: vtroque enim modo pro virili subuentum laborantibus. Ac quo se tantis beneficijs gratos aliquo modo memoréq; ostenderent er-

Digitized by Google

gaſtularij, Patronum carceris B. N. IGNATIVM elegerunt, eumque ſtatis diebus exhilarato feſtis frondibus ergaſtuli horrore ſalutárunt; compoſitis in eam rem patrio metro carminibus, quæ Beati laudes & facinora continerent. Quam religionem ſuo ſe iure vſurpare dictitabant in eius honorem, qui toties confictis criminibus in vincula fuiſſet datus, vt nimirum non ignarus mali miſeris poſtea ſuccurrere nôſſet. In eodem genere virtutis, atque in egenos afflictóſque ſtudio in dies magis magiſque excellit opificum Sodalitas, quæ nullis parcit ſumptibus, qui diuinæ gloriæ amplificandæ, leuandæque pauperum inopiæ inſeruire poſſunt. Et quò facilius aſſequatur quod diuinæ Maieſtati tantopere probari nouit, Præfectum ægrotorum creat in orbem; cuius prouincia eſt, malè habentes inueſtigare, & cùm res & neceſſitas poſtulat, opitulari. De Academicis bene merendi materia fuit ipſa noſtra domus, ad quam præcipui nominis plures receſſerunt, aſceticis commentationibus ſeſe exculturi, & totius vitæ peccatis depoſitis, perfectiorem viuendi rationem ingreſſuri. Hæc ſtudia Concionatorúmque noſtrorum gnauitas complures in Cœnobia traxit. Societatem inter alios elegerat è primâ Regis nobilitate vnus, qui dum peregrinando mēdicum agit, aſtu quodam ad coniunctiſſimi ſibi prædium deducitur. Ibi pernoctanti, ſomnóque ſe reficienti, furtim tunica religioſa altero iam dolo amouetur, eiúſq; loco veſtitus profanus ſufficitur. Expergefactus

Digitized by Google

ctus manè adolescens deprehendit fraudem, reiectísque in lubricâ occasione blandimentis, de furto & dolo conqueritur. Audit sublatam togam flammis traditam, atque in cineres iam redactam. Ergo saltem cineres illius summâ contentione exposcit, inter quos reliquias B. XAVERII sperare remansisse incolumes; quæ, si DEVS vellet, togam quoque suam sibi restituere possent. Suspexêre oppugnatores omnes hunc adolescentis animum, desperatáque victoriâ ab oppugnatione vltro destiterunt.

V. FACTVM Conimbricæ est initium hoc anno celebrandi Iubilæi quadraginta horarum, ante Cineralia: frugiferum non minus hic quam alibi inuentum. Tres pro numero dierum cõciones habitæ, quæ effrenatam bacchantium licentiam magnopere fregerunt. Quo tempore verò B. IGNATIO parenti nostro honores festi habebantur, quædam acciderunt, eiusdem Beati, vt creditur, interuentu, quæ admirationi fuêre, & saluti. Femina pedibus ægrè consistens, ægriùs inter cruciatus viuebat. Quæ cùm intellexisset à fratre Monacho, & D. Bernardi discipulo, quibus prodigijs IGNATII sanctitatem DEVS illustraret, votiuum sibi sacrum ab eodẽ, per quem talia innotuerunt, fieri curauit, idq; sub patrocinio B. illius Patris. Peracto sacrificio, ad quod lectica delata erat, melius statim habuit, & quæ prius corpus ægrum vix sustentabat aliorum innixa humeris, suis iam pedibus ad viam ipsa insistit, cunctis, qui aderant, tantæ rei miraculo obstupefactis.

Digitized by Google

Aliud ex peregrinatione retulerunt Nouitij noſtri: qui dum nobilis feminæ domo accipiuntur, ab eâdem cognoſcunt, illam familiam B. Ignatio impẽsè eſſe aſtrictam; huic religioni cauſam dediſſe beneficium ſanitatis infanti, quem medici iam depoſuerant, reſtitutæ: prolémque deinde ipſam mutato nomine, quòd in baptiſmate acceperat, IGNATIVM fuiſſe appellatam, magno cum parẽtum ſolatio & voluptate. Templum ornatius ditiúſq; hoc anno factum Cruce cryſtallinâ, decem ſtragulis ſericis, hierothecâ pyramidali viſendi operis. Sequũtur Miſſiones VI. EGRESSI ſex Noſtrorum ferijs eſurialibus Conimbricâ, varios circà locos & oppida peragrârunt. Ad Virginis domum (vulgò Dalapa nuncupatam) duo adierunt, ne inexpiati diſcederent, qui ad ſacroſanctam illam cellam nouẽdiates religiones ſuſcipiunt. Mira eſt loci ſanctitas, & accurſus aduenarum totius anni tẽpore maximus. Quia verò ædis religio maioribus ſubinde acceſſionibus creſcit, quàm vt Sacerdotum paucitas ſatisfacere poſſit, actum cum P. Rectore eſt, vt Auguſto menſe eodem è Noſtris duo redirent. Plus obtentum, quàm petitum. Inde namque operam propagârunt, qui miſſi erant, latiſſimis diſcurſibus per interamnenſes oras. Deuentum ad oppidum non ignobile, vbi primarij diuitijs clientibúſque pollentes in factiones periculoſas diſtrahebantur, ſeque mutuò ad cædem armatâ vtrinque manu deſignabant. Semen totius mali fuit mors adoleſcentis per inſidias oppreſſi, in cuius corpus barbarè profectò & cru-

Digitized by Google

& crudeliter desæuitum est: nam quinquaginta minimum deformatus vulneribus, intestina per costas ferro apertas egessit, miserabile contuentibus spectaculum. Quâ atrocitate propinquorum & parentis sensus exulcerati, indignum facinus fremebant: neque dolori huic vindictæque desiderio à viginti annorum interuallo remedium admittebant; quamuis grauissimi Pontifices Peracensis & Mirandensis ad æquas veniæ conditiones deducere eos conarentur. Ita constitutis partibus cõmissa Nostris res est, qui primò omnibus gratiæ & humanitatis officijs id agebant, vt adolescentis parentem ac necessarios ad interfecti vltionem remittendam adducerẽt. Sed cùm criminis memoriâ, cùm præsens odij malum maius esset, quàm vt dulci aut molli aliquo remedio sanaretur, à lenitate ad asperas minas versi Nostri supremi Iudicis pœnas proposuêre palàm, quæ tam dura & ignoscere recusantia ingenia apud inferos forent mansuræ. Quæ cõminatio iuncta precibus, velut ex dulci amaráque herbâ temperatum pharmacum, ita ab animis vindicandi cupiditatem absterfit, vt quãuis orbo parẽti filij recordatio lachrymas exprimeret, vltorem animum spontè abdicaret. Vtraque demum familia ad amplexus & dextras est applicita; ac ne sopiti cineres aliquando fortasse mouerentur, stabilis concordia publicis syngraphis iurata est.

COLLEGIVM EBORENSE.

Digitized by Google

VII. Dvo Nostri, dum Conimbricæ læsi pectoris coniecturâ sanguinem vomunt, opportunioris cœli causâ Eboram concedunt: sed mutatum solum est, non expectoratū malum. Decessit ergo primus Vincent. de Rocha Philosophiæ studiosus, natâ ad pietatē indole iuuenis, & morum suauitate omnibus amabilis; dignus iudicatus, cuius memoriam non ita paucis sepelianus. Mortem sibi prædixisse pro certo narratur. Cùm enim familiariter cum quibusdam ageret de vitæ huius instabilitate & fallacia, multique multa passim in illam sententiam dicerent: *Mihi verò*, inquit, *discedendum hinc breui erit; angustum mihi præfinio tempus.* Biduo pòst affigitur lecto ad patientiam ritè compositus, & conquassato importunam tussi pectore, illas Beati Xauerij voces identidem inuertit: *Non sat est Domine, non sat est.* Animi sui modestiâ & candore Medicum certè ita cepit, vt illum subinde apud externos *Angelum* dicere non vereretur, cuius memoria sibi vel libris vel alijs negotijs distento, perpetuò obuersaretur. Sic à rebus humanis abstractus erat Vincentius, vt omnem fati cunctationem odisset. Argumento est, quod, cùm piacularia sacra ipsi pro recuperandâ sanitate promitterentur; *Non ita*, aiebat, *huius ego lucis sum amator: precarij omnes sumus spiritus: illius propagationem vel ademptionem DEO committamus: vtraq; sors mihi grata est ex ipsius voluntate & decreto.* Glisscente deinde morbo admonitus, vt se pro vltimo cōflictu compararet, certò moriturus, in amplexum vocauit nūcium, atque

atque extractum è puluinari cilicium, quod aliàs à se nunquam dimittebat, pro tam optatis nuncijs donauit. Solemne habuit bis in hebdomadà cęlesti ferculo se reficere: pridie verò, quo dignior id sumeret, ab omni aliorum negotiorum tumultu quoad fieri potuit, se abiunxit: nec facilè diem elabi sibi passus est, quo non horæ dimidium, pluśvé nixis genibus in templo id ipsum sibi propitiaret. Conscientiæ progressus & regressus, collato non solùm ad dies, sed ad horas incremento, ita expendebat, vt quantùuis proficeret, deficere se conquereretur: minima adeò errata sectatus: quæ cùm vix præ tenuitate cerneret Confessarius, ipse tanquam grauia & ponderosa accusabat. Cuius rei illud sit documentum. Rogatus à quodam Nostro, cùm iaceret ægrotus; quidnam inter alia appeteret, fastidij leuandi gratiâ; veluti succensens roganti: *quorum ait, hæ lætitiæ?* si voluptas ex me exquiritur, noxas heri à me commissas libentius coràm exponam. Ex quo dicto facilè intelligitur animi illius teneritudo, quam dulcis cum DEO familiaritas in dies perficiebat. Obseruatũ est, eum finitâ colloquendi horâ post cœnam ad orationem statim digredi, atq; eam tam diu continuare, donec discutiendæ conscientiæ signũ audiret: dormitũ verò se prius non contulit, quàm Diuorum imagines singulas in pluteo, aut alijs cubiculi partibus fixas nixis genib⁹ salutâsset, & valere quodãmodo in noctẽ iussisset. Plus tñ semper piorum exercitiorum festis diebus dedit. In suburbano prædio, cùm

Digitized by Google

alij aliò distraherentur relaxandi animi gratiâ, ipse subinde deprehensus est habitu ad orationē composito: quâ sollicitudine vtebatur ad mentis cum DEO coniunctionem arctiorem. Omnem in cōgressu sermonem ad cęlestia deflectebat, neque alia ingeri patiebatur nullius vel ęgritudine vel offensione; immò cum gratia ac beneuolentia omnium, cui maximè consuluit. Bellū perpetuum suo corpori indixerat. omnibus amicus & benignus, sibi soli hostis & durus. Totum Dominici Aduentus spatium, non aliter quàm quadraginta ab Ecclesiâ nominatos dies, ieiunus transegit. Quod alij peccauerunt, ipse in se vindicari supplex postulauit. Inter alias curas, quæ animo illius dum Tiro esset, negotium magnum facessebant, vna hæc (vt ipse dicebat) erat recordatio, quòd se parùm ad vota flagris, aliisq; corporis asperitatibus attereret. Ea verò tegumenta suis ieiunijs adhibuit, vt inter communes accubitus compransoribus omnino celarentur. Sed ea virtutis est natura, vt quò magis tegitur ac supprimitur, hoc magis innotescat. Omnium Academicorum, illa vox fuit: *Quosdam Societatis Scholasticos, phthisin contrahere ex immoderato in literas studio; sed hunc ex nimiâ vitæ austeritate.* Tantùm autem integritatis illius radij luxerunt, vt in eum totius Academiæ oculi conuerterentur. Alij sermonis ponderationem, decoramq; tarditatem laudabant, alij incessum, habitúmque corporis suspiciebant: meminerant alij cum magna commendatione, quantùm eius verbis ad beatæ vitæ cognitionem impellerentur. Quæ omnia virtu-

Digitized by Google

virtutum in Vincentio noſtro teſtimonia, cœleſte portentum multò antè viſum eſt pronunciaſſe. Primâ enim die, quâ Societati nomen dedit, ante parentum oculos multa luce illuſtrata fax totam domum occupauit, huc illuc errabunda. Quod non temerè contigiſſe ab euentu interpretati ſunt nonnulli, cum non exiguus ſanctitatis ſplendor ab illâ domo in Societatem noſtram cum hoc adoleſcente videatur tranſmigraſſe.

Eandem cum Vincentio viam iniit Dominicus de Faria viginti ſex annorum, triennio apud nos Theologiæ auditor: cui licet parum firmo & valenti, inſita tamen erat Indicæ profectionis cupiditas: ideóq; Collegij pharmacopolam, medicæ rei peritum ipſe adijt perſuaſum, ſibi ſat virium animíque ad illam nauigationem ſuppetere. Addit rationibus preces, quo extorqueret ab homine ſuffragium ad minuendam erga Maiores ſuæ imbecillitatis opinionem: ſic ſe ipſo & viribus celſior, quæ ardua facere per naturæ conditionem non potuit, poſſe deſiderauit. Febri itaque ceſſit hic: Phthiſi tertius, Gaſpar Mendezius, è Caſtello da Vide vulgò dictum, oriundus. Tirocinium in morbo cum ipſa pœnè vita abſoluerat, ſeruatâ ſemper propoſiti ſui diſciplinâ. Et cùm deſperatis rebus ex medicorum iudicio, facta illi poteſtas eſſet ſanitatis gratiâ cœlum patrium repetendi; *Malle ſe*, dixit, *in Societate vitam amitterre, quàm inter ſuos prorogare*. Ex quò quàm bene ſperare de illius felicitate nobis liceat, facilè videmus.

Digitized by Google

VIII. COMPENSARVNT iacturam istorum vndecim alij omnes ferè è scholis nostris selecti. Et Eborana Diœcesis ipsa quoq; sesquianum in orbitate iacuit, interitu optimi Præsulis Alexandri Brigantini Ducis Germani; cum quo in nobis fruendis extincta videbatur humanitas, quæ tamen suffecto in eius locum Mirandæ Episcopo vires suas egregiè recepisset, nisi mors, quæ omnia perturbat & abrumpit, iterum interuenisset. Is cùm ad suscipiendã prouinciam Eboram contenderet, nihil duxit antiquius, quàm vt ad nos præ omnibus alijs inuiseret: solam Academiam excipe, eius patrocinio commissam; in qua cùm pro dignitate à personis salutatus esset, pransus apud nos, decẽ linguarum discrimina super mẽsam audiuit: ac deinde post accubitum quod reliquum erat Gymnasij, ne inuidiosus discederet, perlustrauit: ingenuè fassus, *nihil vnquam in vita tam honorificum sibi accidisse*. Sed cùm nihil in humanis diuturnũ sit & stabile, tum verò maximè honoribus breuem terminum fixit natura. Semestre non amplius spatium expleuerat Archiepiscopus, cùm triduana tãtum febri tentatus potiùs, vt apparebat, quàm vexatus, inopinatá celeritate emoritur. Quartũ ante obitum diem Natalitijs Christi ferijs perhumaniter cum Nostris traduxit. Pertraxerunt item ad nos B. P. Nostri anniuersarij, magná celebritate instituti, honores primarium huius regni Dynastam D. Ferdinandum Mascharegnam: cuius quia tenerã prolem idem B. Pater seruârat, summâ liberalitate in templo exornãdo, Nostrísq; pascendis, id beneficij

neficij sibi compensandum putauit. Atq; hic ille est Petri Mascharegnæ pronepos immortalis memoriæ, & immensi in Societatem meritis; qui Ioannis Lusitaniæ Regis olim Romę orator, Xauerium & Simonem Socios ex vrbe in hoc regnum induxit, tanto illius totiúsque Orientis bono. Quæ animi recordatio innatum alioqui Ferdinando in Societatem nostram amorem non mediocriter videtur intendere & augere.

IX. QVÆ ALIA huius Collegij restant, ea pleraque Missionibus debentur. Illud adhuc vrbanum. Quidam è rebus humanis ereptus amicum sospitem reliquerat, cui elapsa scilicet cum amici vitâ fides erat, vt sæpe contingit. Vix enim sepulto illo dolum cœpit hic machinari, quo pecuniam posset à relicta vidua emungere. Placuit itaque simulare verbísque testari, sibi vmbram demortui amici sæpius occurrere, perq; amicitiâ veterem obtestari, vt à viuente vxore nummos suo nomine exigeret ad piorum operum procurationem, quibus à purgãtis incendij pœnis eximeretur. Sed mulier, cui suspectum hominis cõmentum erat, re ad Confessariũ delata fraudẽ deprehendit, simúlq; intellexit, nihil tam sanctum aut diuinum esse, quo non peruersa ingenia, & fraudulenta in suam rem aliquando abutantur. In oppidis iam, ad quæ concionum causâ ab aliquot Sacerdotibus aditum est, multa quidem fuit rerum gestarum series, sed quæ paucis expediri possit. Duodecim supra centum inimicitiæ sublatæ, in vnico eóq; non amplissimo oppido omnes. Cùm alicubi seges diuturno imbrium

brium defectu laboraret, adeóque famem minaretur siccitas, institutâ supplicatione corporúmque pia diuerberatione tanta aquarum secuta est vis, vt iam pœnè ab aquis timeretur, quod prius ab arididitate. Et hoc quidē anno longius trans stagna, quàm prioribus huius Collegij opera se effudit, nimirum ad vsq; S. Vincentij oppidum in veteris Lusitaniæ finibus situm: in quo tametsi oppidani principiò abhorrere à Societatis moribus & disciplina viderentur, ita tamē paulatim capti informatiq; sunt, vt cùm post ferias Paschatis discederēt Nostri, eos lachrymis vbertim fusis prosequerentur, non annum integrum carituri, quantum in ipsis foret eorundem præsentia. Domi interim ad culmen perducta domus suburbana pro æstiuis Nostrorum rusticationibus, & magnifica satis & necessaria: quòd ad antiquum prædium ægritudines non rarò periculosæ contraherentur.

COLLEGIA, DOMVS ET SEDES RELIQVÆ.

X. PRINCIPES viri affinitate coniuncti de bonorum possessione disceptabant, crescentéq; lite crescebāt & iræ, cum proximo & famæ & cædis mutuæ periculo. Et iam videbatur desperata cōpositio, quòd qui gratia & auctoritate multùm apud partes valere debuissent, ij flammam opprimere nulla ratione possent. Ventum denique ad Socios Portuenses est: qui tametsi facilè viderent, quibus tantum negotium obseptum foret

foret difficultatibus ac periculis, susceperunt tamen, eo successu, qui & litigantibus ad concordiam fuit salutaris, & Nostris ad commendationem prudentiæ perutilis. Sodalium B. VIRGINIS ea hîc est fortitudo & patientia, vt eorum nonnemo secundùm maxillum immeritò grauitérque percussus vindicta facinus prosequi noluerit, eo præcipuè nomine, quòd VIRGINIS Sodalem se meminisset; quem vel ipsa iniuriarum acceptarum memoria dedeceret.

XI. TRIPLEX Bracaræ colitur Sodalitium. Primum ex tenellâ adhuc, & honestiori pueritia sanctissimis Regibus dicatum. Ex hoc veluti vestibulo ac Tirocinio probati ad secundũ promouentur, cui & grandæui quidam Sacerdotes, & dignitate venerandi adscribuntur. Tertium Sodalium chorum opifices faciunt numero ducenti: qui omnes tam seriò se dederunt cultui virgineo, vt Præsidum ac Ductorum suorũ munus absque stimulis vltro assequantur. Ad publicum carcerem à Nostris frequentius inuisum, eorúmq; humeris comportatus cibus, Collegij Rectore præeunte.

XII. IDEM à Brigantinis factitatum. Inhærebat, fœminæ acta mente violenta filij mors, omninóque intractabilem se ad condonandam iniuriam præbebat; interfectorem infimæ sortis hominem iudicio prosecuta. Africanum exiliũ reus iam meditabatur, magno rei familiaris, si quæ erat, detrimento, coniugis, prolisque luctu. Nec mater interempti quidquam de pertinaci sua sententia remittebat, quãtumuis sordidatos ante

Digitized by Google

ante se & squalentes viderer. Sed Episcopi in vrbem aduentus, Nostrorúmque consilia id demum effecerunt, quod lachrymæ prius, & lamẽta aliorum non poterant. Placata mater est, absolutus reus, pupilli ab orbitate inopiáque vindicati. Quædam alia femina inclementer nimium habita à marito, mori in flumine præoptauit, quàm cùm tam barbaro ingenio diutius viuere. Super his deliberat, & rem diuinam à Nostris factam audit. Sub ipsum tempus animo cælitus percussa Sacerdotem accersit, orat sibi aures dari, maturato opus esse. Inde animi ægritudinẽ exponit, consilium accipit, tanto salubrius illo, quanto tranquillioré, contentiorémque aduersus coniugis inclementiam reddidit.

XIII. EX LEGATA pecuniâ confectus templo est argenteus Lychnuchus, Thuribulum Villęuicosæ. Principis autẽ in Professos nostros ea fuit liberalitas, quæ nihil deesse patitur, quibus domus videtur indigere. Ibi proximo ante Christi Natalitia tẽpore fidei dogmata ita tradũtur pueris, vt proceres etiam ad interrogata comiter respondere virili quâdam (vt sic dicam) puerilitate non dedignentur. Quæ verò Aulicorũ est pestis, cùm in conuiuijs olim ac circulis passim loquẽdi materies aliorũ essent mores, & quæ iucundè influit in aures, obtrectatio: nũc modestia Nostrorum, egregia quorundam aliorũ virtus, rerumq; sacrarum cõmemoratio, in eorundem sermonũ locum immigrauêre. Alieni æris Nostris hortatoribus restitutum plurimum. Itum foras, & cuidam, qui ex viâ interceptus inflicto ad caput vulne-

Digitized by Google

valnere vitæ discrimen adierat, persuasum, ne iudicio & quæstioni facinus committeret, donatâ in eius gratiam iniuriâ, qui toties à nobis lacessitus ignoscit.

XIV. TVRDETANÆ ciuitatis in nostrum nomẽ beneuolentia inde enituit, quod nullis aliorum Ordinũ hominibus sacros suggestus aperuisset, nisi propensius æquo ciuium in nos studiũ modestia nostra temperàsset, reliquísque etiam dicendi locum meritò feciſſet. Curritur nihilominus certatim ad nos cõsilij causâ, non ab vrbanis solùm, & qui propius habent, sed è longinquis admodum locis. Præsul ipse in magni momenti rebus iudicio Nostrorum prudentiæq; multùm credit, auitæ virtutis æmulus; vt in eo proauum viuere credamus D. Petrum Mascharegnam, quem Eboræ nominauimus.

XV. AMIENSIS domus è suis primordijs nondũ excessit. Eam vero licet quatuor tantũ Sacerdotes è Nostris incolant, fatetur tñ palàm ciuitas vniuersa, exemplo ac doctrinâ Nostrorum se ex vmbrâ in veram virtutis lucem ac splendorem emersisse. Et istud à Societate acceptum beneficium alijs cõpensare certatim contendunt. Quo in certamine palmam Antistes nemini cõcedit, quem columnam certè, si non fundamentum, domûs huius dicere non immeritò possumus; quippe qui ducẽtos quinquaginta aureos singulis annis Nostris attribuat, nec cesset in dies adijcere plura, & maiora.

XVI. CVLTVM Beatissimæ Virginis ita restaurarũt stabiliuerúntq; Socij Funchalenses, nemo iam

Digitized by Google

iam vt sit, cuius lateri non hæreat Rosarium, aut corona precatoria: quam religionem auxit mirus euentus. Nobilis vir ad ædem VIRGINI erigendam ex vrbe secum abduxerat operas in siluam antiquam, vt inde robora ad destinatum opus cæderet. Cùm tota die opus feciſſent, ſub noctem ad vnum locum conueniunt quietis capiundæ. Ibi cùm eſſent, ecce tibi in ſubiecta valle faces cõſpiciunt non caſu errantes, ſed humano velut ductu alias alijs inſtantes. Mixtum admiratione horrorem ſpectaculum ciebat. Multa inter ſe (vt eſt admirantium mos) ſciſcitari, intenſius contemplari, coniectari. Dum mutuis vocibus & oculis ſic rem explorant dubij, flam̃æ altius ſe tollunt, quas hac illac manifeſta mõſtra tetrà ac portentoſa ſpecie mouebant, è quorum membris artubúſque erumpebant ignium globi cum fœditate odoris intolerandi. Tremuêre ad ſpectaculum viri; multóq; magis, cùm ſe ab vmbris identidem peti arbitrarentur. Nunquam in vita maioribus timoribus oppreſſos ſe meminerant. Ergo cùm ſe tanto periculo prorſus inuoluendos crederent, vnaq; inde cum ipſis flammis abripiendos, VIRGINEM ſuam in præſidium vocant: imploratione q; citius pœnè, faces, mõſtra, periculum omne à ſe amoliuntur. Additum hîc quoque non parum ornamenti & ſplendoris templo duobus ſimulachris: altero B. Patris Noſtri IGNATII; D. Ioannis Baptiſtæ altero, Collegij tutelaris: tum etiam, aliquot Diuorum corporibus miro artificio, pretióque exornatis.

XVII. ILLVD ASPERVM porrò Arcinarij Sabuletum

Digitized by Google

baletum in Guineâ constanter pergunt adhuc è Nostris quinque excolere: vbi cùm multi cœli lue extrema paterentur, susceptus tamen ad hoc promontorium virulentum magis, quàm viride (sic enim vulgò dicitur) cursus non intercidit. Prægressis funeribus alijs successit P. Ioan. Delgado Sacerdos æquè doctus ac pius, incredibili & Guineæ iacturâ, & Lusitaniæ mœrore sublatus, cum hîc Theologiam Nostris Conimbricensibus magno fructu prælegerit; illic virtutũ suarum vestigia vbique impressérit. Cùm in hanc expeditionem legendus esset, rogatus comiter à Maioribus, vtrum per valetudinem in istud promontorium posset transire, honestâ cõmotus irâ, & inflammato similis: *Se verò non rogandum, sed omnino mittendum esse* affirmat: *ad id ex muneris nostri & quatuor votorum,* (quæ emiserat) *professione teneri; neque de suis viribus, licet exiguis, dubitandum, multóq; minus pro suo id arbitrio decernendum.* Ceterum fuit hic vir in domestica disciplina & præceptorum ad iustam normam obseruantia omnibus exemplum; & cùm non vulgari esset ingenio, scholarum plausus & acclamationes minimè amauit. Si quo verbo inter calorem disputandi perstringeretur, nõ modò vicem non reposuit, sed neq; id grauiter ferre visus est; quòd se plerumque defixis humi oculis pro responso ad modestiam colligeret. Cùm in Eborensi Academiâ publicus Aristotelis esset interpres, illud præcipuè in eo laudatum, quòd priuatis sermonibus graues semper de virtute sententias interponeret, quibus cæteri ad sanc-

Digitized by Google

ctiora cum alijs colloquia accendebantur. In hac insulâ dum Bichongoris regem familiaribus colloquijs ad nostram Religionem vellet traducere, neq; rudem obstinationē euinceret, lachrimę illi sensim decidebant. Rogatus à Rege, quid ita fleret? *Tuam*, inquit, *duritiam & obstinationem doleo, quæ te sempiternis flammis cruciandum à cœli possessione deijcit:* immò subiecit Rex, quia vir sanctus es, ita ploras, & forsitan me citò moriturum animo præsumis. Ita breui Insulanorum occupauit mentes, vt de illius vita ac moribus nihil nisi cœleste suspicarentur. Sed mors magis sanctimoniam eius declarâsse videtur, quàm vita: varijs enim iactati morbis ac febribus, cum spe recuperandæ salutis ad eius sepulchrum confluunt; nam antque periculosum atque intestinum malum eius beneficio sublatum, quo Lusitanus quidam laborâsset. Itaque occumbente per communem luem è Nostris vno, reliqui periculis ægrè sunt perfuncti, qui laboriosum illud contubernium sustinerent, Insulæque expiationi incumberent.

XVIII. P. BALTHASAR Barreira octogenarius senex quiescere nescius ad Leænæ montis regna longissimè prouehitur, barbarorúmque Æthiopum mapalia & cauernas excutit, viámq; Euangelio facit: nec humiles tantum incolas, rudeque vulgus Christiana comitate ad mansuetudinem erudit, sed ad ipsum quoque regem penetrauit; quem Philippum appellari placuit, cùm ab ipso baptizaretur. In eo iam officiosus est rex, vt fratrem & sororem in eundem animi sensum hortan-

Digitized by Google

hortando monendóq; pertrahat. Pater interea, fermonẽ de rebus diuinis ad vtrumq; infert, omni officiorum genere laborans, quo ſpretis inanium Deorum figmentis, verũ DEVM, cœli terræq; conditorem agnoſcant. Et fratres quidem Regis exemplum ſecuti, pronas aures venienti ad ſe Patri dedêre, ſummâ cum honoris ac beneuolentiæ ſignificatione: breuíque Chriſtianis myſterijs imbuti, cœleſti lauacro ſeſe admouêre feſto ornatu ac ritu, impensè Patri gratulati; cuius inde ſtudijs mirificè capti, ſacras preces & catecheſin expeditè reddunt, & expediunt. Luſitanus, qui luſtralibus aquis abluendo regi ſponſor fuerat, horrendis ſpectris infeſtari cœpit, concito ex facti inuidiâ Cacodæmone: ſed quàm primum fraudem ſuam deprehendi, operámque eludi animaduertit infeſtator, maluit ſumptam perſonam deponere, quàm ſæpius territando nihil agere.

XIX. PATER QVOQVE Emanuel Aluarez, dum interiora huius vaſtiſſimi regni perluſtrat, vnicum Regis filium, ſceptríque hæredem ad Chriſtiana ſacra impulit idoneis antea præceptis & moribus inſtitutũ, à quibus lõgiſſimè aberat, tenaciſſimus paternorũ rituum propugnator. ſam mutato conſilio ita in rem Chriſtianam affectus eſt, nihil vt magis optet, quàm proceres omnes exẽpli ſui æmulos: & habuit non neminẽ, demolitis Idolorum aris, excitatíſq; in eorũ locum vero DEO templis. Digna res memoratu accidit, cùm præcipuâ aſtutiâ veterator (Caſis vocant) ſacris Paganis Præfectus, índignè ferret Re-

Digitized by Google

gem ad Christianos transisse. Hic vt in suis reuocaret ad Superos rectà tendẽtem Regem, pro suâ parte ita perorauit: *Auitas cæremonias, non ita facilè deserendas, earúmq; loco peregrinas ascisc endas; videret etiam atque etiam, ne quid patria ex eo facto caperet detrimenti: certissimum enim eiusdem, reiq; publicæ excidium portendi. Miseraretur proinde, rebúsque suis consilium maturum admitteret, priusquam collapsæ fulciri amplius non possent.* Hac ratione cùm Regem pœnè ad se inclinásset, idem Mahometicus Antistes nescio quibus conuictus argumentis, eundem iterum alio tempore adijt, animóque planè immutato hortatus est, *vt in sententiâ Christianæ disciplinæ permaneret; tam se agnoscere vera Christianorum dogmata, quàm falsa nosset & conficta Idololatrarum: nec vllo modo in dubium vocandam eam fidem, quam Sacerdos peregrinus prædicaret.* His dictis pretiosa munera, quæ à Rege acceperat, quasi repudiata in medium proijcit, repentinóque obitu ad Regis pedes prolapsus, nullo præcedente morbo decedit. Pauorem & formidinem excitauit hic casus, & Patri ansam dicendi dedit: *illam nempe impietatis esse mercedem, ac falsitatis exitum: contrà beatam æternitatem & nunquam intermorituram vitam eos manere, qui ad Christianos mores transirent, constantérque in incepta via persisterent.* In Regno Futumæ princeps Dynasta, hæréſque Regni à DEO occultis motibus ad capessendam fidem impellebatur: sed ille suis nimium quantum adhærens deliramentis tantò acrius resistebat, quantò potẽtiùs à cœlesti vi vrgebatur: adeò vt ægrè etiam ferret, se de Religione mu-

ne mutanda à quoquam interpellari. Cum interni isti stimuli ad frangendum hominem non satis essent, adhibuit ille, qui omnes homines vult saluos fieri, externos etiam: bella, pericula, morbos: quibus diuinæ iræ denũciationibus post multam tandem eluctationem manus dedit: neque dubitatur, ex tanto lucro magnam vniuerso regno fore accessionem.

His igitur opimis spolijs diues Barreira ad Lusitanorum emporia transmisit: à quibus ingenti gaudio & gratulatione certatim acceptus est, velut à memorabili confecto prælio reuersus victor. Apud quos dum idoneam expectat tempestatem, negotiatorum confessiones audit, Lusitanorum pariter Mahumetanorũmq; liberos catechesin publicè docet. Et hi quidem ipsimet fatebantur, se in speciem & verbo tantùm, suæ sectæ annuisse, re tamen verâ & sententiâ Christianam pluris semper feciſſe.

Digitized by Google

Aluit hæc Prouincia Socios vniuersim quingentos sexaginta octo. Excesserunt è viuis vndeviginti. In Societatem adlecti duo & quadraginta.

	Vniuersim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholast.*	*Adiutores.*
Domus Prof. Toletana habuit.	XL.				
Collegium ibidem.	XII.				
Colleg. Madritanum.	LXX.				
Dom. Probat. ibidem.	XLVIII.				
Coll. Complutense cum suâ Residentiâ Naual.	LXXXIII.				
Coll. Murcianum.	LXV.				

Digitized by Google

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
Coll. Oropeſanum.	XXXVI.				
Coll Huetenſe.	XL.				
Dom. Prob. Villaregien.	L.				
Collegium Conchenſe	XIV.				
Collegium Placentinum	XX.				
Collegium Talabucenſe	XII.				
Gollegium Belmontanum.	XVII.				
Collegium Carauacenſe	XIX.				
Collegium Almagarenſe	IX.				

Digitized by Google

	Vniuersim.	Sacerdotes.	Præcept.	Scholast.	Adiutores.
Colleg. Ocanense.	X.				
Coll. Seguritanum.	XIX.				

Lites compositæ vniuersim quadraginta sex.
Ad fidem Catholicam vocati nonaginta.
B. Ignatij precibus à varijs incommodis liberati octo.

Digitized by Google

DOMVS PROFESSA TOLETANA, &c.

I.

ROLIXA exercitus inualetudine Alphonsus Munoz, insigni q; patientia probatus, absolutissimum tam domesticis quàm externis boni viri reliquit exemplar. Lætus, hilarisque obijt: credo quòd portaret secum manipulos Obedientiæ, Orationis, aliarum virtutum: ad quarum præmia recipienda nullo modo tristi passu eundum censuit. Vixit annos in Societate sex, cùm sex & triginta natus esset. Ex reliquis, qui in domo Professâ superfuerãt, Archiepiscopi rogatu Sacerdotes duo quadraginta oppida lustrauerunt, eo populi affectu accursúque, vt non solùm Nostri, sed ne alij quidem plures Sacerdotes ad expediendam tam copiosam multitudinem satis esse possent. Exacto deinde ieiunio maiore, duos alios impetrauit Marchio Mondeiaris, qui suæ Prouinciæ oppida obirent: spe maior fructus extitit, quod agricultura & rusticatio homines ab aliâ omni occupatione auo-

Digitized by Google

catura videretur. Sed ille fuit ad confessiones concionésq; accursus, quantum præcedens Quadragesima non vidit. Tertia denique expeditio suscepta ad Daymielem oppidum celebre à Calendis Februarijs ad affectum vsque Iunium: itáq; res gesta, vt missis litteris alio rursus tempore Nostri expeterentur. Sic foris Nostri; Sodales vtriusque Congregationis laborabant domi. Quotidie vinctis omnibus necessaria subministrantur; obeuntibus id ministerij Sodalibus, per hebdomadas diuisis. Adiuti quoque pecuniâ, & vinculis exempti, qui æris alieni causâ detinebantur. Nec in postremis curatum, vt Confessionis & Communionis præcepto satisfieret: quod sanè erat perdifficile, tum ob multitudinem captiuorum, tum ob terrarum populorúmque diuersitatem. Coguntur enim Toleto ex toto Regno damnati, vt ibi expectent, dum opportuno tempore ad triremes compingantur. Præfecto Sodalitij Pueri IESV ex officio solemne est cum Medico & Visitatoribus, vt vocant, singulis hebdomadis ægrotos inuisere, atque animis corporibúsque singulorum medicinam adhibere. In his feminam offenderunt, morbo simul paupertatéque miserabilem, pro lecto paleis vtente, tanto squalore & graueolentia circumfusam, vt propterea nullum auderet accersere Sacerdotem, cui peccata exponeret. Accessit ad illam Pater, erexítque animum ad Confessionem ritè peragendam; peregit, & corpori simul animóque medicinam fecit.

Ab

Ab his ijsdem Sodalibus curatur, ne malè feriati homines diebus festis à Sacrificio absint. Sub meridiem (vndecimâ circiter horâ) in forum prodeunt, & vt propolę quoque eo die rem diuinam in proximo templo celebrandam adire possint, ipsis vices suas operámque gratis offerunt, mercibúsque vendendis mentem interea sollicitè aduertunt. Tanta iam est de Sodalium istorum virtute fidelitatéque opinio, vt & merces illis nihil diffisi libenter committant, & cum lucro à rebus suis abesse posse experiantur.

IN COLLEGIO discipulorum frequentia, pietas, ædificium, omnia denique crescunt, & priorum annorum fortunam longè superant.

II. MADRITI ministeria Societatis in regia curia fuêre & frequentissima & celeberrima, demonstrauítque Sacerdos vnus, quid ab impigro operario non longissimo tempore fieri possit; qui vnus sexaginta hoc anno Saracenorum mancipia & fidem Catholicam docuit, & Christianè viuere persuasit.

III. IN TIRONVM Domo diem supremum vidit P. Franciscus Antonius, septuaginta quinque annos natus, ex quibus quinquaginta tres Societati dederat. Fuit vnus de illorum numero, qui Sardiniam primi ingressi sunt, & in frigore ac fame, superatis multis difficultatibus ac laboribus, corruptos Insulæ mores in integrum restituerunt. Romæ Nouitiorum nostrorum præfecturam gessit; B. Martyri Edmundo Campiano à Confessionibus fuit.

Nec

Nec parum in Germania præstitit, vbi & Catholicos oratione suâ confirmauit, & confutauit Hæreticos, idque tam egregiè, vt D. Maria Augusta eum sibi concionatorem animique arbitrum esse voluerit, tantique adeò fecerit, eius vt consilijs triginta sex annorum spatio vsa fuerit. Ibidem confessarius quoque fuit alteri Beato, Stanislao Kosckæ: cui & in Religionis suscipiendæ negotio adfuit, & vt in Societatem admitteretur, litteris commendauit. Venit deinde ad Collegium Madritanum: inde ad Tirocinium, vt (quemadmodum ipse dictitabat) inter Christi Tirones moreretur. Operosum sit persequi, quæ hîc etiam tam grandis natu gesserit. Quotidie præter id, quod ipse faciebat, sacrum audiebat alterum. Flexis genibus horarias preces persoluebat; quibus & B. Virginis Officium adiungere solitus est, & eorum Sanctorum Litanias, qui ipsi quot mensibus sortitò obtigerant. Nihil tam fugit, quàm honores: labores autem vltro ambabus, quod dici solet, vlnis amplexus est. Obijt felicissimè, eiúsque funus multorum principum virorum præsentia cohonestatum est.

Adhæsit seni iuuenis Ioannes Morcillus è Tironum grege: cuius propterea fit mentio, quòd in summis cruciatibus ea fortitudine mortuus sit, qua maiorem ne in veterano quidem desideraremus. D. Marchionissa de Camarasa parens huius Domûs, mille aureos nummos designauit ad partem vineæ coëmendæ.

IV. FERVENT Complutí Concionatores nostri.

stri. Eorum fortè audito vno femina quædam ita accensa domum redijt, vt amoris singultibus, doloríque signis pro peccatis suis conceptis, finem prius non fecerit, quàm vitæ. Eodem enim morbo correpta, die excessit. Tres Congregationes Partheniæ, si vnquam aliàs, hoc anno viguêre. Qui Assumptæ Virginis patrocinio mittuntur Sodales, ij ipso suo festo maximo conuiuium instruxêre domi nostræ omnibus pauperibus, qui confessione ritè expiati priùs cum Christo accubuissent. Feminæ seorsim exceptæ in ædibus cuiusdam è Sodalibus conuenerunt. Ad militum quoque Legionem, quæ aliquamdiu in hoc oppido constitit, verba à Nostris facta peccandi licentiam multùm fregerunt, & mulierculas, quas secum adduxerant, à plurimis extorserunt.

V. NAVALCARNERI nihil pœnè agitur sine Patrum consilio: tum quia nulla ferè alia hîc auxilia; tum quia nostræ Societati ciues multò sunt addictissimi. Vnde facilè est æstimare, qui fructus fiant.

VI. SARACENORVM cultura Murciæ anno superiore cœpta respondet exspectationi. Triginta tres illorum solemni baptismo initiati sunt. E Sodalitate Partheniâ fuit, de quo commemorabo. Aberat ille incommodùm ex vrbe eo ipso die, quem Præsentatæ Virgini Sodales religiosè transigunt. Vt ergo cum reliquis obire Sacramenta domi posset, tribus stipatus comitibus viam iniit multò ante auroram. Mula, qua vehebatur, in decliui aspéroque monte nescio quâ laruâ

perter-

perterrita sessorem excussit, atque immani barathro præcipitē dedit. Exclamauit homo in ipso casu: *Adsis mihi ô sanctissima Patrona.* Non procul ab imo præcipitio aberat, cùm sensit se excipi grandi et apto spartorum velut lecto, cùm eo loci non nisi tres glumæ sparti, eæque à se satis distantes viderentur. Quare pro miraculo habitum est, quod non homo tantū illæsus surrexerit, sed nē iumento quidem casus ille nocuerit. Ter emissi in agros Nostri: semel cum Episcopo, qui quanti hanc Societatis operam faceret, Calendis Ianuarijs publicè in tēplo nostro est professus: qui cùm verba ad populum faceret, conuersus ad Nostros: *Agite*, inquit, *Patres, & his excursionibus negotio vtilissimo impigrè vacate: certóque vobis persuadete, quod & ipse teneo, hoc inter cetera ministeria Ecclesiæ Catholicæ longè esse fructuosissimum, adeóque præcipuum.* Missus est hinc, quod speratur, in cœlum vnus; Franciscus de Roa septuagenarius: qui triginta septem annis, quibus inter nos vixit, tantum sibi nominis cōparauit, vt quāuis ad ianuā tantùm curaret, vulgò sanctus haberetur. Dicere solebat, se à B. Virgine impetrasse, vt eo die moreretur, quo ipsa à cœlesti nuncio salutata Christum concepisset. Vanum non fuisse votem, factum demōstrauit.

VII. OROPESÆ humanioribus litteris & Philosophicis Mathematicæ hoc anno accesserē. Erecta congregatio noua: vt & in Hutensi Collegio, quæ ex Sacerdotibus conflata est. Atq; hinc non in vicina tantum oppida Nostri messum egressi, sed & Compostellam ad D. Iacobum peregri-

Digitized by Google

legtinati duo suauissimum vbique post se industriæ suæ reliquerunt odorem.

VIII. ACCIDIT Villaregij sub B. P. N. Ignatij festam lucem res memoria atque admiratione non indigna. Vnus aliquis de populo scalam bene proceram conscenderat, parietem mundaturus. Is cecidit lapsu tam graui, vt duarum horarum interposita mora vix tandem sibi redditus fuerit, plagámque secundùm caput acceperit grandem ac periculosam. Allatum est B. Patris syngraphum, capitique decumbentis impositum: ex quo ita breuissimo tempore persanatus est, vt & chirurgus supra naturæ vires eam curationem procuratam fuisse iudicarit, & vulneratus ipse aliud sentire non potuerit. Hoc alijsque id genus beneficijs B. Parens Villaregienses ita sibi demeruit, vt etiam inscijs atque inconsultis Nostris ipsi lampadem argenteam suspenderint.

IX. CONCHÆ femina nobilis duo argentea candelabra centum aureorum æstimatione, vir pius vrceolum aureorum triginta Nostris eleemosynæ loco addixerunt. Amantur hic à præcipuis vrbis capitibus: ipséq; Pontifex Congregationis nuper erectæ patrocinium suscepit.

X. EX COLLEGIO Placentino factæ excursiones duæ: ex Carauacensi quatuor. Talabricæ ad sacras Virgines habiti sermones cum magno fructu. Belmonti in Cathedram maximæ ædis, vnde aliquamdiu exulabat, restitutus concio-

Digitized by Google

concionator Noster operâ præcipuè Episcopi Conchensis & Marchionis Villenæ; itáque occupauit Auditorem, vt eos iam habeat patronos maximè, quos maximè priùs expertus est aduersari. Carauacæ B. Virgo Annunciata nouo Sodalitio gaudet: Almagri Præsentata. In hac quoque vrbe Nostris præcipuè fauit liberalitas piorum. Quippe Collegij dotatio hoc demum anno absoluta est. Tantum tritici donatum, quantum alendis Nostris toto anno sufficiat. Sacerdos quidam moriens testamento integram legauit sacrarij sui supellectilem; calicem scilicet argenteum, quatuor vestes Sacerdotales magni pretij, & alia id genus minutiora plura.

XI. In Ocaniensi Collegio Gymnasium nouum (quod vetus admodum ruinosum erat) ædificari cœptum: opus mille aureis promouit senatus. In templo autem nostro sacellum exædificatum est, collocandæ imagini B. P. N. Ignatij: cui pietati augendæ diuina quoque pietas non defuisse visa est. Mulier quædam graui morbo pressa, geminum vlcus in vberibus alebat, tanta sanie doloréque obsessa, vt in amentiam raperetur. Malum B. Ignatio queritur, & contra illud remedium nuncupato voto promissóque anathemate expostulat. Nec diutius optata sanitate caruit, quàm dum somno in quem post votum inciderat, teneretur. Expergefactam deinde cùm curationis gratia pro more inuiseret chirurgus, sanam atque integram cum ingenti stupore proclamauit. Illa voti damnata pro vlcerosis suis cerea duo vbera in Beati sacello deposuit.

Digitized by Google

fuit. Alius cùm grauissimis itidem tibiarum doloribus torqueretur, ad eundem medicum sibi confugiendum putauit, à quo non minus feliciter curatus, geminam tibiam ex cerâ effigiatam vna cum bacillo, quo infirmus ante nitebatur, è tholo suspendit.

XII. SODALITAS noua Seguræ capita iam numerat centum supra quinquaginta, suntque è pagis vicinis in album relati aliqui, qui duas tresve aliquando leucas pedibus conficiunt, vt ne absint eo die, quo Sodales obire Sacramenta cõsueuerunt. Nostrorum Sacerdotum aliquis vno Fratre stipatus, quinque oppida, & qui interiacent, pagos cõcionando obijt, eo fructu, vt nec ipse vnà cum loci Vicario, nec alij Religiosi auxiliares audiendis confessionibus pares esse possent: quamuis initio & spes parum promitteret, & curiones negotium susceptum pro inutili atque inani haberent.

I PRO-

Numerati sunt in hac Prouincia Socij omnino centum quinquaginta nouem. Tres ad feliciorem vitam emigrarunt. In album Tirocinij relati vndecim.

	Vniuersim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholast.*	*Adiutores.*
In Collegio Sassaritano	L.	XX.	III.	X.	XVII.
Colleg. Calaritano.	L.	XVI.	XI.	X.	VIII.
Dom. Probationis Calarit.	XXXIII.	VI.		I.	VII.
Colleg. Ecclesiensi	XIII.	V.	II.		VI.
Colleg. Algueiro	XV.	VI.	III.	III.	III.

Confessiones generales exceptæ centum octo.
Dissidia composita tredecim.
A carnis illecebris seducti sex.
A nece propriâ impediti quatuor.

Digitized by Google

COLLEGIVM SASSARITANVM ET RELIQVA.

I.

SPECTATÆ virtutis vir eximiæque in omnes charitatis, sui-que contemptor magnus P. Saluator Monachello Sassarensis Coadiutor formatus, hoc anno sexagesimum vitæ, adeóque vltimum vidit. Quadraginta annorum spatio tantum sibi nominis in Societate cõparauit, vt vnà cum D. Francisci Sodalibus in luctum procedentibus magnam vrbis partem ad suum funus traxerit; nec turba, quæ se confertim ingerebat, prohiberi vlla vi potuerit, quin vestes, aliósque ferales pannos, quibus cadauer insternebatur, pietatis gratiâ diriperet, bonúmque Patrem ad subuculam vsque denudaret. Idem ausa est in funere P. Francisci Piquez, quatuor vota Professi, qui non minori omnium Ordinum frequentiâ ad sepulchrum deductus est. Vixit annos vniuersim quinquaginta duos: triginta tres religiosus: quatuordecim Theologus,

Digitized by Google

gus, non minus litteris, quàm virtute clarus. E Collegio Calaritano elatus est Ioannes Franco Philosophiæ auditor, qui quinque in Religione annos nondum expleuerat, cùm mercedem æternam accepit. Iam inde à puero bonos mores imbiberat: quippe qui in Collegio Sassaritano quodammodo enutritus erat, ob parentis in Nostros studium, quos vir ille semper coluit vnicè. Hæc de mortuis.

II. ALIA HVIVS Prouinciæ singularia, his ferè capitibus narrari possunt. Sassaris Ludi Bacchanales Proregis edicto inhibiti hoc anno occasionem dederunt magnis fructibus: nam & maior extitit solito confitentium multitudo, & sæpius à diuersis Sodalitatibus solemni pompâ inuisæ nostræ ædes. Noua in hoc Calaritano Collegio Sodalitas erecta, quæ Sacerdotes ad omnia sui status munia ritè obeunda præcipuè instituit. Ecclesiésis verò ciuium Congregatio, quæ prorsus ad triarios venerat, & Sodalium numero, & pietate aucta, in integrum feliciter est restituta. Marchio de Villà Sor, D. Iacobi Cruce in templo Calaritani Collegij voluit insigniri: eiusdem ædis res splēdidior dotibus facta annuis amplius quingentis. Tirones nostri ex veteri suo, quod incommodum valde erat, in templum nouum digressi sunt, sacrum Christi corpus, quod simul transferebatur, comitante ipso vrbis Archiepiscopo septimo calendas Octobris: qui postridie, vt auspicata Nostris foret migratio, solemni ritu ipse hæc fecit. Facultas iam dudum Fundatori concessa extrahendorum è regno leguminum

Digitized by Google

pro domo alendà nec vnquam effectui data, hoc tandem anno sortita vim est, adiectæq; inde Tiocinio libræ æris ter mille quadringentæ: vnde grauibus oneribus leuata Domus, & mille libris redemptum annuæ pensionis vectigal centum nummûm.

Cathedralis Ecclesiæ Decanus mancipium annos natum ferè duodecim Nostris tradiderat Christianis erudiendum præceptis: quod cùm satis informatum intelligeret, omnino donauit. Algarensium Patrum litteræ narrant, fœminam sex Cacodæmonibus aliquot annos vexatam, nullis exorcismis liberari potuisse, donec tandem inuocatus B. P. N. Ignatius, eiûsque reliquiæ admotæ infestam, cæteruam ex misera illa facessere coëgerunt. Ium est in varios per annum pagos, à singulis Collegijs: reditum eo animarum lucro, quod ærario Christi nonnullam accessionem fecisse videbatur.

PRO-

PROVINCIA FRANCIA.

Censuit hæc prouincia Socios vniuersim quingentos. Diem extremum clauserunt sex. Admissi in eorum locum quadraginta quinque.

	Vniuersim.	*Sacerdotes.*	*Præcept*	*Scholast.*	*Adiutores.*
Domus Professa Parisiensis	XXX.	XX.			X.
Collegium Parisiense	XII.	VII.			V.
Collegium Musipontan.	LXXX.	XXXIII.	VI.	XXV.	XVI.
Collegium Flexiense	LXIII.	XVI.	V.	XXXIV.	VIII.
Collegium Virdunense	XXVI.	XI.	V.	II.	VIII.

	Vniuerſim.	Sacerdotes.	Præcept.	Scholaſt.	Adiutores.
Collegium Bituricenſe	XXXIII.	XII.	V.	IX.	VII.
Collegium Niuernenſe	XVIII.	VII.	V.		VI.
Collegium Augenſe	XIV.	VI.	III.		V.
Collegium Rothomagenſe	XXIV.	X.	VI.		VIII.
Collegium Rhedonenſe	XXIX.	XII.	VI.	V.	VI.
Collegium Molinenſe	XX.	X.	VI.		IV.
Collegium Ambianenſe	XVII.	VII.	V.		V.
Collegium Rhemenſe	XVII.	VIII.	IV.		V.
Collegium Cadomenſe	X.	VI.			IV.

Digitized by Google

		Vniuerſim.	Sacerdotes.	Præcept.	Scholaſt.	Adiutores
Domus Probationis	Pariſienſis	XXX.	IV.			VI.
	Nanciana	XXXVIII	IX.			VII.
	Rhotomagenſis	XXXVII.	IV.			VIII.

Ab hæreſi ad Catholicam fidem conuerſi ſexaginta ſex.

B. Virginis, B. Ignatij, aliaué ſupra naturam vi adiuti nouem.

Digitized by Google

DOMVS PROFESSA PARISIIS.

I.

IPSIS CALENDIS IANVARIIS Henricus IV. Rex Christianissimus apud P. Coronum de peccatis confessus sanctissimum Christi Corpus sub solemni sacrificio in sacello regio piè ac reuerenter suscepit. tetigitque ad morbi remedium ex strumis qui laborabant, ordine dispositos circiter octingentos. A prandio cinctus illustri comitatu venit in templum Nostrum, Indulgentiarum, vt vocamus, quas eo die ædes Societatis amplissimas habent, promerendarum gratiâ. Fuerunt cum eo præter satellitium prætorianum, è purpuratis Patribus, Archiepiscopi, Episcopi, Præsules & Cœnobiarchæ; Principes qui consanguinei, qui alij, Mareschalci Franciæ, Torquati equites, primariæ nobilitatis palatini permulti: quibuscum omnibus sacræ concioni interfuit, atque vespertinis adeòque vltimis diei precibus, quas Regius musicorum chorus compleuit.

II. Hv-

Digitized by Google

I. HVIVS tanti támque humani ac Christiani Regis miserabilis interitus hunc annum Galliæ, præcipuéque Societati nostræ, cui tam multum debere se agnoscit, inauspicatum ac lamentabilem reddidit. D. Bonifacio Martyri sacer dies erat, decimus scilicet quartus Maij, cum proximè consequens, quo in publicâ luce, atque in theatro Orbis Gallici, in ædè Dionysianâ, Galliæ Reginæ Christianissima regio apparatu solénibúsq; ceremonijs inaugurata, inuncta, consecrata fuit. Exspectabatur dies ille, quo lætissima rerum facie, atq; vndequaq; instructissimo apparatu, dispositis iam vijs atq; ordinibus Lutetiam Regni caput initura erat: cùm ecce inter gémina vtriusq; lætitiæ suauitatem, Rex, nihil à suis, neq; inter suos triste metuens, die atq; vrbe mediâ, rhedâ vectus, à sicario quodam gemino vulnere confoditur. Credidêre omnes, cuncta illico bello atque tumultu tota Gallia miscenda: sed prohibuit alterum hoc malum Diuina sapiétia, quæ rebus Gallicis prope ad miraculi fidem eo tempore adfuit. Nam & Reginæ fortem atq; inuictum animum, & ijs, qui ad gubernacula sedent, salubre atque opportunum consilium suggessit, vti post vnam à cæde alteram ve horam, quanquam præcipitante iam in occasum sole, forti & generoso Senatusconsulto Reginam impubere adhuc filio Regni moderatricem (Regentem Galli, tali in tempore appellant) decerneret: ac die insequenti, Rege in ipso Senatu cõsidente, pronũciarent: vt hoc sum æ Curiæ decreto, Gallia omnis, quasi publica lege, in officio ac fide te-

de teneretur. Et valuit hæc auctoritas. Quasi enim signo dato salutis publicæ, qui principes tum Lutetiæ fuerunt, qui Prouinciarum ac ciuitatum Præsides, quos omni ex parte Reginæ inauguratio confertim ad id loci exciuerat, certatim omnes Reginam adeunt, Sacramento se Regi filio, ipsíque eius matri, ac Regni, dum pubescat, moderatrici in fidē, & obsequium obstringunt. In communi autem luctu illa propriè nobis dolendi causa accedebat, quod infestissimis in nos multorum odijs expositi, orbati eramus studiosissimo Societatis Principe, certissimóque salutis ac famæ nostræ restitutore & patrono. Fecit quidem huic vulneri medicinæ partem aliquam, primùm, constans Reginæ in nos studium, deinde datum ab ea nobis ex demortui mariti multis ante mortem annis iudicio & voluntate, Cor ipsum Regis, testimonium posteris omnibus, quātum optimus Rex Nostris tribuerit, quantum seruauerit charitatis. Accepimus hoc munus authoritate Regia, die qui funestam eadem est consequutus sub noctem, quod thecâ conditum, puluillo impositum, nobis à Principe Contyo Regis defuncti patruele è manu in manus est traditum: exceptúmque regio cubiculo, in quod frequentes conueneramus, à Præposito huius domus P. Bartholomæo Iacquinotio candida veste stoláque Sacerdotali induto.

Elatum à Nostris est, & quod cœlum pluuium esset, primæque se tenebræ intenderent, curru regio susceptum, cereis crebrísque funalibus illustrato, sedentibúsque in eo aliquot tum Nostris,

Nostris, tum externis Reuerendis quoque hominibus.

Reliqua verò Nostrorum multitudo, vt tum cœli viarúmque difficultas fuit, rémq; aulæ proceribus geri placuit, è regia vsque ad D. Ludouici prælongo vrbis tractu sequebatur. Ibi honorificè depositum tantisper est, dum in Collegium Flexiense, cui viuens Henricus illud destinarat, opportunè deferretur. Ceterum cùm in regia honorariũ hoc munus Nostris appararetur, salutandi Regis Ludouici XIII. Reginæque matris potestas illis facta est. Adierunt, salutárunt, eóque vultu vtrinque excepti sunt, vt omne nobis præsidium studiúmque Rex pariter ac Regina pollicerentur. Atque illa quidem P. Cotono nominatim, posteaquam is breuiter perorâsset: *Te, verò,* inquit, *mi Pater de more adesse mihi, volo iubeóque:* & cùm pauca quædam alia interposuisset, *velle se subiunxit, vt filio à Confessionibus & concionibus esset, quemadmodum parenti fuisset.* Quod interea fuit nostrarum partium, sacra funebria pro Rege facta plurima, atque ad Cor quotidianis precibus pro regni incolumitate vigilatum.

III. PROFECTIO autem Flexiensis cum pignore tradito suscepta est altera post Pentecosten die. Viginti Sacerdotes ex Nostris peracto sacrificio linteati prodiêre, prælatíque manu cereis regium donum è templo extulêre, cruce, aquâ lustrali, psalmodiâ iter moderante. Et quod illa anni tempestas æstu atq; imbribus confusa erat, quódq; expedita in equis primaria nobilitas longo ordine Nostros deductura exspectabat, excepti

Digitized by Google

pti sunt dispositis vehiculis, quæ linteati consecuti derunt; spectabili præter cetera vehiculo regio ad luctum composito, atque igne funebri collucente. Procedentibus ita per vrbem Patribus, delecti sunt ex omni numero duo aulæ proceres, Dux Mombazonius & D. Varennius, qui regressis in vrbem alijs, Nostros Flexiam vsq; tuto comitatu equitatúq; deducerent. Singulis è pagis, oppidis, vrbibus, vt ordine confertim occurrebant, ingens hominũ facta effusio est, qui prælato sacræ Crucis vexillo, pro defuncti anima preces fundebãt, piacularíq; aqua regiũ pignus aspergebãt. Quibus verò locis aut pernoctandũ, aut prandendũ fuit, linteati omnes pompa funebri incedentes, Cor in templum detulère, designatíq; per horas stationibus, excubiísq; dispositis, preces non interrupto labore continuárũt. Habitæ etiam à Nostris, vbi opportunum est visum, orationes funebres, quæ tum Regis sui exemplo auditores ad virtutem incenderent, tum vnumquemq; de mortalitate admonerent. Flexiam ergo simul peruentum, nihil omissum est eorum, quæ ad huius thesauri excipiendi rationem facere crederẽtur. Instituta supplicatio est, ad vnũ ab vrbe milliare, ex omnibus ordinibus summis æquè ac infimis, Religiosis, profanis. Aderat Senatus ipse Flexiensis, nobilitasq; omnis, non ex vrbe modò, sed ex finitimis quoque oppidis ac pagis confluxerat. Paroeciæ omnino duodecim, suis quæque ciuibus ac vexillis distinctæ procedebant. Claudebant Nostri clericorũ agmen linteo facibúsq; insignes. Vix in Cordis.

conspe-

Digitized by Google

conſpectum vērum erat, (quod inaurata pixide incluſum holoſerico atri coloris puluillo ſuſtentabatur) cùm vniuerſi in genua prouoluti Regem velut præſentem ſalutárunt: inde Flexiam versùs, quo exierũt ordine, regreſſi. Porta vrbis lugubribus pannis liliarísq; inſignibus cõueſtita, pompam in primariũ vrbis templum conſimilĩ apparatu inſtructũ direxit: vbi cum ſolemniter Regijs Manibus eſſet parentatũ, conciónq; eiuſdẽ argumenti habita, in Sacellũ Societatis exequiarum cõuerſus eſt ordo: quod vnà cum Gymnaſio luctũ ſuum varijs argumẽtis, atq; emblematis, arcubus, machinis ingenti cum labore, tum ſumptu extructis, eſt teſtificatũ. Inter alia viſenda opera erectæ erant columnæ ſtriatæ ad vltimũ ſcilicet altaris cornu, quarũ ſtylobates, ſpira, ſcapus auro polito collucebant. Ex epiſtylijs arcus ad Sacelli vſq; contignationem eminebat: interiectum columnas inter arcúmq; ſpatium Galliæ Nauarręq; arma cõpleuerant; vnde ſe arcus attollebat, tigillũ aureis argenteiſq; diſtinctũ lilijs in vtramq; partem tranſuerſum excurrebat, è cuius vmbilico floſculus oriebatur, auratis hinc inde thyrſis & brachiolis in coronę modũ excreſcentibus, in quo per Præconem ter de more Galliæ proclamantem, REX VIXIT, depoſitum eſt Regium Cor, quoad templo in faſtigiũ perducto in vrnas decem mille aureorum ſumptibus paratas ſolemniori cum pompa transferatur.

IV. ATQVE HIS pietatis officijs dum Noſtri Henricum IV. proſequuntur, ſuúmque dolorem cum afflicta Gallia ſinceriſſimis animis com-

Digitized by Google

communicant, interim Parisijs Societatis nostræ inimici pestem nobis atque exitium quasi Regiæ cædis auctoribus iniquissimè machinantur. Proferunt è nescio cuius Bibliothecæ latebris iactatum iam olim frustra traductúmque apud ipsum Henricum nostri Marianæ opus de Regis institutione: quæ in eo est, de Tyrannicidis quæstionem vexant, proscindunt, Senatui perinde ac populo ostentant, quasi portentum illud hominis, à quo nefaria cædes est facta, eiusmodi disputatione ad id scelus audendum inductum foret: cùm esset is homo tamen eiusmodi, qui neque librum illum vnquam legerat, neq; si legerat, intelligere potuerat, linguæ latinæ imperitissimus, imò (quod interrogatus constantissimè respondit) qui ne Marianæ quidem nomen vnquam audierat. Nihilominus tamen (vt in illo tum mœrore publico omnis illa quanquam aliena disputatio acerba est visa) Senatum in id consilij adegerunt aduersarij, vt eius permissu atque authoritate Marianæ liber Tortoris manu ante summi vrbis templi fores conscissus vreretur: occinentibus interim populo Buccinatoribus odij in nos deriuandi caussa, (quod in Senatu consulto positum non erat) Marianam Iesuitam esse. Nonnulli concionatores de suggestu adeò acerbè per eos dies tanquam in patriæ Regísque parricidas in Nostros debacchati sunt, parum vt abfuerit, quo minus seditione facta atq; in eos erumpente illius impetu discerperentur, aut certè rei inuidia & mendacissimis libellis in vulgus editis onerati atque oppressi toto regno

iterum

Digitized by Google

iterum exturbarentur. Sed innocentiæ fortiter patrocinata est DEI imprimis prouidentia, tum etiam Regni ac Principum auctoritas, præcipuéque summa Reginæ ipsius sapientia; quæ vt res nostras contra inimicorum audaciam suo iudicio confirmaret, P. Cotonum filio Sacrum audienti quotidie adesse iussit, quo in publica luce Regi coniunctissimus faciliùs sibi nobísque retineret hominum cõmutabiles voluntates, adeóq; per quotidianam occasionẽ Christiana pietate Regem imbueret. Vsus is quidem dolor aduersarios maximè, quòd quem à Regis latere cuperent esse remotissimũ, eo Rex, Reginæ Matris consilio, ad intima quoque conscientiæ arcana, sacrámque exomologesin religiosè atque honorificè vteretur. Itaq; mense Octobri, quo tempore Anticotoni maledicentissimi contra nos libelli summum pretium erat, summáq; cõtagio, Rex Christianissimus Rhemos inaugurationis causá profectus, P. Cotono publicè in Rhemensi templo animi nævos aperturus, bis in genua accidit: semel cùm ab Illustrissimo Cardinale Ioyeusæo sacro Confirmationis Chrismate est delibutus: iterum expectantibus omnibus ipso illo die, quo in oculis totius quodammodo Galliæ cœlesti oleo, sacris operante eodem illo Cardinali, in Regem est consecratus: tertio deniq; non eodem quidem loco, sed eodem tamen itinere, cùm quatriduo post scrofularum curatione se in æde S. Marculphi (abest ea à Rhemensi ciuitate milliaribus ferè viginti) comparauit. Quid, quod ad comprimendos falsos de nobis

Digitized by Google

dissẽminatos rumores, cõmonstrandámq; magis ac magis regię maiestatis suæ erga Societatẽ IESV beneuolentiã Rex Parisios reuersus, procerũ nobis amicissimorũ suasu inductus, alterâ Aduẽtûs Dominicâ celebri comitatu venit in ædẽ nostrã vespertinas preces & concionẽ auditurus. Natalitijs verò Christi ferijs ingens de more pœnitẽtium & cœlestem cibum capientium concursus spem Nostris integrauit, anni proximè sequentis fertilitati maleuolorum sparsa zizania nihil aut parum obfutura, quando fruges tantis intempestatibus sat copiosè prodierunt.

V. A RECTO QVIDEM deuij adiuti multi, & ex ipsa Hæreseos sentina educti, nauiculæque Petri redditi quadraginta tres. Nec parcus in suos DEVS, & DEI cultores fuêre. Quanquam enim Nostrorum in Domo Professâ numerus accessione Tironum ferè quatuordecim auctus erat, tamen alendis omnibus piorum charitas & eleemosynæ solito etiam maiores suffecerunt. Quibus in officijs hoc iterum anno nominanda venit Regina Margaretha Valesia, quæ suo trimestri ducentos adhuc aureos Nostris numerare pergit. Eadem commigrantibus hoc anno Nouitijs in aliam vrbis partem, vbi propria nũc illis, ac separata est domus, vltro ad eorum augendum numerum annuos obtulit aureos quadringentos.

COLLEGIVM extensum insigni ædificio est; quamuis necdum scholas in eo aperire licuerit intercedentibus Academicis apud Senatum; ex quo factum, vt omnis ferè Nostrorum in audiendis

Digitized by Google

endis Confessionibus, posita fuerit opera, præsertim adolescentium, qui cùm in varijs Academiæ Gymnasijs litteras & eruditionem hauriunt, ad nos identidem sacris diebus diuinorum mysteriorum gratiâ amant ventitare: quin & eandem ob rem bona cum venia Gymnasiarcharum in ipsorum Collegia penetratur.

COLLEGIA MVSSIPONTANVM, FLEXIENSE, VIRDUNENSE, & BITURICENSE.

VI. CESSERVNT è viuis Mussiponti duo: Ioannes Grisard Theologiæ studiosus, ante Societatem initam Medicus, natus annos viginti septẽ. septem Religiosus: alter Ferdinandus Martinus Dolanus viginti octo annorum, quinq; in Societate, qui dum in hebdomade sanctâ in struendũ de more cenotaphium intendit diligẽtiùs, laxatâ theatri altioris, in quo stabat, cõpage, depressum in solum toto incubuit corpore, capitéq; tigni grauioris, & tabularum ruinâ lethaliter offensus, sepulchrum sibi in sepulchro CHRISTI reperit, cùm antè Sacramentis, vt petierat, fuisset impertitus.

VII. RES Collegij Flexiensis ex voto bellissimè fluebant, numero Scholasticorum ad ducentos supra mille ascendente: instauratâ scilicet hoc anno, quæ fuerat superioribus intermissa, Matheseos disciplinâ, adiectaque Hebraicâ, cùm funesta mors Henrici IV. vt supra de-

Digitized by Google

monstrauimus, eum cursum non modò interturbârit, sed propemodum etiam labefactârit. Habitare interim felicibus auspicijs cœperunt apud nos in Regijs ædificijs Alumni, qui iam supra sexaginta numerantur, plerique nobiles. Sodalitas Parthenia litteris Romam datis iura Partheniorum impetrauit. Duobus Hæresis excussa: quorum alter, cùm aliquandiu hæsisset dubius, & interim animo non parum angeretur, demum in sanam sententiam hoc perpulsus est modo. Profectus cum alijs hæreticis ad cœnam, quam vocant, celebrandam, cùm poculum manu teneret, labiisque admouere conaretur, tanto horrore perfusus est, vt aliquid plus quàm humanum agi intelligeret: nam tantum calici pondus adijci derepente sensit, vt brachijs obrigescentibus, dexteram sustollere altiùs licet arduo nisu non posset. Constituerat iam tum dicere multam salutem Hæreticis: quod deinde & fecit, totius anteactæ vitæ sordibus elutis. Excursionum pretium, quæ ex vrbe subinde fiunt, vel inde æstimari potest, quod Curionum non nemo testatus est, in suo pago non ita frequenti Natalitijs ferijs supra quadringentos fuisse expiatos, cùm alijs annis extra Paschatis tempora vix quinque id præstitissent.

VIII. CONSVLTVM à Virdunensibus puellæ Helueticæ, cuius pudicitia in castris periclitabatur. Rem in procliui fecerant solitudo, ætas, forma, libertas, ipsaque parentis mors; cùm casu nescio quo tibiarum altera deformi vlcere laborat acerrimè; defertur igitur operâ Nostrorum in

noso-

Digitized by Google

nosocomium, vbi medicorum consilio tibia secatur corpori seruando: fuitque ea sectio non corpori modò, sed & animo salutaris: eo enim expiato piarum matronarum liberalitate in patriam est reducta. Aditus ab vno Nostrorum & miles, lacertosus sanè, sed depositæ salutis homo, quique morbum incusare auderet, tumultuarique impatientiâ, identidem & gladium expeteret, quo sibi ipse (vt aiebat) vitam eriperet. Sed prius non destitit Noster, ratus quod erat parum vitæ superesse, quàm effecit, vt peccatis ritè & libenter expiatus, bona spe plenus, mente sensibúsque tranquillis, excederet.

IX. Bitvricensis Collegij Sodales Mariani ita ad victoriam de se ferendam incensi sunt, vt in singulas hebdomadas eorum nonnulli, decimo quinto quoque die plures, singulis mensibus propemodum vniuersi, ad voluntariam diuerberationem coëant. Sacrocæsarum (vulgo Saucerrum) vrbs est, ab origine Caluinianæ hæresis polluta sic, vt etiamnum sanæ fidei ciues vix numeret quadringentos. Eò seuocatus de Nostris vnus, Aduentus & Quadragesimę ferijs superstites Catholicorum reliquias collegit, ac confirmauit: Hæreticorum rem, creperam antè maléque fultam, multò reddidit infirmiorem.

COLLEGIA NIVERNENSE ET AVGENSE.

X. Fvnctvs vitâ est modo quodam insolenti P. Carolus Benedictus Vasco, quatuor vota professus.

Digitized by Google

fessus. Is suggestum conscenderat in principe templo huius ciuitatis decimo quarto Calendas Iunias, peracto iam sacrificio; pronunciarátque quartam circiter orationis suæ partem clara voce, cùm repentè graui correptus apoplexia petijt ab Auditoribus sibi ignosci, quod progredi in concione vlterius non posset. Accurrit celeriter de Nostris Sacerdos, qui fortè concioni intererat, eique adhuc aliquid confitenti aures accommodat & absoluit: accurrunt Medici cum pharmacopolis & chirurgis, delatúmque semianime corpus in ædes Canonici cuiusdam, vbi tum diuersabatur, curatum omni ope humana est; adhibita etiam diuina, preces scilicet & inuocatio B. Virginis & B. Patris Nostri: sed horum nihil ab ipso percipiebatur, vtpote intercluss iam meatibus sensuum. Allatum itaque à proximo Curione sacrum oleum, quod ei Reuerendissimus vrbis Episcopus suis ipse manibus fiens impertiuit. Mansit illo in agone sine vsu vocis horas omnino vnam & viginti, post quas expirauit, magnáque pompa ex Cathedrali templo ad nostrum delatum funus, comitante vtroque Magistratu tum sacro tum ciuili, quatuor Religiosorum Cœnobijs, atque vndecim ciuitatis huius parœcijs; prælatis etiam honoris causâ funalibus cereis publico sumptu factis, & ciuitatis insignibus distinctis. Luctum populi ex vltimo hoc obsequio æstima. Compleuerat in Societate annum quartum supra vigesimum, continenter ferè calculi morbo, colicæque vexatus.

XI. Ne-

Digitized by Google

XI. NEQVE TAMEN repentino huius obitu cõquieuit reliquorum labor & ſtudium; quin extimulati potius ſunt ad fortiter agendũ pro Chriſti gloria, quòd viderent neminem adeò in ſua ſtatione eſſe ſecurum, qui ſibi craſtinum promittere poſſit. Tres ex Caluini cœno ſuâ induſtriâ protraxerunt. Ex ijs vnus infimæ ſortis homo triginta ipſos annos functus inter ſuos munere Lectoris erat, qui improbatâ hæreſi, Sacramentíſque Confirmationis, Euchariſtiæ, & extremę vnctionis perceptis obdormiuit, vt ſperatur, in Domino. Rixatus alius (is lapicida erat) cùm vxore, atque ab eadem per imprecationem Diabolo deuotus ibat poſtero die bene manè ad opus, cùm ecce tibi incidit pro porta vrbis in equitem ſplendido & ſumptuoſo veſtitu ornatũ: ſalutant inter ſeſe, & à recto tramite inter colloquium deflectunt: tum rogatus ab equite lapicida, cur bipennim illam grauem (eam ille rapuerat ex humeris) tam laboriosè ferret, ad cædenda, reſpondit, de more ſaxa: Næ tu, inquit iſte, mortalium infortunatiſſimus es, quippe qui tam operoſo opere tibi victum paras: ſi me audis, dediſque te, vitam ages cumulatam diuitijs nullo tuo ſudore, delicijs plenam, & beatam. Non diu deliberat lapicida, annuit, icítque fœdus datâ & acceptâ mutuæ fidei teſte dexterâ. In itinere ambo dum pergunt, offendunt crucem, cui monitu domini equitis nullam habet, iam factus lapicida ſeruus, reuerentiam. Diuelluntur tandem à ſeſe, & abeunt; eques neſcio quò, ad opus lapicida: ſed pertæ-

Digitized by Google

ſus laborem inde ſe proripit mente captus, & reducitur domum ab hominibus piis, coniuge facta iam de re totà certiore. Ibi animam laqueo ſibi conatus exprimere, à vicina muliere prohibetur: prohibetur ſimiliter, ne elapſus iam, in Ligerim fluuium præceps eat: iuſsûſque ſigno Crucis muniri, id à ſuo ſibi Domino interdictũ dicebat: ſuaſu tamen vnius è Scholaſticis noſtris, qui in vicinia contubernium habebat, & aliûs, qui inter nos aliquãdiu verſatus erat, paſſus vtcunque eſt accerſiri Sacerdotem. Is hominem primùm blandis permulcet verbis; tum adducit, ægrè quãuis, ad formãdum ſalutare ſignum, prehenſo eius, adiutóq; brachio. Quo peracto exclamat, grandi ſe, quo antea premebatur, onere leuatum, factàque confeſſione ſuorum peccatorum menti redditus eſt, & tranquillitati; tam feliciter, vt veniam ſuæ illius veſaniæ ab his, qui aderant, poſtulârit. Vis hæc Confeſſionis: nec inferior orationis & voti deprehenſa eſt. Cuidam à tribus Medicis conclamato ſuaſerat è noſtris Sacerdos vnus, vt in re tam deſperata DEIPARÆ quoq; Virginis conſilium adhiberet, voueretque, ſi conualeſceret, ſingulis eiuſdem ſanctiſſimæ Virginis feſtis diebus per annum integrum ad ſacram filij ipſius menſam acceſſurum: quod vbi fecit, conualuit. Idem Pater, qui huic auctor voti fuit & ſalutis, alteri quoque non minùs ſalutaria ſuggeſſit. Euocatus enim de media nocte ad Scholaſticum huius vrbis iacẽtem horas iam duas ex apoplexia, vſuque vocis priuatum, cõmendat B.P.N. Ignatio, ægrotóq; lipſa-

nothe-

Digitized by Google

nothecam eiusdem Beati admouet deosculandam: præterea Sanctorũ Litanias cum socio pronunciat; supra naturam res: cœpit loqui adolescens & valere, valétque etiam nunc omnis paralyseos exors; quam adeò subitam, adeò integram sanitatem, qui tum aderat Medicus, affirmauit diuinæ opi esse tribuendam.

XII. AVGENSIS virgo pietate iuxta atque ætate prouecta, cùm molestè ferret in finitimo pago, affini ex febri laboranti adesse diutius, quòd pro more non posset vsurpare sacra mysteria, DEVM orauit per merita B. Ignatij (cuius tum miracula variis in locis edita ægroto prælegebat) vt sibi persanato consanguineo discedere tandem liceret, atq; in proximum Domini diem ad sacrum in templo nostro cõuiuium celebrandum accedere. Rem non indignam petere visa est, quod ex euentu colligas: cùm febris, quæ postridie ardens exspectabatur, nec redierit tum, nec postea in hominem amplius inuaserit.

VIRTVS S. Eucharistiæ in persanandis quoq; corporibus hîc se prodidit. Phthisi puer ita contabuerat, vt ossibus vix hæreret, eiúsq; mortem mœsti parentes in dies præstolarentur. Sacerdos noster, qui peccata confitenti aures derat, vltimum viaticum afferri monuerat, quod nec ætas puero deesset, nec iudicium, aut virtus. Parentes vtcunque veriti cunctabantur imprimis, religionique sibi vertebant id promittere, donec persuasi à Nostro Synaxin apportari, filiúmque pasci voluerunt. Mirum! Ex eo cibo breui vires pristinas recepit puer, hodiéque scholas nostras

Digitized by Google

stras florētes sanè & numerosas frequentat. Primitias Augense Collegium hoc anno misit Tirocinio nostro iuuenes bonæ spei duos; litteris vnum, alterum manuarijs operibus aptum.

ROTHOMAGENSE COLLEGIVM.

XIII. CONFECIT in hoc Collegio acuta febris P. Antonium Dufour, agentem sextum vitæ annum & quinquagesimum, in Societate vndevigesimum, popularem valde, & virtutis existimatione omnibus ordinibus charum. Homo enim id ætatis primo diluculo in templo assidebat, & nullo delectu summis atque infimis patentes patentéſq; aures summa hyeme, rigentéque cœlo ad meridiem vſq; commodare solitabat. Quem virum vniuersus collegarum grex pro suis quisque viribus atq; ministerijs impigrè est æmulatus. Vt enim non copiosissima alibi laborandi materies suppeditâsset, magnum satis negotium fecissent scholæ, siquidem ludi omnes litterarij, quamuis laxissimi, pleni adeò erāt iuuētute lectissima, vt ex tribus quatuórve scholis dimittendi fuerint non pauci, quorum bene multi tum discendi cupiditate incēsi, tum etiam à parentibus iussi, pro foribus starent, sub dio totum pœnè annum: bis mille & amplius Gymnasium numerauit: in ijs plerosque nobiles; quorum in vnâ scholâ septem supra nonaginta censa sunt capita. Magna sæpe & illustria virtutis & scientiæ specimina dedit iuuentus hæc, præcipuè cùm

Digitized by Google

cùm ab vrbe Regio funeri iusta fierent: nam & ipsa magno apparatu in publicum processit, suóque more communem luctum testata, litterarum optimo patrono & Mæcenati parentauit. Sed Discipulorum hæc sunt.

XIV. NOSTRI diebus paulò celebrioribus quatuor aliquando, in alijs atque alijs vrbis templis conciones habuêre: & in principe quidem æde Sacris Dominici Aduentûs ferijs vnus tam frequenti concione auditus est, vti etiam diebus profestis nobilitas vniuersa, & relictis tabernis & officinis pœnè tota confluxerit plebis multitudo. Quò ipsimet etiam Hæretici magno satis numero dicentem audire voluerunt; quibus ita satisfactum, vt assensus extorqueretur ab inuitis. Illustrissimus Cardinalis à Ioyosa, vrbisque Archiepiscopus ipso Circumcisionis die nostro in templo sacris operatus, amplius quingentos Sacrosancto Eucharistię epulo pauit suâ manu. Tempore Pentecostes in excursione ad oppidum in ipso maris littore pœnè situm (namaliæ aliò fuerunt æquè fructuosæ) ad tria hominum millia, elutis prius apud Nostrum peccatorum sordibus, CHRISTI Corpus sumpserunt. Perfugæ decem Hæretici in castra Ecclesiæ reuocati.

XV. STVDIVM iam & beneuolétia vrbis in Nostros nominanda venit. Amorem.n.in Nos suũ, illustribus aliquoties declarauit cùm plebs, tum regius Senatus argumentis. Illa cùm tristissimis de morte Regis nuncijs in vrbem perlatis, ausum nescio quem furciferum è fæce Hæreticorum

Iesui-

Digitized by Google

Iesuitas peractæ cædis auctores proclamare, grauiter excepit: hic cùm demortui manibus, quàm honorificentissimè funebri oratione parentaturus, vnum è Nostris inter tot disertos ac eloquentes viros, qui tum erant in vrbe, ad id munus delegit. Quæ res profuit non ad Magistratus solùm beneuolum animum aduersus nos intelligendum, sed ad nouissimos quoque rumusculos, iam inde vsq; ab nefando parricidio subnascentes, dissipandos. Fuit & illud propensæ in nos voluntatis argumentum. Facienda erat solemnis anniuersaria præmiorum distributio; quibus clarissimi D. Berneri, Præsidis munificentia agonisticos victores donauit.

XVI. D. COMES Suessionis ex Regiâ Borboniorum stirpe oriundus, eo ferè tempore Parisijs in vrbem venerat, inaugurandus ad totius regimen Neustriæ, comitijsque Prouincialibus moderaturus: qui humanissimus princeps in maximâ communiq; omnium ordinum gratulatione nostri non est oblitus: nam postridie quàm aduenit, in nostro templo rei diuinæ interfuit, indéque in Collegij atrium ingressus, festis Auditorum acclamationibus est exhilaratus. Collegij vsibus reliquit aureos circiter quingentos. Centum aureos accepit Bibliotheca. Areæ summo templo destinatæ angustia senatu strenuè connitente laxata, effusis in id aureis nummis mille: sed & ciuium aperta fuit manus; adeò vt tam secundis Nostrorum velis ac ventis inuidentes Hæretici, omnia moliri cœperint, vt nos ex hac vrbe omniq; adeò prouinciâ pellerent. Ob quam

Digitized by Google

quam causam indignissimis refertos calumnijs atque mendacijs libellos sparsêre in vulgus, in quibus tam infandas de Societate, vel qui antea nobis amici videbantur, imbiberunt opiniones, passim vt ab omnibus ferè Regum parricidæ, regnorúmque perturbatores, & diceremur & haberemur: quod si qui pro nostra innocentia vocem mitterent, (vt à nonnullis est factitatum,) in maleuolorum & ipsi dentes offensionésq; incurrebant: malè à suis, ab amicis, propinquis, affinibus, excipiebantur. Extitit tamen vir doctrinâ optimarum artium eruditus, supremus in Collegio Canonicorũ Archidiaconus, qui posthabitis improborum obtrectationibus atq; conuitijs, Societatis patrocinium suscepit, editóque in lucem eleganti libello maledica simul calumniantium ora obstruxit, simúlq; magnam ex opere sibi laudem à bonis omnibus est cõsecutus: nec ita multo pòst fœda illa tempestas non parùm remisit.

COLLEGIVM RHEDONENSE.

XVII. MITISSIMI vir ingenij P. Nicolaus Perrius Lotharingus anno sexto iam à suo in Societatẽ ingressu decessit, non sine præsagio obitus sui, siue cùm in familiari sermone dicere solitus est, certò fore, vt vnus è Collegis ante finẽ anni vitæ finem sortiretur: siue cùm paucos ante menses à puero omnes animi maculas apud Rectorem suum deposuit: cui & in Tirocinio B. P. N. Igna-

Digitized by Google

N. Ignatius ſpectabilem ſe feciſſe famâ ſpargitur. Sepultus eſt in vicino templo PP. Carmelitarum, quòd id loci careamus proprio. Vrgetur tamen Collegij exædificatio, & aula declamationum accommodatur. Scholæ, vt ſatis amplæ, admittere omnes nõ poſſunt Scholaſticos: cenſentur eorum ad duo millia: augendæque inter illos pietatis cœpta hoc anno eſt Parthenia Societas: ex quâ complures ſacerdotes ſubinde digreſſi in patriam rudes ad omnem virtutem erudiunt.

XVIII. E NOSTRIS in inferiorem Armoricã Sacerdotes duo cum vno Coadiutore, & alio Sacerdote externo ſumptus ſufficiente miſſi ſub Quadrageſimam in oppido La Ballenſi omen conſequuturæ frugis acceperunt. Simul enim ciues intellexerunt Noſtros aduentâſſe, ſtatuam, quam ad Hilaria iucundiùs tranſigenda erexerant, in flumen deturbârunt, quod præſentibus eiuſcemodi hoſpitibus cenſerent, nullum Baccho aut petulantiæ locum futurum. Itaque præter pagos octo, præcipuæ luſtratæ ciuitates ſunt, ingenti incolarum ſolatio; cùm aliqui tres quatuórve dies aliquando in oppidis Confeſſionis faciendæ gratiâ morarentur: alij Noſtros è templis inuiti dimitterent, & breuiſſimum prandium imperarent: alij etiam offerrent munera quamuis recuſata, quò faciliùs expedirentur. Ruſticus cum præter hœdum muneris nil haberet, illum ex animo hoſpiti Noſtrorum hac lege obtulit, vt ad confeſſionem ipſi viam aliquam aperiret. Trium millium circiter animi ex-

Digitized by Google

mi expurgati: duo ab hæresi absoluti. Nec in postremis fructibus numerabant Nostri, quòd Prædicantium saltem auctoritatem non parùm imminuerint. Auditus certè in foro Borcori est illorum coriphæus vnus dicere publicè qui soleret; *ex quo Iesuitæ eò venissent, se vt pestem aut Diabolum aliquem fugitari, nec cuiusquam amplius salutationem mereri.* Alius eiusdem theatri histrio pingebat litteras scitissimè, & in ludo discipulos bene multos exercebat. Vbi à Nostro significatum est, quãto in periculo infelices illi pueruli versarentur tali sub magistro, omnes à parentibus sunt reuocati, vnico excepto, quem Hæreticus domi alendum susceperat. Porrò in inferiore Armorica ita vulgò sunt propensi incolæ ad pietatem, vt tantùm cultura deesse videatur. Libenter rebus sacris intersunt: à cibo se abstinent crebrò. Inuenta mulier, quæ ter solùm quaque hebdomadâ cibum sumat, perinde nihilominus sano vegetóq; corpore, ac si bis quotidie ad lautitiam accumberet. Atque huc vsque excursum sit: domum redeamus.

XIX. DISTRACTA erat nauis prope oram maritimam sæuo turbine & naufragio facto, octo homines, qui eâ vehebantur, in vndas effusi.

Adolescens de ijs vnus ceteris pereuntibus, arreptâ fortè tabulâ, quamuis densissima nocte, saluus & incolumis haud dubiè Numinis beneficio emersit ad litus, indéque ad Nostros (quippe Hæreticis ortus atque educatus parentibus) deductus suam sectam damnauit, institutáque Confessione, Catholicorum more viuere cœpit.

Alius

Digitized by Google

Alius cùm grauesiniurias accepisset, indignatione commotus Hæreticorum vrbes adijt, vbi infamis in DEVM DEIQ; Matrem contumelias sæpe euomuit, eierato etiam, quo fuisset aliquando tinctus, baptismate. Rupellis cùm versaretur hæretica vrbe, lux quædam iterum affulgere menti cœpit, illéque iam tum Rhedonas venire constituit, vt apud aliquem è Societate (ita hærent in teneris iacta semina, erat enim aliquando discipulus Societatis) confiteretur de peccatis. In itinere atque adeò in peruigilio SS. Simonis & Iudæ, cùm fungos prandisset, incidit in grauem somnum, qui eum octo & quadraginta horas tenuit. Videt in ea quiete se rapi ad inferos; vbi ad notorum sibi Hæreticorum supplicia exhorrescés, destinat Ecclesiæ reconciliari. Ductus deinde est in alium pœnarum locum (purgantem credidit) vbi item perterrefactus, misericordiam magna voce inclamans, Orationem Dominicam recitat, emendationémq; vitæ pollicetur. Tum animum corpori restitui existimabat: sed derepente atri genij duo isto melioris vitæ proposito excitati vtrinque irruunt, & infesto latera impetu adoriuntur: blasphemias dictas obijciunt; eiuratum baptismum; nec hominem in hominis iam, sed Cacodæmonis potestate esse contendunt. In eo certamine magno conatu aliquot horas laborauit, vt multis diebus fuerit debilior. Interim socij ipsum videbant anhelum, & identidem exclamantem DEI misericordiam, atque inter cetera D. Catharinæ V. & M. opem implorantem.

Quod

Digitized by Google

Quod cùm feciſſet aliquamdiu, illa eadem Diua ſplendidiſſimo amicta lumine ſe videndam dedit, præcipiens vti IESVM & MARIAM nominaret. Facit, & iam adſunt duo lumina multo illuſtriora, proxima priori, in quibus filium cum matre agnouit. Ad horum præſentiam duo illi Æthiopes ceu faces quædam atræ & ſulphureæ in fumos abierunt; & ille ſenſum recepit, plenus ſtupore. Durauit ea lucta horas continuas octo: qua perfunctus Rhedonas properauit, vbi tres moratus hebdomadas, Sacramentis aliquoties munitus, ieiunijs, aliiſque pijs operibus vacauit. Hæc prout à nobis memorata ſunt, & ille cui euenerunt, non ſemel confirmauit; & vnus è Noſtris, qui tum homini adfuit, teſtatus eſt.

COLLEGIA MOLINENSE, AMBIANENSE, RHEMENSE, CADOMENSE.

XX. VIR QVIDAM domi nobilis foríſque indignatus lubricā vxoris ſuæ fidem (quippe quæ ſemel atque iterum ex hæreſeos tenebris emerſa, in eaſdem continuò reuoluebatur, cauſata parentum auctoritatem) per ferias Pentecoſtes accerſit vnum è Patribus Molinenſibus, qui errantem in viam reduceret: reduxit. Sexagenarius alius loco ſatis honeſto, litteríſque tum græcis, tum latinis nō mediocriter expolitus, ſed ære alieno obſtrictus ſextum iam in carcere annum torpeſcebat, intonſá canitie, ſqualidis veſtibus laceríſque. Accedebat ad tam miſerabilem cor-

Digitized by Google

poris habitum, infelicior animę ſtatus, conſeneſcentis in hæreſi iam inde vſque à pueritiâ, tam pertinaciter, vt omne de ſalute conſilium ſuperbiſſimè eluderet. Tandem falſi dogmatis conuictus per Noſtrum, fidei formulam multis cum lachrymis palam recitauit.

XXI. AMBIANI præter ceteros illuſtriſſimus Comes à S. Paulo totius Prouinciæ gubernator optimè mereri de Noſtris non ceſſat. Templum D. Dionyſio ſacrum noſtro erat Collegio cum Prioratu attributum; ſeiunctum id quidem ab ædibus interiacente vico. Commodè igitur eò meari non poterat niſi per pontem aut porticum: quæ porticus ne fieret, ciues multi obnunciabant: interceſſit autem obnunciationi eorum benigniſſimus princeps, factaque eſt porticus non commoda ſolùm, ſed & perelegans.

Huic illuſtriſſimo viro cùm famoſus ille libellus (cui Anticotono nomen) ad legendum eſſet oblatus, inſcriptionem vt legit, ita præ indignatione excanduit, vt librum mox in flammas conijceret. Noua ædibus prætereà adiūcta eſt fabrica nobilium hominum prolixà liberalitate, tum alijs vſibus, tum afflictorū valetudini opportuna: aureis quingētis anguſtiæ domeſticæ ſubleuatæ: auctiórq; factus Scholaſticorum numerus, acceſſione fortaſſe philoſophicæ facultatis, quæ hoc anno initiū ſumpſit: vt & Rhemis liberalitate Reuerend. D. Brulardi Præſulis Vallis regiæ. Cæterū Collegio huic aurei donati circiter quadringenti: in ſacram ſupellectilem ſeptingenti. Sex hæreſim ſūt dedocti. Vnus è Noſtris defunctus.

Digitized by Google

ctus est, Ioan. Durandus familiaris administer, qui sedecim in Societate annis sui despicientia, ingenijq; tractabilitate charus omnibus fuit. Toto autem hoc tempore cùm assiduo capitis dolore conflictaretur, nihil vnquam de domestica opera, solitáque industria remisit, eum diem felicem continuò prædicans, quo Societatis institutum foret amplexus.

XXII. CHRISTIANISSIMVS Rex Henricus IV. ad alia suæ erga nostrum Ordinem beneuolentiæ pignora voluit & istud accedere, vt Cadomense Collegium Societatis IESV Patribus traderetur, idq; diplomate sanxit, cui est ab vniuersa ciuitate (demptis pauculis, imprimis Domino de Bellefont arcis vrbísq; Gubernatore) reclamatum, pérque primarios in curiam sæpe missos intercessum: sed confecta res est, codicillis regio chirographo, ac sigillo munitis.

Porro dotationem conficiendam suscepit D. Robertus de La Menardiere Abbas S. Columbæ, idémque S. Barbaræ, Prior in Algiâ, qui consensu Pauli V. Sum. Pontif. & Henrici Regis impetrato, anno CIↃ. IↃC. VII. huncipsum S. Barbaræ Prioratum Societati assignauit. Pium fratris incœptum adiuuit etiam pro sua parte soror D. de Belleuure, quæ fundi de Venoir trecentos & sexaginta francos annuis redditibus suppeditantis clientelare ius ex eo ipso prioratu dependens dedit.

Porrò suprà dicto Prioratui annexa potestas Curiones præficiendi quatuordecim pagis, vnà simul ad Societatem deuoluitur.

Digitized by Google

COLLEGIO ita Noſtri poſiti, dotatióque confecta anno CIↃ. IↃC. VIII. Doceri cœptum hoc anno. Decem ex Noſtris initium dederunt, è quibus duo Magiſtri vnus Philoſophiam, alter Grammaticam profiteri cœperunt. Valuit hoc principium licet tenue ad animos ciuium conciliandos. Spes maximæ meſſis apparet in ampliſſima Caluinianiſq; lolijs corrupta ciuitate. Studioſorum diſcendi causà concurſus, quantum capere potuerunt exedræ duæ. Ludum aperuit oratio duplex, Græca, Latinaque VII. Idus Octobris: quem diem S. Dionyſio ſacrum ſtudiorum inſtaurationi iam pridem deſtinauit Academia, in quam Collegium Societatis aſcitum fuit.

TIROCINIA NANCIANVM, ROTHOMAGENSE, PARISIENSE.

XXIII. DVM QVIDAM è Nanciano B. Virginis Sodalitio lateres cõcinnaret ad vrbis propugnacula, arcuati lateres, quibus inſidebat, vitium fecerunt: ille veritus, ne ruinâ opprimeretur, ſe in foſſam lapidibus oppletam præcipitauit, implorato nomine ſanctiſſimæ MATRIS & Patronæ. Itaque ex edito loco ruit, viginti octo pedes alto, tantúmque abfuit, vt à ruinâ inuoluerentur, vt domum reductus breui conualuerit. Quò autem ſalutẽ ferret acceptam ſecundùm DEVM Virgini, accidit tribus poſt caſum diebus, vt eo ipſo temporis momento, quo Sodales pro Sodali ſuo precabantur, ſubitò doloribus, quibus ad

Digitized by Google

ad id tempus pungebatur acerrimis, releuaretur, summâ voce exclamans: *Virginem non modo suam, sed Sodalium etiam voces audiuisse.* Tironum nostrorum magna in domibus hisce apparuit constantia. Quidam ex parentum manibus sæpe elapsus tãdem in Collegium Rothomagense concessit. Continuò ex vicina vrbe pater aduolat, iubétque reuerendo imperio adesse filium: negat ille audacter liberéque facturum se; neque enim vllo naturæ vinculo ijs astrictum teneri, qui se à consilio tam salutari velint abducere. Tum pater orare Rectorem Collegij, filium adesse imperet. Confluxerant, vt fieri amat, ad id spectaculũ facilè quingenti supra mille Scholastici: Adolescentem prodire Rector iubet: paret ille sed ita, vt coram omnibus in conspectu parentis profiteretur, id se sola, quam DEO, Patrísque Rectoris imperio deberet, obseruantiâ facere. Quid plura? in patriam eum secum redire cogit pater; vbi incomitatum ne quidem ad diuina officia prodire passus est. Mittit deinde Patisios studiorum causâ, sed eadem adhibita custodia: verùm non tam diligenter obseruari potuit, quin post aliquot menses fugâ se subduceret. Mitto quas machinas postea pater adhibuit. Centum aureos in voluptates pollicebatur præter annuam pensionem, dummodo consilium mutaret: sed frustra fuêre omnia, minæ, blanditiæ, promissa.

XXIV. PAR ADOLESCENTI huic puer Nancianus fuit. Is spe potestatis impetrandæ mentem suam parentibus aperuerat, prostratus ad eorum

Digitized by Google

pedes; cùm illi irâ perciti maledictis eum lacerant, onerant pugnis, lecto affligunt spoliatum vestimentis, ne fugâ elaberetur: iurant insuper, suffocaturum se filium pater, mater oculos effossuram, nisi scripto & quidem interposito beatitatis & salutis pignore, omnes Religiosos cœtus abiudicet, quoad eam in rem ipsi consentiant. Reluctatur adolescentulus, eóque firmiùs, quo arctiùs stringitur. Interim Barrum (quod hinc iter bidui abest) rapitur, sibi permittitur, vt quē violentię impetūs non fregerat, deliciarum mollicies eneruaret: sed humanam fefellit calliditatem Dei consilium. Nam diebus aliquot interiectis ad animum (vt inquiebat) relaxandum ciuitate excedit, inuentóque opportuno itineris & voluntatis eiusdem comite (vt de S. Ioanne Calybitâ legimus) in Belgium auolat, Tornacúmq; periculis & difficultatibus innumeris perfunctus peruenit. Furere interea parentes, & itinera obsidere, nuntios mittere in omnes circa oras; Scholasticos Mussipontanos, qui tum fortè ad autumnales ferias patriam repetebant, varijs in locis intercipere, ex ijs tres iudici sistere. Demum cùm hæc non succederent, eò vesaniæ prorupit mater, vt duos è Nostris, alterum in publico vrbis Mussipontanæ vico, in Collegio alterum, falculâ inuadere ausa sit. Mouit pater nobilitatem, Principes, Ducem, vt eorum omnium nobis animos redderet infensos. Pugnandum itaque Nostris fuit summa pro illa re apud Principem cōtentione, vt falsa liberaremur criminatione, & vix id quidem assequi potuēre: quo

Digitized by Google

quo ad vſque humaniſſimus Princeps, qui & parentis dolorem lenire, & nos culpa volebat liberare, rogauit per litteras P. Prouincialē, vt Nancium puer remitteretur, corámque conſilij ſui rationem omnibus redderet. Quod & factum. Verùm cùm pater filium ſecum habere vellet, negarent contra Noſtri fieri poſſe, vt noſtræ cōditionis aliquis ſine ſocio dimitteretur, ſtatuit Princeps, quò res tota à liuore calumniiſque abeſſet magis, vt apud Patres Minimos ſolus è Societate tāquam apud ſequeſtros duarum hebdomadarum ſpatio deponeretur (adhibitis tamen in arbitris cum Patre Correctore Minimorum ſecretioris curiæ conſiliarijs) adiretur à parentibus, conſanguineis alijs, Depoſitus ergo, aditus frequenter, atque in omnem verſatus partem, & oppugnatus, minimè tamen expugnatus eſt: *ſe à DEO non hominibus vocatum, aut perſuaſum aſſeuerare ſolitus: nec eam ſibi mentem vllum mortalem tollere poſſe: præterea ſe voto iam obſtrictum DEO & Societati teneri: proinde ratum ſibi eſſe fixúmque in Societate mori* Sic probata Tironis conſtantia in publicas tabulas relata & conſignata eſt, quas penes ſe Noſtri etiamnum habent.

Recenſuit hæc Socios vndecim ſupra ducentos. Vnus morte ſublatus. Recepti duodecim.

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
In Collegio Burdigalenſi	LXXXVI	XXVI.	V.	XXXVIII	XV.
Perrochorienſi	XXII.	VIII.	V.	II.	VII.
Aginnenſi	XX.	VIII.	V.	II.	V.
Lemouicenſi	XXV.	X.	V.	III.	VII.

Digitized by Google

	Vniuersim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholast.*	*Adiutores.*
Pictauiensi	XX.	IX.	V.		VI.
Dom. Probat. Burdigal.	XXXVIII	VII.		XXI.	X.

Hæresin exuerunt centum nouendecim.:
Inhonestam vitam octo.
Lites compositæ sine numero.

Digitized by Google

COLLEGIVM BVRDIGALENSE.

1.

LOCVPLES exercendæ pietatis eruditionísq; suæ ostentandæ argumẽtum habuit hoc anno Burdigalensis iuuentus, seu cũ Christianissimi Regis luctuosum interitum vario litterarũ genere defleuit; seu cùm tumulum honorariũ erexit Alphõso Ornanæo Gallię Mareschallo; qui cùm tot annos Aquitaniã sum̃a cum laude administrâsset, alienissimo Reipublicæ tẽpore decessit. Quem virũ cùm optimus quisq; ægerrimè amitteret, tum Societas nostra præcipuè doluit, q̃ ex quo primũ eam cognôrat, humanissimè semper, studiosissimé q; fuisset cõplexus. Scholæ discipulos mille ducentos erudiũt, magno religionis & rei litterariæ prouentu. Atq; illius adolescentis (vt vnum saltẽ ex eo ordine nominẽ) industriã ac virtutem quis non suspiciat? Tam auidus erat ille disseminãdi in alios ea, quæ à Magistro audierat, vt quantũ per negotia scholastica licuit, & in primis vindemialibus feriis, quãplurimos posset, ad pietatẽ institueret. Sex paucis illis

lis diebus, quibus cessatū est, seduxit à consuetudine temerè iurandi: duobus, vt peccata per Cōfessionē delerent, auctor fuit: varias ritè precandi formulas octo alios docuit: vni persuasit, vt quoties diuinū nomen perperā vsurpāsset, semel ad Angeli morē genu flexo Virginem salutaret: precatorios globulos, quæ Rosaria dicimus, in alios distribuit, de modo recitandi à se antè eruditos: quibusdam Sacrosanctę Triados mysterium quantū ipsemet ex dicentis ore capere potuerat, exposuit. Apud quos verò irrita esse sua monita intellexit, pro ijs preces tacitus ad DEVM fudit. Ipse interim, dum ita prodest alijs, intensiorem sui curam gerere; peccata puerorum inter ludēdum multò antè prouidere atque cauere; in vitis Sanctorum referendis, prout cuiusq; festus dies incidit, assiduus esse; condiscipulis studio, pietate, modestiā præire; deniq; omnibus in rebus eniti, vt DEO quàm gratissimam animulam exhiberet. Solet quippe diuina bonitas per pueros interdum, quid sui muneris sit, natu maiores commonefacere: in quibus quidem non vtilitor minus collocata opera, quàm in iunioribus.

II. EFFECTI Catholici supra triginta: in ijs desertores variorū Ordinum tres: Sacerdos vnus, primarij nobiles duo. Ex hoc numero Caluinisticæ factionis, insignis Prœco superiore anno abdicatis erroribus cum Ecclesia in gratiā redierat, indéq; mox seu ab insita leuitate, seu inopiæ metu, seu, quod credibilius, concubinæ, (quam ordine relicto vxoris loco aluerat) filiorúmque comploratione reuocatus, in vesum defecerat.

Is

Is tandem seipsum inconstantiæ serio damnans, delicti veniam petijt, accepitque ab Ecclesiæ maioris Canonicis quadringentorum aureorum summam, quam Illustrissimus Cardinalis ob eius leuandam egestatem procurauerat: vnde in suscepta religione magno animo perseuerat.

III. HÆRETICVS mercator Calendis Nouembribus ipso omnium Sanctorum festo die, contrà quàm regijs edictis cauetur, baiulorum operâ diuenditas merces in Scoticum nauigium inuexerat, totáque cum eo familia erat in opere: nec valuit ad hominem coërcendorum vicinorum castigatio, rem indignè ferentium: quin postridie maleuolum eum appellabant, alienísque bonis inuidentem, qui ea de re ad Magistratum detulisset; seque nihilominus etiam inuito delatore rem ex animi sententia gessisse, gloriabundus iactitabat. Postridie statim sub primum noctis crepusculum (ne sera fuisse vindicta diuina videretur) picem fortè ad ignē applicabat mercatoris huius vxor; quâ feruefactâ tantum subitò excitatum est incēdium, vt è numerosa familia præter vnum famulum, eúmque Catholicū, euaserit nemo. Vir, vxor, liberi, tecta ipsa momento simul conflagrârunt. Nec hîc quieuit flamma: sed cùm hos consumpsisset, pingui materiâ pastúq; facta quodammodo animosior, in vicinorum ædes defertur, proximū vicum peruadit, summáq; trepidatione ciuitatis, magnam partem noctis comburit: & metuendum erat, ne serpens malum vrbem totam inuolueret.

Nam

Digitized by Google

Nam præter eam domum, vnde egressa erat flamma, vicinis circùm tabernis magna inerat vis eiusce mercimonij, quo incendium aleretur: nec tutum videbatur propius ad restinguendum accedere, quòd aliqui, dum ingerunt sese confidẽtiùs, impetu ignis abrepti absumerentur. Excitus tumultu Prorex ipse in publicum prodijt, & qua hortando, qua imperando communi periculo occurrere laborauit: idem pro virili etiã Magistratus præstitit. Demum crescente malo visum est ab humanis, ad auxilia diuina cõfugere. Nocte intempestâ religiosis cœtibus, parœciisq; supplicatio indicitur. Tremenda Eucharistiæ mysteria è sacrario afferũtur, vrbis compita precantium psalmodiâ personant: & dum Nostri Litanias domi recepto more recitant, destinati è Socijs duo, qui ceram Agni consecrati flammis inijcerent, id quod & alij Religiosi præstiterunt, Ita facilè coërcita ignis licentia est, & periculum minori damno, quàm timebatur, discussum. Nouem capitum in vna duntaxat domo facta iactura est: reliquæ decem domus eodẽ exitio inuolutæ neminem perdiderunt. Totidem item, ne latiùs flamma vagaretur, pabulúmque haberet iubente Magistratu disturbatæ. Accidit illud quoque in hoc incendio memoriâ dignũ, quòd cùm imago lapidea B. Virginis (de quâ in litteris CIↃ. IↃ. LXXXIII. perscriptum est, multum renitentibus hæreticis Senatus auctoritate fuisse restitutam) parietibus hæreticæ domus affixa esset, & vndique flammis obsessa teneretur, immò & basis ardoris vi corrupta fatisceret; salua tamen

& in-

Digitized by Google

& integra perstiterit: vt intelligeretur, credo quos ea vindicta designârit.

IV. NAM LÆTIORA Catholicorum votis benignissimus DEVS indulgere solitus est: præsertim ijs, qui B Ignatio nostro apud DEVM interprete vsi sunt. Infantulus è primaria familia aniculus, sex ipsos menses febricula laborauerat, nec quicquam in medicis spei reliquũ erat. Mater spe meliore concepta, protinus se voto obstringit, si cõualuisset, quorannis se, quoad viueret, pridie Natalis B. IGNATII à cibis sibi temperaturam, ipso porrò festo die expiato per Confessionem animo augustissimum CHRISTI Corpus piè sumpturam, & si se viuâ ipsum in Diuorum album referri contingeret, curaturam, vt DEO incruentum Sacrificium ad eius celebrandam memoriam offerretur. Ex eo tempore infans curatus, febrique non amplius arsit. Matrona item è præcipuis cùm dysenteriæ morbo difficili & periculoso teneretur, similitérque se deuouisset, magna medicorum admiratione, discusso periculo repentè melius habuit. Adolescentem noctu lemures variâ formâ, canum, murium, felium infestabant: quæ laruæ imagine eiusdem Beati, Agni sacra effigie, & lustrali aqua fugatæ sunt. Nec corporibus modò Beatus Noster medicum se præbuit, sed animis etiam, excellentiori quodam modo ac ratione: sacris videlicet commentationibus suis, quibus non pauci primæ noti viri, atque in ijs Senatorij ordinis tres, & Franciscanæ familiæ Patres de antiquioribus quatuor exculti sunt.

Digitized by Google

sunt. Sed & hoc pertinet adhuc ad domestica.

V. SOLEBANT antehac Parthenici statis de more diebus carcerem & Xenodochia inuisere: nūc ea ratio inita est, vt quemque eorum semel tantum vno quoque anno ille ordo tangeret; semel item ad domum hospitalem iret. Vnus semper è senatu familiam ducit, cuius in ædes reliqui conueniunt, partim causidici & mercatores, partim scholastici. Ibi in vnum confertur, quod quisque eleemosynæ nomine erogare statuit. Quinquageni nonnunquam aurei, quadrageni minimùm colliguntur. Fuit nuper, cuius vnius symbola Frācos quinquaginta effecit. Inde cùm ad ergastulum ventum est, habetur ab vno è Sodalibus, eóq; ferè Sacerdote accōmodata ad vinctos hortatio: sub qua viritim cuiq; eleemosynam porrigunt: tum si quid in cōmune consulēdum est, quod in eorum solatium sit, id strenuè curatur. Si quis modicâ sum̄â redimi potest, cōtinuò manumittitur; vt vnus non ita pridē nummis aureis decem. Eadem lex ad valetudinariū euntibus dicta est: namq; vt in egentiū ædes ingressi sunt, collectis in vnū pauperibus percontātur, ecquid cuiq; ad frigus maximè arcendū sit necessariū? Refertur id in codicillos, & p multitudine ac necessitate certus numerus pileorū, tibialiū, calceorū opificibus imperatur. Iidē Sodales, (quòd qui publico carcere attinentur, Missæ sacrificio interesse nunquā possint) impetrārant ab Illustriss. Cardinali, vt inter ipsa septa Dominicis festísq; diebus fieri liceret: locū proprijs impensis

penſis ſe empturos receperãt: & eſt collecta iam in eam rem ſatis magna pecuniæ ſumma; ſacellóque exædificando opera datur. Ad Excurſiones venio.

VI. QVATVOR in agris, quinque Sacerdotes laborârunt, Aduentûs Domini, & verni ieiunij tempore: vbique libenter auditi & viſi. Venit aliquando ad Sacerdotem vnum conſilij accipiendi cauſa mulier vnà cum parentibus, quæ ſub ipſam celebrationem nuptiarum nefario maleficij carmine ligata, nec cum viro eſſe; nec eum oculis, vt maximè vellet, vſurpare poterat. Eam faſcinationem cœleſtis Sponſus poſt Confeſſionem admiſſus, & Eccleſiæ adiurationes ritè per Curionem adhibitæ ſuſtulerunt. Sublatus pariter inuereratus abuſus quorundam, qui talibus maleficijs impediti hanc expediẽdi ſui rationem inibant.

Dirimebatur primò in ſpeciem contractum, antè legitimè matrimonium: mox ijdem inter ipſum Miſſæ Sacrificiũ repetitis cęremonijs denuò iungebantur. Sub initium Quadrageſimæ Sacerdos quidam ſolutis moribus in morbum incidit ex ebrietate: accedebat ad ægritudinem corporis animi quoque perturbatio ex aſpectu aſſiduo grauis, vt videbatur, cuiuſdam hominis hortantis, vt ſe réſque ſuas dederet, & quocumque ipſum ducturus eſſet, comes ſequeretur. Aduocatus ad eum Noſter, dum pergit moleſtus eſſe Cacodæmon, confitenti aures præbet: dein viaticum afferri iubet ad cuius præſentiam ſpectrum euanuit.

Ægro-

Digitized by Google

Ægrotus verò quod certum vitæ periculum à medico nunciabatur, oleo ad postremum certamen inungitur. Quo remedio receptis sensim viribus contra spem omnium ad sanitatem, & paulò pòst ad munus suum rediit.

VII. QVOD SEQVITVR tametsi ad nos non adeò pertineat, quia tamē multùm valebit ad exemplum, his litteris inseri placuit. Villa est ad Vasatense oppidum, illud ipsum, in quo Cōciomator noster magno desiderio exspectatus est, ad quam vidua nescio cuius impuri hominis corrupta blanditijs, clam omnibus infantem perpererat, conscio solùm amatore. Is ne res in vulgus emanaret (vt misera quidem affirmabat) callido, sed crudeli cōsilio, elisis faucibus proli cum scelere lucem ademit: nec formidandum putabant, ne facinus noctu patratum, corpusculo intima ædium parte defosso, stratisque desuper paleis, & pomis aggestis, aliquando proderetur. Sed omnia contuentem oculum fallere vtique difficile est. Erat non procul alia villa secundùm publicam viam, quò identidem illa infelix vidua rei familiaris causâ commeabat. Ibi cùm aliquādo inter vicinos gratis fabulationibus tēpus falleret, subitò catellum aspiciunt, humani cadaueris reuulsum à trunco crustulum fœdè trahentē. Eum mox peregrinus quidam sequebatur, qui de via transeuntem tristi cum onere animaduerterat. Obstupuêre vehementer qui aderant rei spectaculo: misera verò mater facti conscientiâ consternata etiam expalluit. Sed quòd ignoraretur, vnde cum ferali hac prædâ bestia prodijsset,

dijſſet, res tum relicta eſt in medio. Poſtera luce notam ad ſaginam reuertit canis, capútq; infantis mordicùs arreptum effert herilem in domum. Vidit rem eques ex itinere, locúmque vtrumque cum admiratione notauit. Itum extemplò ad Magiſtratus: perluſtrata diligentiùs viduæ domus, omnes latebræ exploratæ, nec vllum tamen certum comperiebatur indicium: ac re iam deſperata diſceſſum parabant; cùm vnus fortè è publicis miniſtris, qui aderant, in foſſam dehiſcente ſolo crurium tenus prolapſus eſt, vbi terra fœtum nequicquam obruerat. Secuta infamis mulierculæ neceſſaria confeſſio, ſumptúmque de ea ſupplicium. Ille nefarius fugâ ſibi conſuluit. Talibus argumentis edocti reliqui, nullum tam abditum admitti facinus, quod non aliquando ſcelerum æquus vindex in lucem producat, & vindictam.

VIII. CONTINVATA eſt hoc anno, ſuſcepta priore, Benearnenſis expeditio; quamuis infernus hoſtis vnà cum clientibus ſuis Hæreticis omnem mouerit lapidem, ne Patres in hanc vineam admitterentur. Noſter apud Epiſcopum ferè morabatur, & verba quotidie in æde primaria faciebat. Eiuſdem iuſſu in vicina ſubinde loca excurrebat, vt deſertis tãdiu populis, aliquid ſubſidij afferret. Et quidem cum Epiſcopi Vicario nobilem in vicum profectus eſt ad reſtituendum colonis auitæ religionis cultum, quo annos totos vndequadraginta caruerant; cùm interim magiſtris ac paſtoribus orbati, tanto tem-

Digitized by Google

temporis interuallo suam ipsi fidem, & vetus institutum tenuissent: licet semper Hæreticus illis Gubernator præfuerit, Lemanicúsque minister omnes aditus eos ad se pertrahendi tentauerit. Viginti solùm ex omni numero tot cladibus bellicis, aduersæque factionis iniurijs cedentes de gradu fidei se dimoueri passi sunt; cùm huius vnius expeditionis tempore sedecim alij eorum loco sint cum Ecclesia reconciliati.

Quo primùm die Sacrum apud illos fieri cœptum est, mille supra ducentos sacrificanti tum Vicario, tum Nostro concionanti adfuerunt, & septingenti cum cereis ardentibus in supplicationem prodiêre. Inter hæc quiddam euenit vicino in pago haud exigui ponderis ad comprimendam Caluinianam vesaniam. Cùm dies ageretur memoriâ Christi passi meritò luctuosa, & se solenni ieiunio atque à cibis abstinentiâ Catholici macerarent, Hæreticus homo, puerorum ibi pædagogus (is se inter suos Diaconum ferebat) incredibili procacia sumo manè in popinulam ingreditur, diémque totum potitando, ludendóque intemperanter consumit, atque in suam etiam partem quosdam de Catholicis pertrahit. Erat res pessimi exempli plenissima. Siquidem vt in eius diei honorem se contineret, à nonnullis admonitus, contumelioſa etiam in CHRISTVM nefariè loquutus, restiterat. Itaque à patre, quem tamen habebat Hæreticum, propter tam insignem nequitiam domo exturbatus, ad vnam è sororibus nocte illa diuertere cogitur.

Digitized by Google

Postridie orto sole subtristis ientaculum imperat: in eam tem paucos nummulos elargitus ad ambulatiunculam se accingit. Egressus recta in profluentem abit: vestes ad ripam inuentæ sunt: dixisse eis pepercisse, qui seipsum iuerat perditum: cadauer aquis extractum fuit omnibus ostentui, qui pridianas eius blasphemias non sine stomacho sustinuerant. E Catholicis, qui cum publica offensione cum eo luserat, tam atroci casu exanimati ad Curionis pedes lachrymabundi accidunt, facti veniam postulant. Is in speciem retinendæ seueritatis, *negat se in Ecclesiam admissurum, qui diem omnium sanctissimum facto turpissimo profanassent: irent ad suum Pontificem, & ex eius sententia voluntarias sacrilegij pœnas de se sumerent.* Neq; ægrè tulerunt repulsam: vehementer enim suimet ipsos pudebat; pigebatque. Episcopus & qui aderant ex Nostris, rem gestam, vti scripta est à nobis, accepit.

IX. VARII abusus Petrochorienſium Collegarum operâ sublati. Aduentûs maximè tempore, quo sermonibus quotidianis vrbs egregiè exculta. Ludus aleæ adeò inualuerat, vt ne mulieres quidem huic vacare sibi probro ducerent: is ergo magnam partem disturbatus est. Iuuenem sub ipsam nuptiarũ celebrationem veneficijs à mente alienatum, vanáque cum Dœmone colloquia identidem miscentem, parentes in ædem Collegij adduxerant, tametsi ab aspectu Nostrorum abhorrentem. Eum vbi Sacerdos blando allocquio mitigauit, & primùm ad euerrendas animi sordes, deinde etiam ad ferculi cœlestis esum impulit;

Digitized by Google

pulit; adeò prior ille seu furor, seu fascinus cessisse visus est, vt passim diuinas laudes, efferente se animi lætitia, iam valens, sibiq; restitutus decantaret. Parem gestientis animi lætitiam ostendit vir nobilis, post quã Romanæ Ecclesiæ fuisset aggregatus: nec satis habuit suæ se saluti consuluisse, sed & vxorem cum liberis eiusdem boni participes effecit.

X. OPPIDVM est Petrochorio non longè distans, vbi Caluinianus quidam thraso intolerabili superbia neminem Iesuitam esse coram suis ostentabundus gloriabatur, quem vti discipulũ, (præclarus videlicet magister) è cathedrâ docere ipse non posset. Indigna res visa nobili cuidam feminæ Catholicæ: adducturam se promittit, qui coràm animosè cum eo confligeret: nec recusat duellum ventosus Dares. Dies dicitur de voluntate P. Prouincialis, qui tum fortè agebat in hoc Collegio: nominatur è Socijs certamini vnus: sed noctua cùm serium aduersarium animaduertisset, lucis metuens suis se tenebris occuluit. Concionatur publicè Noster: dantur ad prouocatorem litteræ, vt se sisteret. Is se nihilominus domi continet, vnum ex alio impedimentum, & inanes occupationes prætendens. Offendit ea res exiguum Hugonoticum gregẽ: è quibus vnus, domo Petrochorianus: *hæccine vero*, inquit, *illa pugna est, quam moliebare? hæc illa virtus? hi lacerti, bellandiq; peritia, quam ostentabas? absente scilicet hoste leo, præsente lepus.* Tum adiecit, quandoquidem prædicans suæ religionis causam tueri vel non auderet, vel non posset:

Digitized by Google

ad eos se transiturum, qui & possent, quibúsque suo ille silentio victoriam incruentam cõcessissent. Cui egregius pugil, ne se palàm deridendum propinaret, Petrochorios se cogitare respõdit, ibi rem opportunius posse transigi. Offert iste suas met, quas ibidem haberet ædes, ne quid deesse porrò causaretur. Tempus iterum statuitur: iterum leuiculus homo vadimonium deserit, accusans per litteras varia negotia, quibus ad dictum diem adesse impediretur. Ita nunquam comparuit.

XI. ALTERIVS excursione perfectum est, vt Sacerdos fidei desertor sanctimonialem, quam inter Hæreticos multis annis pro vxore vsurpabat, atque ex ea prolem iam masculam & femellam susceperat, Tolosam in Conuersarum, vt vocant Cœnobium superatis Caluinistarum insidijs duceret: filius in hospitali domo collocatus est; filia curæ honestę matronæ commissa: pater in remota aliqua diœceseos parte ad suum munus & institutum reuocatus. Hæc à Petrochorienſibus.

XII. AGENNI res litteraria nunquam felicius administrata fuisse videtur. Vnius Partheniorum alumnorum, qui & Præfecti dignitatem egregiè sustinebat, fuit hoc factum pro exemplo memorabile. Confluebat in vrbem ad Proregis aduentum vicina nobilitas, & erat is adolescens veteris familiæ loco natus, indéq; multis aduentantium nobilium familiariter notus charúsque, qui hominẽ inuisentes quæsiuerunt, ecquid nobiles feminas officij humanitatísq; ergo secum adire,

Digitized by Google

adire, consalutaréq; paratus esset, earum sibi fauorem & bonam gratiam simul cum illis conciliaturus. Ille, qui se diuino cultui iam pridem mancipatum esse vellet, status conditionem, vitæq; institutum in excusationem adferre, hi non accipere, sed vrgere, contraque instare importuniùs. Ergo iuuenis ne rusticus aut inurbanus videretur, se obtemperaturum, sed eo pacto, vt quas ille volebat priùs ab ijs conuentas, eæ priùs conuenirentur. Condicitur. Ille constituta die ornare se, comere, & quàm solebat splendidiùs se ostentare. Tum comitatum suum rectà in Xenodochium deducere, vbi vetulæ rugosæ lectulis affixæ cum varijs morborum molestijs luctabantur. Loci facies, ædificiúque frons consilium adolescentis adiuuabat, vt quò ducerentur, ignorarent, donec ipsam ædem ingressis, tristis decumbentium aspectus piam fraudem prodidit: tum enim verò adolescens singulis vrbanè benignéque salutatis, ad comites subridendo conuersus; *Quid vos*, inquit, *ô amici, quàm comiter dominas istas consalutatis? quâ humanitate fauoréq; complectimi? Itáne verò me in vestras illas vrbanum esse non displicebit? Vobis certè antè hic præire mihi par fuerit, vt quâ vos has ciuilitate, eâdem ego illas deinde excipiam.* Illi rei insolentia, inexpectatóque exemplo perculsi, non poterant nisi mirari virtutem, laudare ingeniosam pietatem. Erogatâ inde in ægrotantes eleemosyna discesserunt, nec vnquam pòst amplius de visitando nobilium gynæceo adolescentem interpellárunt.

Digitized by Google

XIII. ÆGROTABAT ex eiusdem Sodalitij cœtu optimus adolescens. Huic quoniam alia remedia nihil proficiebant, mater è collo nescio quas superstitiosas bullas à veneficis acceptas suspendere tentabat, certissimam sanitatem pollicita, ijsdem ritè si vteretur. Recusauit filius melior matre, præoptauítq; mori innocenter, quàm sceleratè, & magorum beneficio, seu potius maleficio viuere. Similes victoriæ de præstigiatoribus, eorúmque principe reportatæ plures id loci fuêre.

Admodùm puer pœnéque infans febriebat, qui balbutiendo vt poterat, à laruis seu lemuribus infestari, & ad necem peti lamentabundus matri queritabatur: recitato Euangelio à terriculamentis illis liberatus, paulatim conualuit. Ædes duæ ab ijsdem iniquissimis dominis obsessæ, liberatæ sunt: altera B. Ignatij Nostri imagine, lustrico fonte altera. Puellæ in eam animi ægritudinem mœorémque deuenerat, vt propius factum sit nihil, quàm vt fandi vsu priuata obmutesceret: quæ tamen eiusdem lustralis vndæ hausto ad hilaritatem mentis serenitatémq; reuocata loqui expeditè cœpit. Agnus cereus contra eadem mala frequens fuit amuletum.

XIV. DERIVATA curarum & charitatis Aginnensium Sociorum pars in oppida quoque vicina. In eorum vrbe, cuidam seni procuratum extremæ vnctionis beneficium est, quòd nulli in ea vrbe iam inde ab annis fermè quinquaginta collatũ fuisse bonus senex affirmabat; adeò Hæreticis spinis omnia horrebant. Viginti ex eò

cœno

cœno producti, si quatuor addas, qui domi manum porrigentibus Nostris emerserunt. Septuaginta aureorum prouentu annuo istius Collegij res auxit.

XV. LEMOVICIS ex Sodalium Partheniorum albo quidam suâ culpâ expunctus, dum Burdigalam aliquantò pòst contendit, ipsa sacratissima nocte, quæ Christo Domino natalis est, in silua tenebris oppressus, frigore, cœlique iniurijs obrutus, solus ac desertus moritur. Nam postero die neq; vllum in eius cadauere vulnus apparuit, neque quidquam vel de pecunijs, vel vestibus ademptũ erat, sed integra & salua omnia aderant, sola vita abesat. Alius dum cunctatur Sodalitium ingredi, in morbum incidit, atq; eo tamdiu tenetur, donec causam morbi penitus sustulit. Inductus in eadem Congregatione diebus Dominicis per aliquod tempus cõtemplandi vsus, mirum quantas animis delicias peperit. Quadraginta horarum comprecatio sub veris auspicia solito apparatiùs hoc anno celebrata est. Post Anastaseos ferias alio industriæ genere excitata populi pietas. Solemni namque instituto antiquæ Lemouicensium religionis septimo quoque anno vertente, sacra Diuorum lipsana, quæ hîc multa sunt, ex adytis suis in lucem, augusto ritu populo ad venerandum expromuntur; id quod & hoc anno insolitâ populi frequẽtiâ ac fructu peractum. Foris hoc præstitum.

XVI. COGNACI in agro Engolismensis oppido Sacerdos vnus præter quotidianas conciones solennis ieiunij tẽpore binas de rationibus con-

Digitized by Google

scientiæ statis hebdomadæ diebus ad vrbanum Clerum, & finitimos Curiones scholas habuit.

Vir quidam grauissimi facinoris conscientia miris modis torquebatur: qui cùm se absq; pœnitentiæ remedio conualescere non posse intelligeret, & in dies magis magísque Concionatoris vocibus morbi grauitatem sentiret; tamen res esset eiusmodi, quam tutò cuiuis non committeret; facta sua, vitamque omnem in charta depingit, adjcítque enixas ad Sacerdotem nostrum preces, obtestatus *per DEVM, per & eam, quâ flagraret, salutis animorum cupiditatem, vt eum miserrimi omnium homuncionis, quotquot vnquam fuerint, aut futuri sint, aliqua commiseratio capiat: cupere se vehementer noxarum suarum intolerabili onere leuari. Cæterum quo minus illum coram adeat, iusto metu & certo vitæ discrimine impediri.* Hoc argumento scriptas litteras & obsignatas sine nomine ad aram ponit, in qua Pater sacrificare consueuerat. Ille his perlectis attonitus facto sacro demoratus est aliquantulum, circumspectans, si quis se fortè offerret. Vbi nemo paruit, responsi consilium in præsens distulit. Postridie tamen rescribit, & epistolam eodem reponit loco, quâ hominem hortabatur, veniret confidenter, & plagas medica manu sanandas ostenderet, antè se oppeturum millies, quàm vt firmatam Sacramento fidem falleret, aut filium amantissimum nefariè proderet.

Tertio inde die inuentæ aliæ litteræ desperationis plenissimæ. Vicit tandem pertinacem S. Spiritus impulsus, vt aliquanto pòst tempore ad Patrem

Digitized by Google

Patrem veniret, & in lachrimas solutus totum se ei patefaceret.

XVII. PICTAVENSES nostri Magistri annum iam tertium in alieno Gymnasio iuuentutem ad litteras exercebant, loco incommodo & perangusto: qui hoc demum anno postridie Calēd. Ianuar. in scholas ipso in Collegio confectas migrārunt. Natalem earundem diem publicis declamationibus discipuli, concursu ciues & gratulatione celebrārunt. Templo præterea tectum & fastigium est impositum. In eo, lucalibus Rhetor de templorum fabrica opportuno & probabili argumento disseruit, tota in primis spectante & probante Academia. Dux Rotomensis vrbi Præfectus officij causà Collegium inuisens, exceptus vario carmine est. Concertantium verò de re litteraria puerorum ludicrum spectaculum hominem ita tenuit, necesse vt fuerit vltra sesquihoram ad consuetum scholarum tempus adijci, dum conflictus illius finis exspectatur. Numerantur discipuli facilè octingenti: eorum septem hæresim à parentibus acceptā dedocti: quatuor item alij idem beneficiū acceperunt. DEO sacræ Virgines quindecim cōmentationibus B. Ignatij excultæ. Anteibat omnes exemplo & auctoritate Illustrissima Antistita Monasterij à S. Cruce nominati, soror Principis Auriaci: cuius rogatu in ipsa S. Crucis æde ternas singulis hebdomadis per Aduentum & Quadragesimam conciones habuit Nostratium vnus.

SAM-

XVIII. SAMMAXENTIVM, vt anno superiore, missus vnus Cõcionator cum socio: qui duos ad Ecclesiam ex hæresi vocauit. Confitentium multitudo ter superauit prioris anni numerum, etsi tum decuplo, quàm antè plures pœnitentiæ Sacramentum vsurpâsse ferebantur.

XIX. LVCIVS frater Magni Constantini celeberrimum Cœnobium in extremis finibus Pictonum ad Paludes clarum priscæ pietatis monumentum olim extruxerat: ibi nunc Episcopi Lucionensis sedes est, & oppidum eiusdem nominis: quò ipso petente Præsule quidam è Nostris concionum causâ missus, operæ pretium fecit. Dicebat ad populum quotidie: diebus Dominicis capita Christianæ doctrinæ ad ædem S. Philiberti pueris explicabat: quæ res vt inusitata & insolens, (nondum enim quisquam illis locis Nostrorum visus fuerat) maximis celebrabatur hominum studijs. Cuius institutionis fructus vt esset diuturnior, in morem induxit, vt festis diebus inter ipsa sacrificij solennia, dum populus ad sacrificiũ decantato Euangelio de more confluit, duo adolescentes è superiore loco post orationem Domini, & Apostolorum symbolũ, Decalogi & Ecclesiæ præcepta Gallico versu publicè pronunciarent. Per hæc studia viginti circiter viris vinolentiam, cui fœdè admodum assueuerant, paucioribus feminis obscœnum corporis quæstũ abstulit, aliquot ab Ecclesia transfugas in viam reduxit. Bonorum ita propensos in pietatem animos Põtificis virtus stimulabat: visus enim in tẽplo est à popularibus sæpe, cùm

apud

Digitized by Google

apud Nostrum conscientiam purgaret, vnique eius comitatus, & de Clero optimus quisque. Quibus hunc in modum è Republica peractis, idem vigilantissimus Prœsul ad obeundam Diœceseos partem eundem Patrem deligit. Et quinquagesimus hic annus est, postquam Episcopum suum, quo primùm die ad gregem ex officio visendum Paludes intrauerat, facinorosi quidam veneno sustulerant. Nullus ex eo tempore Pontifex, ne capitis adiret discrimẽ, lustrare prouinciam audebat. Vnde ingens vbique fuit aduentantantis Episcopi exspectatio, tantúmque eius aspiciendi desiderium, vt ad octo hominũ millia ad ipsum interdum confluerent, quibus alternis diebus Confirmationis Sacramẽtum impertiuit. Noster multùm cum Parochis egit, vt officio suo reformatis moribus accuratiùs fungerentur. In vno vico Sacerdotibus duodecim auctor fuit, vti bis hebdomadis singulis de Conscientiæ iure ipsi inter se disceptarent, arbitro Curione, viro erudito: probauit consilium Episcopus, & vim legis habere voluit.

XX. IN CONDVCTO adhuc, insalubri ac perangusto Burdigalensis Tirocinij domicilio, multis morbo tentatis, vnus superatus est, Leonhardus Dubois, patria Lemouicensis, egregia indole iuuenis. Sesquiannum in Tirocinio consuetis experimentis posuerat, cùm pridie natalem B. Ludouicæ Gonzagæ diem, post aliquot dierum religiosum secessum, generalémque exomologesim, & publicam in Triclinio flagellationem in morbum incidit, quem se Ludouico (vt & alia quæ-

Digitized by Google

quæpiam eiusdem precibus impetrata) acceptum referre, vni è socijs ingenuè confessus est. Oleum, quo postremam ad luctam inungebatur, vomitum sedauit, vt viaticum cœleste admittere posset. Extremo die voces eius quædam quasi luctantis cum hoste exceptæ sunt; *Falsum est; non sum Theologus; non percipio quæ dicis:* quam perturbationem eximia vultûs hilaritas & tranquillitas mentis excepit, manifestum indicium victoriæ; quam etiam exclamans patefecit: *Victus est:* ad cuius auditum admonitus ab astantibus, vt DEIPARÆ opem imploraret, *implorata est,* inquit. Et quidem eam præcipuo semper studio coluerat, ac paulò antè dum ab excursione redit, in qua vni Patrum comes erat, hæreticos homines, quibus se in via coniunxerat, ignarus qui essent, profana quædam in cœlestem Reginam spurco ore iacientes non modò palàm animosè coarguit, sed neque ex eo tempore cum eis vnà cibum sumere, nec in eodem cubiculo diuersari, nec videre quidem vltra, nec cum eis vnà cœptum iter prosequi sustinuit. Decessit, cùm prius ad Societatis vota admitti petijsset, & impetrasset.

PRO-

PROVINCIA LVGDVNENSIS.

A Socijs culta eſt hæc prouincia quadringentis triginta & vno. Mortui ſex. Admiſsi octodecim.

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
Collegium Lugdunenſe	LXIII.	XXIV.	VI.	XXII.	XI.
Auenionenſe	LXV.	XXII.		XXX.	XIII.
Turnonenſe	LXVIII	XVI.	V.	XV.	XII.
Camberienſe	XXXVI.				
Diuionenſe	XXI.	X.	IV.		VII.
Dolanum.					

Digitized by Google

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
Biſuntinum.	XXX.	XVI.	IV.		X.
Viennenſe	XVII.	IX.	II.		VI.
Ebredunenſe	XVI.	VIII.	III.		V.
Carpentoract.	XVII.	VII.	V.		V.
Domus Auenionenſis	XXXII.				
Probat. Lugdunenſis.	XXX.				

Ab hæreſi abſoluti centum & nouem.
De vaiuerſa vita Confeſſi quinquaginta.

Digitized by Google

COLLEGIA LVGDVNENSE CVM SVO TIrocinio & Auenionense.

I.

LVGDVNI lethali pleuritide sublatus è Nostris est Petrus Bressandus anos natus triginta duos, decem in Societate versatus: quibus quem in virtute progressum fecerit, satis eius in morte subeundâ fortitudo, hilaritas, atq; patientia declaratum'. Parentatum vt in hoc Collegio, ita in Prouinciâ passim Henrico IV, bonæ memoriæ, ea pompa luctúque, quem tanti Regis talis obitus requirebat. Cæterum tam à domesticis strenuè gesta res, quàm à peregrinantibus: & hi quidem contra Hæreticos Ministellos firmum se propugnaculum obiecerunt'. Gratianopolis ciuitas est suprema apud Delphinates curiâ nobilis: in illa quidam è Nostris aliquanto tempore quotidianum Ecclesiasten egit; bis in hebdomada Catechisten, præsente semper

N Episco-

Digitized by Google

Episcopo, qui felici huius sancti exercitij successu, & iuuentutis pio ad inuidiam disputandi feruore delectatus, non potuit homo id ætatis & dignitatis, quin publicè exũ danti lætitiæ lachrimisque simul habenas laxaret. Interfuit etiam ipsemet casibus cõscientiæ, quos Noster Sacerdotibus indigenis exponebat. Habita diebus Sabbathi in ergastulo ad vinctos pia exhortatio, septemdecim posita contumaciâ Ecclesiæ cessêre. Mira contigere hæc. Matrona quædam in puerperij doloribus diu multúmque versata vexataque iam cum morte luctari videbatur. Eius commiseratione ciuium quidam tactus, animo atque oculis simul in cœlum intentis, sic tacitus orat: *Beate Ignati, si verum est, vt fertur, te tanti apud* DEVM *esse meriti, languentem mulierem solita tua charitate dignare.* Vix orauerat, cùm mulier Ignatij fauore obstetricante infantem incolumis est enixa. Alia quædam eáque vidua in morbum inciderat, à quo vt liberaretur, cùm in humanis præsidijs parum spei posuisset, pecuniæ multùm, spõre animum adiecit ad B. Xauerij cuius ante aliquod tempus vitam legerat, auxilium implorandum; quod restituta valetudine præsentissimum est experta. Eodem successu tertia, quæ de consilio cuiusdam è Nostris Beato Ludouico Gonzagæ votum emiserat, perfectam sanitatem, quo tempore desiderabat, obtinuit.

II. RVSTICVS adolescens (vt ne domestica negligamus) maleficæ cuiusdam (nisi mala suspicio est) præstigijs fascinatus, sic exsuccus marcesce-

ceſſebat, vt non iam ſpirans homo, ſed exangue quoddam ſimulacrum hominis videretur; qui duplici Sacramento Confeſſionis & Euchariſtiæ duplicem ſanitatem corporis & animæ accepit, iam magno ſuo ſuorúmq; gaudio toroſus ac fortis agreſtis vitæ laboribus exercetur. Religioſæ familiæ deſertor & concionator non infimi ſubſellij Geneuam ad Hæreticos confugerat: exceptus eſt quàm honorificentiſſimè, in ſpem ſcilicet magni declamatoris.

Verùm cùm doctrinâ fultus, ſciolos illos Academiæ Magiſtellos, ſubinde in ſaccum, (quod dicitur) conijceret, atque craſſam ipſorum ignorantiam ſtoliditatémque ingenij verbis eleuaret, nec non ei aliquod fortè contra politiam vrbis verbulum excidiſſet, opprimendi hominis anſam arripuerunt æmuli, eiúſque ad Magiſtratum delato nomine, ſuis machinationibus ſunt aſſecuti, vt prætextu violatæ Reipublicæ virgarum publicè tolerandarum ſupplicio, atque vrbis exilio damnaretur. Ea verbera Phrygem ſapere docuerunt; vt & ad nos pro conſilio, ad Eccleſiam pro venia, ad ſuum ordinem pro pœnitentia accederet.

Itaque præter illos qui ſupra in Excurſionibus nominati fuêre, vndeviginti alij à Lugdunenſibus Noſtris in fidei Societatem aſſumpti ſunt: viginti quatuor plures ab Auenionenſibus. Scholæ ſupra mille trecentos habent auditores. Et mille ducentas argenti libras contulêre Lugdunenſes, quibus ædes futuro noſtro ædificio percommodæ, de hæretica

Digitized by Google

virgine sunt coëmptæ: totidem iterum pari munificentiâ, quibus tigna comparârũt, aulæ scholarum contegendæ. Argenteam lampadem ducentarum librarum in templo Nostro suspendit ciuis. Omnium verò maximè rem sacram auxit D. Franciſca de sancto Agniano, Antistita sacrarum virginũ in Regio D. Petri Monasterio: nam recondendis S. Sabini reliquijs Româ ante duos annos allatis thecam argenteam mille librarum curauit. Tirocinij domus antiquo ære alieno leuata est mercatoris cuiusdã beneficio, qui gratis & vltro mutuam ad id soluendum pecuniam tantisper obtulit; ac licet hoc domicilium in remotum satis vrbis angulum abiectum sit, nihilominus tamen nunquam desunt ex præcipua nobilitate, qui ad nos pietatis ergo ventitare solent.

COLLEGIA TVRNONENSE, CAMBERIENSE, ET DIVIONENSE.

VII. PAREM IACTVRAM in Socijs fecêre Collegia Turnonense & Camberiense. Vtrumque singulos amisit: hoc Claudium Voley, rei familiaris curatorem formatum, qui annos sexaginta quinque natus, sex ac triginta Societatis Ministerijs varijs impensè curandis commodârat. Vir fuit, vt Obedientiæ studiosissimus, ita & laboris patientissimus. Nec verò dubia extitêre in ipsum diuini amoris indicia. Cùm enim inclinãte iam vita velut sibi ipsi redditus non modò affluentibus

Digitized by Google

bus aliàs diuinis solatijs destitueretur, sed etiam mœrore quodam ingenti premeretur. adfuit ad decumbentis vigilantísque cubiculum magna Dæmonum caterua, truci horrendóq; aspectu, vt ad D. quódam Antonium, leonum, vrsorum, taurorum, draconúmque portentosis formis ægrum territura, quibus voces congruç respondebant ad disturbandum de Spei arce aduersarium. Ille inter pugnã cœlites auxiliares aduocare, coniunctísque viribus tortoris conatus retundere: cùm enim se ab illo metu tantillum reuocâsset, spectandum se obtulit athletæ suo cœlestis agonotheta, veluti clauis cruci affixus, & sermone dignatus pauentem erexit, pollicitúsque est ad extremas vitæ metas (ne diffideret) adfuturum. Neque rem dubiam habuit P. Rector, cui cùm alijs plerisque nominibus spectata hominis virtus erat, tum maximè incredibili quadam diuinę suauitatis familiaritate: ita enim persæpe cum DEO agens, horas plurimas maximéque in insomnijs, quibus diu laborârat, conterere solitus erat, vt pati potius cœlestem suauitatem, quàm agere quidquam videri posset. E Turnonensi domicilio abreptus P. Voëllus, vnum & quinquaginta annos in Societate virtutum omnium donis apprimè excultus: eius prudentiæ charitatísq; vir, nemo vt ad eum de suis rebus vnquam referret, qui non facti sui fructum aliquem perciperet: tam interim demissum gerebat animũ, vt ne verbum quidem ipsi aliquando excidisse hic quisquam meminerit, quod ostentationem saperet; licet eruditus in paucis esset, vt qui Rhe-

Digitized by Google

toricen multos annos magna cum laude, scriptis etiam & vulgatis libris, fuisset professus.

I.V. NVNC QVIA Domi præter cõmunia vsúque contrita, nihil contigit, ex Missionibus rariora decerpantur. Adolescens Monspelio oriundus, (vrbs Hæreticorum in Occitania est) agebat inter operas Typographicas, lentáque tabe tentata eius valetudo morbo tandem cesserat, & iuuenem lecto affixerat, nec non in eo iam res erat, vt cõclamata spes eum morti, ac nisi resipisceret, morti æternæ adiudicaret. Aduocati tum Nostri cum alij religiosi viri hortantur, vt saluti suæ prospiciat, atq; ad se redeat, imò ad DEVM suum. Ille primùm se ad hæc commenta callum obduxisse iactare: mox etiam vrgẽtibus exasperari, indignari, vim sibi inferri clamitare; orare, vt ab se segregarentur, ad eorum aspectum ingraueſcere morbum, mortem accelerari. Iam per aliquot dies, hac declinatione petitiones omnes eluserat, cùm morti proximũ adoritur Sacerdos Noster monitis, rationibus, precibus, quas durissima cautes tã obfirmato animo respuebat, vt Nostro in genua procũbente, & pro salute eius vota faciente, magnâ voce à DEO cõtenderet, *ne sibi à Iesuitâ insidias fieri pateretur, auerteret veteratorias artes, quibus indignè circũscriberetur; se vel firmis viribus, vtpote illiteratum congressioni imparem, nunc afflicta valetudine crebris quassari machinis, omníque tormentorũ genere impeti: illum tamen radicitus mentis sententiã inhærere, satius esse infera optare, quàm duce Iesuita ad æternã vitam aspirare: certũ sese interim esse de salute, si modò in eo proposito cõstanter perseuerauerit.*

Hæc

Digitized by Google

Hæc identidem inculcanti & vociferanti Noſter, vbi nullum rationi locum eſſe vidit, auctor eſſe, vt ad pijſſimam Chriſti parentē oculos atq; animum aduerteret, eique preces aliquas funderet: *Ego verò*, inquit ille, *nihilo plus opis ac præſidij in ea, quàm in qualibet muliercula eſſe puto.* Cohorruerūt omnes, qui aderant, ad impiam hanc vocem, & Noſter abiectâ lenitatis perſonâ ſeuerioren induere vultum, obiurgare, increpare, minari, denunciare vindicem cœleſtis Reginæ manum; adeſſe illam horam, in qua ante tribunal filij eius ſiſtatur, qui grauiſſimas ob illatam Matri iniuriā pœnas foret exacturus. Poſt hæc ſuadere aſtantibus, vt illam inferorum victimam deſererent, donec ſacrilegam è fœtido corpore animam exhalaret. Ille ad hæc ſenſim commoueri, & horrore perfundi viſus, mitioris mentis ſpem aliquam iniecit. Inſtare ergo Noſter, vt errorem agnoſceret, & à potentiſſima Virgine veniam ſupplex flagitaret, opémque poſceret. Dedit manus tandem, & Beata Matre ter inclamata aditum ſibi ad ſalutem patefeciſſe videbatur, cùm humani generis hoſtis prædam ſibi ab vnguibus eripi ægrè ferens nihil non agere cœpit, ne à ſuis maculis infelix adoleſcens mūdaretur. Tantam ergo eius menti caliginem offudit, vt virginis filium in Euchariſtia agnoſcere rogatus, exclamârit: *Has nimirum eſſe pedicas, quibus eum parārent implicare: hunc cippum, in quem eum præcipitem dare ſtuderent: ſibi verò certum eſſe in illum nequaquam ingredi; ac ſi pergerent vehementius agere, potiùs velle ſe Dæmoni dedere, quàm imperata facere.*

Digitized by Google

Quod quidem tantâ contentione supra vires profitebatur, vt nouissima illius peiora prioribus facta arbitratus Noster, irrito conatu discessum meditaretur. Et iam in limine erat, cùm illius hospitem valere iubens de sacrosancta DEI genitrice nonnulla addidit, quæ ægroti animum (nihil minus Patre cogitante, vt cœlestem in eo iam vim omnes mirarentur) ita perculerunt, vt in alium momentò mutatus Patrem reuocaret, & agnoscere se Matrem, agnoscere Filium profiteretur; sentire se iam, quantum in ea Virgineopis, quantum præsidij esset: ideóque orare se ac vehementer obtestari eos, qui aderant, vt positis genibus gratias æterno Numini agerent, & prodelictis clementiam eius implorarent. Deinde conscientiæ vulnera tanti animi voluptate cœlestique gaudio perfusus Sacerdoti aperuit, vt constaret fuisse hanc mutationem dexteræ Excelsi. Quid plura? Ille qui tantopere à Crucis signo abhorrebat, qui sacros cereos vt idola detestabatur, qui IESV MARIÆQ; voces ingeri sibi tam ægrè ferebat, sacro se munire signo, Agnum DEI exosculari, IESVM MARIAMQ; suauiter admodùm inuocare sponte non cessabat: donec è vita (recitante Nostro illa verba: Maria Mater gratiæ &c.) abiret: vt constare satis videretur, piam Matrem, quem filium sibi præter omnium exspectationem genuerat, secũ in cœlo viuere voluisse. Mira quidem huius vocatio, sed alterius cuiusdam ætatis prouectioris longè acerbiore animo Hæretici tulerunt: quippe qui Professor Theologiæ erat non incelebris, iamque in ministerium

Digitized by Google

sterium solemni suffragio cooptandus: sed is saniore consilio in Societatem filiorum DEI cooptari maluit, quàm gregem hircorum inanibus verborum commentis ad perniciem saginare.

V. CAMBRIENSES operarij tredecim vniuersim in suis excursionibus Christo adiunxêre. Digna relatu adolescentis vox: qui rogatus quam ob rem ab Hæreticis ad Catholica transiret castra: *Quoniam*, inquit, *experimento didici, eos cum Dæmone sentire, & quæ ille odit, eadem istos quoq; oppugnare: salutare nimirum signum, piacularem aquam, alia similia.* Reconciliari DEO, qui totos ipsos quinq; supra quadraginta annos pœnitentia caruerant, nec tamen dici volebant Hæretici, & quod multò magis mireris an lugeas, Curioni datæ aures, qui iam ad vnum sæculum decenniũ addiderat, & summa cum omnium offensione vxorem duxerat; vnde & vulgò Græcus Sacerdos audiebat. Mirabantur interim Nostri in asperis montibus homines inueniri, rudes cetera & imperitos, qui tanto pro Christo patiendi ardore flagrent, vt & sexagenarij senes toto ipso verni ieiunij tẽpore zonas multis asperatas nodis tunicasq; setoso panno horridas gestent, atq; ijs indusium linteum pio astu superinijciant, ne apud familiares gloriolam quærere videantur.

VI. DIVIONE puella quædam, siue magicis carminibus, siue alia vi implicita atrociter à malo Dæmone, quãtum intelligi potuit, obsidebatur. Hanc infestationẽ sequebatur tantus animi mœror, vt salutem desperaret, inculcarétque domesticis & familiaribus crebrò, addictam se æternis

Digitized by Google

ſupplicijs. Etſi verò ad id abſtergendum malum multis ſæpe votis pijs accerſita remedia, tamen reciderunt omnia ſine fructu, donec implorata ad eam rem Noſtri Sacerdotis conſilia; cui dum alia remedia non ſuccedunt, conuertitur ad B. Ignatium, puellam & parentes ipſius ad eius expetenda ſuffragia ſtimulat, monitos quibus ſæpe prodigijs clarueri. Quoniam verò ei familiæ B. Patris nomen parùm notum erat, legi eius geſta ac perpendi iubet. Haud auidiſſimè id conſilij acceptum primò: quare menſis abit, priuſquam ad eam ſe lectionē applicet puella; tum verò cùm vis morbi cœpiſſet intendi, violentiúſq; ægra infeſtari, libellū domeſtici à Patre poſtulatū ceruicibus furibundæ ſupponunt, eáque nocte contra morē placidiſſimè ſomnū capit puella: quæ cùm expers omnis mali euigilaſſet, ſuaſit Noſter, vt ex voto quotannis, recurrente B. Patris feſto, ſacra ſynaxi ſe cōmuniret, & in reliquū vitæ tempus vnoquoq; menſe maculis animi ſacra cōfeſſione ritè perpurgatis Euchariſtiâ ſe pariter reficeret. Non irritū fuit votum: ex eo enim iam fluxerat annus, cùm mentis valetudiniſq; optatæ compos ſuam meritis B. IGNATII ſalutem tribuit.

VII. DEIPARÆ Virginis Aſpricollis (cuius imago in Dolano Societatis templo eſt) opem ſenſēre ex graui morbo decumbentes pœnéque depoſitæ matronæ duæ, poſtquam voto ſe Virgini aſtrinxerant. Eiuſdem religionis in eandem fructum vberem collegit alia, cui difficili admodum implicitæ negotio, ſupra votum ac expectationem res ceſſēre.

Fulſit

Fulsit & B. Aloysi gloria in hydrope curando. Illius enim imagine conspecta protinus exarsit in eum affectu pio, acceptisq; nonnullis eius reliquijs, atque è collo suspensis, sensim vi morbi remittente cõualuit. Fuit labor Dolanorum Patrum in expeditionibus non cassus. Cùm enim repentinus belli terror impronidas ciuium Bolignensium mẽtes occupâsset, Pater, qui in ea vrbe cõcionabatur, opportunitate hac vsus ad torpẽtes excitandos, & ad eam belli tempestatẽ auertendã, supplicationem quadraginta horarũ instituit curauit. Hortationes ad miseros carcere detentos non habitæ modò, verum etiam à Iudicibus impetratum, vt eorum causæ maturiùs cognoscerentur, expedirentúrq;. Hospitalis item domus confirmata, obnunciantibus licet ac repugnantibus non paucis aduersarijs.

COLLEGIVM BISVNTINVM ET VIENNENSE.

VIII. LABORIBVS pariter & vitâ defunctus in hoc domicilio est septuagenarius operarius Bartholomæus Audæus à modestia atque animi demissione insignis. Cum enim eo nomine ad Societatem admissus esset, litteras vt doceret, suóque tempore ad Sacerdotium, vt fit, promoueretur, maluit labores corporis sustinere, quàm otio scholastico se applicare. Abfuit à morte propius alius quoque è numero Professorum, quippe qui viatico instructus tantum non animam efflauit. Sed enim vt aduertit diem illum adesse, quo Anteſignano nostro in Beato-

Beatorum numerum relato quisque posset arbitratu suo supplicare, ita votis ritè destinatis oranit, vt statim exoraret, incolumisque surgeret: quod prodigium viris quibusdà grauibus & ipsi adeò medico stupori fuit. Magis tamen mirandum illud videbatur ab eodem Beato profectum beneficium. In comitatu Burgundiæ sat opulentæ fortunæ mercator, cùm ob acceptum graue aliquod damnum morbum cõtraxisset, Ignatianarum reliquiarum frustulum, aut aliquod eiusmodi monumentum petijt, quo & suam in Beatum spem magis excitaret, atque ab eo, quod petebat, obtineret. Oblata est Beati effigies in tabellà expressa: quam cùm affecto corpori tota animi cõtentione admoueret, ecce tibi illustriori effigie spectandum se IGNATIVS offert, quem statim agnoscit, quòd eius speciem ex imaginibus sæpe visis in animo suo expressisset. Igitur à præsente iám opem flagitat, impetrat, surgit, & vnà cum vxore prolixas gratias habet. Spondet deinde, quotannis se Ignatio diem sacrũ clauso omnibus negotijs aditu religiosè celebraturum, præmissa in eius peruigilio salutari inedia. Cereum interea Vesontionem misit ad Beati aram accendendum, donec in tabula penicillo adumbratum beneficiũ in templi pariete spectari poterit. Ceream Virginis imaginem ad B. quoque Aloysi Nostri effigiem deposuit virgo prænobilis, quę eiusdem Beati curà ex gemino morbo febris & dysenteriæ conualuerat. Hæc ab immortalibus venêre beneficia: sed nec mortalium fuit in Societatem quidẽ nostram exigua benignitas.

tem-

Digitized by Google

Templi instrumentum binis tum candelabris, tum lampadibus ex argento cælato auctius factum: adeóque quingentorum aureorum pretio sacra accreuit supellex: addidit matrona mille Francos; quingentos alij in rei domesticæ subsidium.

IX. AT VERÒ vt segetem iam carptim attingamus, & quæ in alios à Nostris præclarè præstita fuêre, percurramus, sciendum vix quicquam (quod quidem alicuius momenti esset) ab hoc Collegio susceptum, seu in domo, seu Gymnasio, seu templis, seu foro, intra & extra vrbem, quod non B. Virginis auspicijs, fauoréque expediretur. Hæc argumentum concionatoribus, thema præceptoribus, lemma theatris, materia colloquijs, sermonibúsq; publicis & priuatis locuples fuit. Vnde in vnius Virginis commendationem quodammodo conspirantes cultum eiusdem facilè celebriorem reddidêre. Eo fine instituta noua Sodalitia sunt: in ijs illa, quam Angelorum vocant, eorum candorem integritatémque totis viribus æmulari conantur, à quibus tam illustre nomen acceperunt. Audierat à nescio quo somniatore modestus adolescens Angelo Parthenius turturis iecur ad carnis aculeos retundendos valere: persuasus ille vel auctoritate dicentis, vel amore castitatis (est enim amor credulus) nihil non molitur vt turturem inueniat, inuentámq; mactet; cuius iecinore libidinis æstum restinguat, aut impediat. Quo in facto magis puto laudãda est casta voluntas hæc tentantis, quàm vituperanda puerilis simplicitas ta-

tas talia credentis. Alterum, vtpote grandioris, ſpectatũ magis in re ſimili, nec vulgare amate caſtitatis indicium. Is cùm ante aram Virginis voto caſtitatis ſe obligâſſet, domũmque redijſſet, extare voluit voluntatis ſuæ votiq; monumentum. Igitur quaſi ſuo cruore litaturus, venã ipſe ſibi aperit, votum ſanguineis characteribus in ſcheda exprimit, ſchedam in lipſanotheca reponit, quam maiori poſtea curâ in ſinu ſuo circumtulit. Singularium hæc ſunt facinora: iſtud ad Marianum Sodalitium vniuerſum ſpectat. Scripſimus anno proximè ſuperiori in huius Collegij argumento, Cor argenteum à Sodalibus iſtis DEI PARÆ appenſum: ne quid ergo inane, aut inter mortuum obtuliſſe viderentur, hoc anno in ſuum anathema ſpirantes velut animos infuderunt, dum libellum elegantèr concinnatum ſingulorum Sodalium nomina & promiſſa continentem addiderunt argenteâ thecâ reconditum: vt quod ore ſemel nuncupatum ab ipſis foret, æterno pignore teſtificarentur. Ita à Noſtris infermati Parthenij, ita alios quoque informârunt.

X. SED NEC BVRGVNDIÆ finibus tantum ſe continuêre, vlterius progreſſi ſunt, ad Lotharænos ſcilicet & Gallos, inter quos inueteratarum inimicitiarum radices penitus euulſerunt. Ciues alicubi ita iam in præſidiarios milites, præſidiarij in ciues ſæuire cœperant, vt ſtrages magna inde metueretur: quam procellam Noſter prudentiâ ſuâ conſilióque ſedauit. Non ita multò pòſt companaria turris repentino quodam

defla-

Digitized by Google

deflagrârat incendio: sed D. Luciæ, cui sacra erat illa dies, voto ritè facto, omne periculum abijt. Alio in oppido quidam rogatus de Confessione cogitationem susciperet, facetè omnia elusit: *pascha scilicet esse verum atque vnicum tempus animis lustrandis designatum, reliquo per annum tempore genio indulgendum; neque enim tam multis expiationibus aut largitionibus pontificijs opus esse: viuendum videri, dum per ætatem liceret.* Hunc iocum seriò miser luere debuit: nam cùm intempestæ noctis licentiâ grassatus, verbo in nescio quem peccâsset, lethali secundùm caput accepto vulnere, corruit; & quamuis aliquot dies superuixerit, à sese tamen impetrare non potuit, vt vel exomologesin inficueret, vel vllum dolentis animi signum ederet; adeóque vitam tandem improbus scurra, ab omnibus sacris imparatus, infelici morte concluſit.

XI. LVXOVIVM vrbs est in extremis Burgundię finibus ad Lotharingiam fermè pertinens: eò missus per Quadragesimam è Nostris vnus tam maturam & copiosam reperit segetem, vt singulis ferè diebus ad noctem vsq; in excipiendis totius vitæ Confessionibus detineretur. Restituta ibidem Xenodochij diu neglecta munia, tres supplicationes celebratæ: de morali Theologia cum Religiosis & Sacerdotibus actum, pauperibus & mendicis de veste & cibo prouisum. Monuerat fortè Noster inter concionandum. Christum deductũ à bono spiritu in desertũ, sed homines leues à malo trahi ad puellarũ choros; puellásq; idem subire animę periculũ, nisi caueret sibi

sibi diligentiùs ab eiusmodi vespis. Ecce tibi virgo non adeò prouectæ ætatis, dum ædes sub vespertinum tempus repetit, ab incognitâ quapiam muliere abripitur, sopitisque sensibus per aërem deportatur ad duo millia passuum eum in locum, vbi choreas & tripudia magnum hominum examen celebrabat.

Hic inuitata & ipsa ad saltandum recusat, seorsimque spectat, coacta frigidissimo cœlo ibidem pernoctare. Multo manè nescio quis auræ sibilus sæpius puellam impetit, sed in cassum. Vbi ergo luxit, chorósq; nefarios abijsse, periculúmque abesse constitit, domum regreditur. Interea parentes hac filiæ absentia non parùm consternati Nostrum consulunt; cuius monitu cùm cõfessi ad sacram synaxin accessissent, puellam ijsdem pietatis officijs perfunctam, saluam atque incolumem animaduerterunt. Res passim cognita valuit ad exemplum, intemperantémque chorearum licentiam reprimendam.

XII. IN LOTHARINGIA oppidum, cui Fontaneio nomẽ, lustratum est: quod negotium à Bisuntino Archiepiscopo Nostris datum, exceptique à Magistratu perhonorificè sumus: rumperetur licet Diabolus inuidiâ, & de nobis nescio quas suo more suspiciones excitaret: stabant tñ erectis atque attonitis ceruicibus quieti præter morem Hæretici, qui aliàs os obuertere atque obloqui consuêrant: quin Magistratus mandato remissus ad Nostros de multitudine ad pœnas exoluendas, veniámque petendam, qui vnus in templo petulantiùs se gessisse videbatur.

Inter

Digitized by Google

Inter Gallos Clerus, cui malè cum loci Dynastâ cõuenerat, in viam amicitiæ deductus. Cautum præterea alicubi, ne in thermis sexus vterque ageret promiscuè: quod aliàs Magistratus ne mulctâ quidẽ adhibitâ potuerat obtinere. Sublatus denique error, quo ducti oppidani nefas iudicabant, nubiles moribundas antè sacro inungere oleo, quàm matrimonio iunctæ fuissent. Hæc à Bisuntinis ferè gesta.

XIII. VIENNENSES ex multa confitentium frequentique turba quinquaginta generaliter confessos numerant, quas vnicus excepit. Tres Hæretici eorundem operâ iam Catholicè viuunt. Ad Sanctimoniales de religiosæ vitæ disciplina dici cœptum, cum magna morum secuta reformatione. Et DEO curæ hanc industriam esse visum: siquidem beneficij aut mercedis loco non accepta modò commodâ, sed euitata incommoda æstimari mos est. Nam orationem ad illas de more habiturus Noster, diuina vtique prouidentia impedimentũ obijciente, cogebatur differre opus, atque in alium diem reijcere: interea illa ipsa hora, qua hortatio fieri debebat, totum illud conclaue, sub quo conuentus fieri solebat, corruit; vniuersam haud dubiè concionem, si adfuisset, casu suo oppressurum.

XIV. CAPITIS reus, qui iam pridem, cùm ad triremes traheretur ob scelera, custodias pecuniâ effugerat, iterum deprehensus ijsdem, vnde se expediuerat, laqueis implicabatur. Hunc vt alios ergastularios identidem visebãt Nostri: qui, homo ceteroqui ferox in siluis latrociniisq;

Digitized by Google

enutritus, eo horrore extremi supplicij denunciationem accepit, vt obfirmato in exitium animo, quacumque via sibi mortem cõsciscere potiùs, quàm patibuli dedecus tãtum subire decreuerit. Proinde præsentis iuxta atq; æternæ salutis immemor, inediâ se facili cõpendio extingui posse ratus, biduum prostraus humi, omnem omnino respuens cibũ, iacebat. Accitus Noster hominẽ miserè confectum, truci aspectu amentem, miseram animã ægrè trahentẽ reperit, solatur, ad cibum inuitat: sed stomachus illi, seu veneno, seu ægritudine, tam fœdè intumuerat, vt omnem recusare escam, etiam excusatione legitima videretur. Fraudẽ hostis in eo tumore suspicatus Pater, ad animæ pastum, & scelerum expiationem curam conuertit; euomuitq; ille demum quo premebatur, peccatorum virus, & sacro adhibitus cõuiuio, corporeum quoq; admisit cõtinuò, æquiore animo ad mortẽ progressus.

XV. RELIQVÆ curæ scholasticis impensæ: quibus & nouum hoc anno pietatis subsidium additum, instituto Assũptæ Virginis Sodalitio, quod ea honestæ iuuentutis, Sacerdotum, Religiosorum, ciuiúmq; frequentia atque ardore statim in ipsa sua satione florere cœpit, vt clarissimi quiq; in illud adscribi percuperent. Primo delectui Archiepiscopus ipse & interfuit, & præfuit, vt eius scilicet auspicijs & apprecatione solẽni locus & cœtus inauguraretur. Nec obscura sanè in nouos clientes indicia Patronæ enituerunt. Adolescẽs sanguine nobilis, moribus atq; indole nobilior, conclamata omnino valetudine, & decreto-

Digitized by Google

cretoriâ iam quater damnatus medicorum sententiâ, præcocem, & ineunte melioris ætatis flore parùm tempestiuè, vt videbatur, venientem mortem animo non æquissimo ferebat: querebatúrq; subinde gemens, salubris cuiusdã, quod non indicabat, consilij scintillas emicãtes in ipso ortu extingui: auxilia igitur quoquo versus circumspicienti subijt animũ se DEIPARÆ Sodalitati non ita pridem adscriptum, & eam ob rem patronam orat enixè, vt corporis valetudinem suo Tironi restitueret; adhibet præterea Beatos Aloysium & Claudium identidem deprecatores, à quibus & sanitatem pio quodam voto paciscitur. Efficacia fuêre suspiria, ita vt præter omnium spem, medicorum in primis, ab ipsis præsentissimi lethi faucibus eriperetur.

COLLEGIA EBREDVNENSE ET CARPENTORATENSE.

XVI. VNIVS DEFECTVM qui, quantum humano iudicio assequi possumus, cum superis est, ita restituerũt in hoc Collegio Socij superstites, vt nihil in vllo laboris genere intermitterẽt, quod augendo cultui diuino inseruiret. Et quidem antehac rariore cõcursu ad doctrinam Christianam conueniebatur, quòd nullis asseribus, nullo pauimento stratus locus, vbi haberi solet, magnam vim pulueris attolleret: postquam licuit compactis tabulis vestire solum, tum verò multitudine laborari cœptũ est, non capientibus angustijs confluentem turbam. Catholica mulier

Digitized by Google

coniugem verita Caluiniſtam vſq; adeò ſui oblita metum illum exaſperandi viri ſiuerat in animum deſcendere, vt totos viginti quatuor annos, nec cõfiteretur, nec ſacris Eccleſiæ ceremonijs tremendíſque myſterijs intereſſet. Illi catecheſeos explanatio, quam fortè audijt, tantam iniecit pœnitudinẽ, vt breui pòſt vni è Noſtris detectis animi vulneribus curatíſque, timoris morbo planè libera, marito denunciauerit, ſibi ratum conſtitutúmque eſſe, hæretici templi limen attingere amplius nũquam, Catholicámque religionem omni poſita ſimulatione palàm colere & amplecti. Hic enimverò maritus excandeſcere, verbera, vulnera, necem ipſam, ni aliter ſentiat, intentare. Poſthabitis minis hæret in propoſito vxor, magnáque fiducià reſpondet: *ludere illum operam; eſſe ſibi potiorem quàm corporis, animi ſalutem; neque illius periculo ſic moueri, vt huius facere iacturam æternam velit.* Vicit tandem hæc feminæ fortitudo viri intempeſtiuum furorem, vt recens excitata fides de inueterata perfidia liberè triumpharet. Aliud de communi hoſte receptum trophæum eſt, hac ratione. Scelerũ conſcientia grauiſſimè cuipiam incumbebat, nec oneri excutiendo par animus, mœrorí ve leniendo remedium ſuppetebat.

Incerto quid agat, moliatúrque, ſubit mentem deſperatio, collúmque laqueo, quo vitam abrumpat, conſtituit innectere. Non patitur is, qui humanis rebus aduigilat, & arcana omnia intimè proſpicit, inſanúmque hominis conſiliũ in melius vertit: ſiquidẽ ecce, triſtia omnia meditanti-

Digitized by Google

tanti vox allapſa, quod minimè dubium eſt, diuinitus ad aures defertur, eáque non obſcurè, nec ſemel aut iterum, ſed quarto vſque inſonat, pacem denique conſcientiæ reſtitutum iri, ſi homini Societatis, quem ipſo nomine indicabat, peccata confeſſione detegeret.

Collegit ſe animus, cœpítque ſecum reputare, quantum præſtet cœleſti monito obtemperare; quantum officiat, præceps turbatæ mentis delirium ſequi. Ergo quem erat iuſſus adit è veſtigio, moleſtam apud eum ſarcinam ponit, móxq; ſupra quàm credi poteſt leuior ac quietior diuinũ in ſe beneficium agnoſcit: diceres hominem alios induiſſe vultus, alios oculos: ſic animi ſtatus interior exteriorem corporis habitum ſibi conformabat.

XVII. QVOD IAM dicturi ſumus ita nos attingit, vt ſi quid noſtræ ad illud operę collatum eſt, prius tamen DEO prouidente ad nos deputatum ſit, quàm de ipſa re cogitaremus. Nempe ſtatuebat apud ſe non nemo, quiduis potiùs admiſſurum ſe, quàm cum Ieſuita de rebus ad conſcientiam pertinentibus acturum. Verùm vbi anxietas ex anteactæ vitæ recordatione profecta hominem vrgere incipit, nuſquam apparet, qui opem ferat. Tum verò quod antè faſtidiebat auxilium vltro adſpirare, & inquirere vis mali adigit. Inuento itaque quod aliunde non affulgebat, amicus inimicis factus eſt; lætus conſilium ſibi defuiſſe, quo ni caruiſſet, amicis careret. Et verò cùm otiantur homines, qui Noſtrorum exerceant patientiam, malus ipſe Dæmon, aut fortuiti

tuiti certè rerum humanarum casus, materiam abundè suppeditant huic virtuti, quod cùm cæteri Nostri frequenter, tum Præceptorum vnus in se æstate proximè præterita deprehendit. Mons est vrbi obuersus, cui à S. Guilielmo nomen, cuius, vt fama est, à malis spiritibus obsessum iugum est. Cùm igitur Noster ille missus aliquo à P. Rectore montis huius obiret latera, loci asperitate defatigatus, respirandi, vt fit, gratiâ aliquantulùm consistebat: cùm ecce de superiore parte deuolutũ impetu saxum nimio grauius, quàm quod necare hominem sufficeret, vel certè cum vitæ periculo læderet, defertur in pectus sereno atque tranquillo cœlo: sed nihil intulit damni; vestem duntaxat comminuit, & indusium, summaq; cute perstricta manus est, nec ampliùs nocuit. Creditum est vim cohibuisse cereum agnum, in eam ex collo partem dependentem; quo clypeo à similibus periculis suos aliquando seruare diuina bonitas solet.

XVIII. CVM ALIIS interim hostibus apertior fuisset pugna, Caluinianæ, inquam, doctrinę Ministris, qui sub Iulium mẽsem sexaginta plus minus Prouincialem in hac vrbe conuentũ habuêre, nisi Gubernator interceſſisset. Siquidem vir ille ingenio minimè feroci aut turbulento eiusdem licet sectæ Professor, veritus, ne quid tumultûs oriretur, P. Rectorem rogauit, ne à Nostris hominibus illi disputatione lacesserentur; cui responsum, modò nos ipsi in arenam non prouocaremur, quietem conciliabulo à nobis fore. Quæsitum in illo cœtu audiuimus: *An*

essent

Digitized by Google

essent Paruuli sacro lauacro abluendi ante statutum cõcioni diem : decretúmque contra vsurpatum adhuc illis ex sua hæresi morem, diem illum non esse in posterum expectandum. Propositum deinde est: *An cænâ*, quam vocant, *Dominicâ ij viderentur impertiendi, qui grauiùs decuberent:* Tum denique: *An essent psalmi decantandi in exequijs defunctorum.* Super his duobus quid decreuerint, nobis non liquet. In oculis eorum nobis vnius accessio facta est, militaris hominis, quẽ sub Caluino diutiùs merere tædebat, eo laudabilioris, quòd sororem aliquanto pòst in suam sententiã traxit ac fidem. Fuerunt ex ipsis heterodoxis, qui auditis Nostris alibi etiam (nam duo ex hac domo Sacerdotes perpetuis ferè in orbem itineribus excurrunt) excandescerẽt in suos, maximéque illo circa baptisma paruulorũ dogmate offenderentur, vt non contrarium modò ipsi sentirent, sed palàm alijs quoq; neglecta Ministrorum auctoritate seu existimatione suaderent.

XIX. QVIN ET finitimi Arausionenses Hæretici Carpentoratũ liberos suos in nostrã disciplinam vltro adducũt, pfitentúrq; se haud admodũ inuitis filios ad Catholicam fidẽ appulsuros animum, modò id ex animi sui sentẽtia, nullius importuno faciant impulsu. Apud Mõtelinarenses, vbi Delphinatium Caluinianorum Coryphæus Minister sedem fixit, ipso nequicquã repugnante, decem Nostris tum præsentibus eiurarunt hæresin. Arausoriæ nobilis adolescens vt adamatæ hæreticæ puellæ coniugium impetraret ab inuito parente, puellâ conscià ficto animo

hæreticum simulârat, ritúque Caluiniano Ministri opera matrimonium contraxerat. Quod impium eius factum cùm Noster acri obiurgationis verbere castigâsset, effecit, vt iuuenis suam simulationem Caluinianis publicè denunciaret, eorum sacra execraretur, coniugem ad Catholica m fidem secum acciperet.

XX. QVÆ FORIS dum fiunt, domi interea decem alij eóque amplius veritatis lumen aspexerunt: in his Ministelli Caluiniani famula visu nocturno, disertísq; occulti monitoris vocibus impulsa, pœnas æternas acriter denũciantis, nisi ad Catholicos non tecti & vitæ Societate magis, quàm fidei & sacrorum communione demigraret.

Porrò diuinæ erga suos prouidentiæ ac tutelæ insigne argumentum ad calcem huius & Collegij, & Prouinciæ reseruaui, quod eluxit in seruãda P. Prouincialis vita aduersus sceleratũ furiosi adolescentis conatum. Hic paucis antè mensibus ex Auenionensi probationis Domo, vt nostro instituto minus idoneus, ad parentes suos Carpentoratum ablegatus, assumpta inani quadam specie pietatis, vt nulla sua culpa dimissum se ostentaret, iniquiùs nobis secum agi sæpe questus est. háncque suam iniuriam vlturum se breui, & non nisi Prouincialis nece, apud nonnullos est professus. Itaque in eam rem adornato sibi breui sclopeto, quod pallio & pera cõmodè tegeretur, alia omnia cogitãti similis adit ad eum, quem sibi victimam designârat, quíq; tum Carpentoratum recens aduenerat, à quo in cubiculum,

Digitized by Google

lum familiariter introductus, benignéque exceptus, ignitum telum cum conuicio & acerbâ iniuriæ exprobatione in suum hospitem explodit: sed vel ipso timeri magis, quàm nocere volente, vel insuetâ huiusmodi armorum fallente manu, vel DEO infestàm glandem auertente, irritus in parietem ictus est illisus. Explosam in propinquo catapultam omnes quidem domestici iudicârunt, nemo tamen vel eorum etiam, qui in proximis erant conclauibus, suspicari potuit id quod erat. Hæsit igitur diu etiam post tentatum facinus, & probra minásq; addere perseuerauit, eóque fidentiùs, quod nemo accurrit, nemo vocatus est à Prouinciali, verente, ne pluribus & sclopis & sicis instructus veniisset, quibus interim ab irato confoderetur. Tandem aduentu socij fortuito, inde abductus, domóque emissus est. Paulò pòst ab Magistratu, qui factum resciérat, in tetrum carcerem & vincula cõiectus cùm esset, facinúsq; vltro confessus, propius nihil factum est, quàm vt ad remos perpetuò damnaretur. Sed sententiam Iudicis Nostri præuerterunt, & immerito licet pœnas deprecati sunt.

Socios numerauit hæc Prouincia ducentos quadraginta ſeptem. Defuncti ſeptem. Octodecim in Tirocinium admiſsi.

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
Collegium Toloſanum	LXVII.	XIX.	VII.	XXVII.	XIV.
Billomenſe	XXII.	VIII.	V.		IX.
Mauriacenſe	XIII.	VI.	III.		IV.
Rurhenenſe	XVII.	VII.	V.		V.
Auſcidanum	XVIII.	VII.	V.		VI.
Anicienſe	XXVI.	XII.	VI.		VIII.

Digitized by Google

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
Biterrenſe	XXVIII.	IX.	VI.	VII.	VI.
Cadurcenſe	XXVII.	IX.	V.	VII.	VI.
Reſident. Albenacenſis	VI.	IV.			II.
Domus Probationis.	XLIII.	V.		XXXVI.	II.

Abiuratâ hæreſi fidem veram profeſſi ſunt quadraginta quatuor.
Vniuerſæ vitæ noxas eluerunt octoginta quatuor.
Diuortia & rixæ ſublatæ viginti duæ.
Exercitijs ſacris B. P. N. exculti octoginta quatuor.
Vota B. P. Ignatio facta profuêre duodecim.
Vim ſuam Agni cerei & luſtralis aqua prodidêre decies.

Digitized by Google

COLLEGIVM TOLOSANVM ET CVM Domibus reliqua.

I.

QVATVOR huius Prouinciæ Collegia habuerunt, quibus iusta iustè decernerent: Tolosanum, Auscitanum, Biberrense, Mauriacense. Tolosanum tres: Petrum Combanum in Theologicis studijs versatum, Petrum Doamlupium Philosophiæ studiosum, & Ioannem Balmæũ Coadiutorem inter formatos temporalem. Singulis sua fuêre ornamenta, & virtutes. Vigebat in Theologo familiaris cum tutelari Angelo consuetudo, tenerrimus in DEIPARAM, & B. Ignatium pietatis affectus; corporis animiq; ea compositio, quæ intuentium oculos animósq; ad æmulationem prouocaret. Philosophus crebra inter suspiria auditus idemtidem est: *Vtinam hic dies vitam meam terminet nouissimus;* qui denique non tam cum morte, quàm Christi de cruce pendentis imagine luctari visus, inter amplexus & oscula conquieuit.

Coad-

Digitized by Google

Coadiutor in sexagenarium iam inclinatus DEI præsentis faciliori intuitu excellens, pios libellos assidua versatione attriuerat, vt non immeritò à Margareta Nauarræ Regina sanctus appellatus videatur; quòd in Missione quadam Patri cuidam socius additus, ab omnibus, qui frequentes ad Patrem negotiorum caussà ab ipsa mittebantur, in oratione semper occupatus deprehenderetur: quin vt ipsa non alienis tantùm rumoribus, sed suis magis oculis fidem daret, per cubiculi rimam eum arbitrata, pietatem hominis & vidit, & dilaudauit.

II. AVSCITANVM duos: Rei familiaris Adiutorem, & Sacerdotem alterum Simeonem Riuiere Campanum, qui de octoginta, quos vixit, annis cùm in Societate quinquaginta egisset, ad beatam æternitatem commigrauit. In Societatem adscriptus fuerat à P. M. P. Paschasio Broëto, quem ipse Beatum suauissimè vulgò prædicabat, cuius opem, quamdiu morbo decubuit, sæpius; quamdiu valuit, bis diebus singulis appellabat: B. P. N. Ignatium septies per diem, B. Xauerium prece fusa quinquies salutabat: Seruatori porrò IESV, Sanctissimæque Matri statas pariter quotidie preces dicebat, & numero & varietate tales, vt rem totam ordine exponentem postremę ægritudinis tępore vix audierit P. Rector sine capitis dolore. Annum solidũ eóq; amplius horis singulis, stato quolibet quartę partis interuallo sacrum IESV & MARIÆ nomen fixo consilio pronunciauit. Illud etiam pulchrum,

Digitized by Google

chrum, quod sacrâ Christi passi historiâ ita pascebatur, vt eam quotidianarum cõmentationũ suarum vnum atq; vnicũ ferè argumentum haberet: quam morti proximus ita & mente & ore voluebat, vt ab ea diuersum nihil loqui, nihil sapere videretur. Quin & viribus ad formandas voces destitutus, gestu multiplici eam in se exprimebat. Precationem illam, cui *Anima Christi* exordium est, in ore semper & in oculis habebat: nam maiusculo exaratam charactere ad lectuli sui pedes è Crucifixi pendentem imagine iussit collocari, quam cùm ipse vi morbi oppressus pronunciare non posset, alios ad præstandum sibi id pietatis officiũ inuitabat. Quod maximi in suis facere solitus est B. Ignatius studium disciplinæ, sacræque demissionis, quoad vixit singulare ostendit. Exemplo illud sit, quòd cùm satis bonis litteris instructus esset, tamen domestici fratris munere septennio integro lubens & alacer perfunctus est. Omnes sensuum voluptates tamquam hostes capitales sine vlla induciarũ spe insectabatur, nihil palato delicatum, nihil corpori molle admittebat. Et cùm talis esset, audiebantur nihilominus illa ab eius ore verba: *Ego ille helluo! ille molestus omnibus!* cùm interim nemo vel verbulo grauiori læsum se ab eo posset recordari. Laudatus fortè pro meritis, vel vultum auertebat, vel se fugâ subtrahebat.

Atque in ipso ferè mortis procinctu illud admonebat: *Fugiamus vanam gloriam*; idq; sibi cùm sensus deficerent ad aures inculcari iteratò voluit:

Digitized by Google

luit: *Absit mihi gloriari, nisi in Cruce D. N. IESV Christi:* vel *Gloriabor in infirmitatibus meis.* In sui cõtemptu ita excellebat, vt post vsum pallij Sacerdotibus concessum, ille togam (quoniam detrita erat & lacera) precario retineret: tam paupertatis studiosus, vt vel vilissimas res sibi ad vsum concessas, ex quotidiano vsu integras ad quindecim & amplius annos deprehensus sit conseruâsse: tam obsequendi promptus, vt cùm dato aliquando signo ad sacrificium iam paratus, per nuncium à P. Rectore iuberetur sacro deposito ornatu, de templo ad domesticum sacellum priuatim facturus concedere, cum summa alacritate, ne verbum quidem mandato opponens paruerit: illud facto ipso contestatus, potiorem esse sacrificio obedientiam. In morbo potiones medicas vel iuscula, à quibus maximè refugiebat deficiens natura, ad Rectoris nutum tam auidè festinantérq; deglutiebat, vt omnibus constaret, plus potuisse virtutem, quàm naturam. Non mirum igitur talem ac tantum virum vulgò *Sancti* nomen meruisse. Certè non incassum ab eo fundi rogatas preces vnus è Nostris expertus est. Nam quo die sacrum pro eo Pater Numini obtulit, eodem ille molesta febri vexari desijt, ipséq; viceversa ægrotare ad mortẽ cœpit. Cúmq; iam inde sub initia morbi intra vnum aut alterũ diem vita fatiscente morti cõtessurus crederetur, visum est faciendũ, vt cœlesti pane quamprimũ ad proximũ & nouissimũ iter roboraretur, sacróq; oleo ritè perfusus ad supre-

mam

mam luctam pararetur. *Tum* ille, *non ita festinatò opus est*, inquit: *octodialis mihi terminus adhuc superest.* Vt pronunciauit, ita accidit, & hic quidem fuit Sabbathi dies illi primo studio votiuus ex affectu in DEIPARAM virginem singulari.

III. BITERRENSE vnum: P. Bartholomæum Bertinum Petrocoratem, qui ex animi demissione pueros in quinta classe, quoad viueret, instituere vehementer & optauerat, & verò etiam à Maioribus prece cõtenderat: sed vis morbi pertinax; & lenta pulmonis vitiati tabes hominem fregit, non voluntatem; vitam abstulit, minerual dedit.

IV. MAVRIACENSE etiam vnum, Is fuit P. Robertus Cuissotus Cabillone in Cãpania Galliæ prouincia natus, qui pridem ab ijs animo & insigni Religionis studio excesserat: è sexaginta quinque, quos vixerat, annis quadraginta plus minus in Societate peregit, pridem in ea formatus Coadiutor, ea omnium & domesticorum & externorum opinione, vt sanctitatis nomine clarus apud plerosque esset; ac mirabili quadam familiaritate cum DEO agere vulgò crederetur. Sed tamen cùm is vera omnium æstimatione foret, adeò ipse sibi vilis fuit & cõtemptus, vt non alio se loco dignum, quàm inferno iudicaret. Quâ sui despicientiâ sic confidebat, vt negaret posse se vllo Dæmonis impulsu ad arrogantiæ periculum adduci: quantum enim sibi suisque virtutibus detrahebat, tantum in Christi pro se cruciatibus lacerati meritis spei reponebat: quos proinde tam frequenter acri cogitatione reuoluebat,

Digitized by Google

uebat, vt bene multas P. Costeri super illis pias cõmentationes memoriâ teneret. Ex quo præterea fructus hos retulit, vt assiduè pœnè cum DEO versaretur. Nam duas quotidie, priusquam sacrificaret, horas DEVM comprecatus, peracto sacro solemne habuit etiam alteri, tribus nonnunquam sacrificijs interesse: totum quod illi fuit de tempore reliquum, pijs negotijs tribuebat; neq; verò foris ambulando pietatem omittebat, vel in DEVM reuerentiam: vt diu nudo capite etiam pluuio cœlo preces fundere perseuerârit. Nunquam in victu quidquam admiserat singulare: sibi vni seuerus, cæteris omnibus benignus, vt vulgò *Pater pauperum* diceretur. Quod si nonnunquam sub ipso die ientaculum sumere iuberetur, vel antecœnium, id verò durissimum imperium arbitrari: tum quoque non nisi panis bucceam sine cultro, sine mantili, præfectum triclinij poscebat; & ipse micas sigillatim è mensis, quibus vesceretur, colligebat. Quoties de nocte euigilabat, toties certo flagellorum incussorũ numero se diuerberabat: cùm interea manè primus omnes in surgendo etiam excitatorem ipsum anteiret. Animorum studio tam incensus vixit, vt iuuenescere sibi videretur, cùm aliquid opellæ suæ posset eis iuuandis conferre. Inde tot lachrymis, tot precibus supplex paucis ante mortem annis in infima classe docendos pueros impetrauerat: in qua prouincia cùm gestiret, ætatis infirmitas laboribus impar cursum boni senis interrupit. Sed illud fortè sit insignius, quod annos ante sat multos ei contigisse vulga-

Digitized by Google

tum est in oppido Braiatensi, altero abhinc circiter milliari. Cùm enim per ciuiles, quibus omnia tum feruebant, tumultus agmen militare, in quo plurimi Hæretici, fortè præteriret, inclamauit eminus Pater, & obsecrauit, vt consisterent: steterunt gradu fixo & concionantem ardentissimè libenter constantérque audiuerunt. Non igitur mirandum fuerit, quod solo nutu coërcuerit lasciuientes, & Ruthenensis Antistes, ad eius conspectum omnibus nouum amoris diuini sensum inijci confirmârit. Laudabilem vitam par mors secuta est. Eam illi grauis duodecim dierum morbus attulit, sub cuius initia totius anteactæ vitæ memoriam repetens, tertiò per interualla cœlesti viatico pastus est. Et cùm affixus lecto vix se præ languore commoueret, subinde legi sibi voluit, certos Auctorum locos, quos in hunc vsum ante profectionem extremam sibi collegerat: inter quæ prima fuit mortis B. Aloysij Gonzagæ narratio. De patientia illius quid attinet dicere? cùm nihil quæreretur, nisi quod à morbo leuiùs, & à nobis leniùs haberetur: nunc ipse per se, nunc alijs præeuntibus illas D. Pauli voces ingeminabat: *siue viuimus, Domino viuimus; siue morimur, Domino morimur; siue viuimus siue morimur, Domini sumus.* Vel interdum istas: *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.* Suos tutelares in ore semper habebat, B. præsertim DEIPARAM, Ioseph & Robertum, Ignatium & Xauerium, B. Matrem de Theresa. Expirauit X. Calend. Ianuarij, die Patroni sui mensirui D. Zenonis Martyris sacro. Emicuit è cadaue-

Digitized by Google

daueris vultu nescio quis augustior, gratiórque formæ radius: ossea macies hominis abstinentiam, & callosa genua frequentiam orationum, tum denique insigniter ostentârunt.

V. PERSOLVTIS igitur nunc quodammodo iustis Socijs ijs, quos Collegia perdiderunt, ad reliquos huius prouinciæ fructus colligendos accingamur; & vt par est Beati Ignatij parentis nostri in suos aliósque beneficia, gratiâ memoriâ cumprimis recolamus. Duo senatores Tolosani cum alio è nobilioribus ciuibus apud nos sacris illius exercitijs perfructuosè sunt exculti: quod idem faciendi desiderium quorundam voluntates ex familia D. Francisci, quibus obseruantibus nomen est, incesserat: duo igitur è Nostris per interualla ter in eorum Cœnobium se contulêre, vbi morâ per integrum mensem & amplius factâ, septuaginta Religiosis exercendis operam nauârunt. In quibus quantos animorum fructus concitauerit DEVS, dici non potest. Idem sanè ardor ad circumiacentes eiusdem Ordinis domos aliquot promanauit, è quibus nonnulli ex præcipuis vocati sunt in eiusdem beneficij & consilij societatem: voluit tamen Tolosani Monasterij Guardianus, vt vocant, cum altero Prouinciæ definitore se in Collegiũ nostrum abdere, liberiùs ijsdem commentationibus vacaturus: atque vt iacta hæc feliciter sementis non interiret, instituti sunt priuatis industrijs, ex illorum numero aliquammulti, qui suos ipsi per se Fratres in posterum eiusmodi exercitijs informarent.

Digitized by Google

Senserunt eandem eiusdem Beati opem per exercitia mulieres quoque, quæ à probrosa vita profugæ B. Magdalenæ pœnitentis cœnobio nomen dedêre, magno doloris ob anteactam vitã sensu, & egregio diuinæ iustitiæ voluntarijs pœnis satisfaciendi proposito. Sed sublimiori quodam modo B. Pater in mortales, ipse nunc immortalis fuisse beneficus videtur: id quod testãtur tum varia fœcunditatis ab eo impetratæ monumenta, tum votiuæ tabulæ, & ad eius venerandas effigies frequentis populi passim accursus. Tolosanus ancipiti morbo tentatus ad eas angustias venerat, in quibus medicorum ars malo victa subsistere cogeretur. Sub morbi initia vnus è Nostris miseratus ægrotantis periculum, DEIPARAM in auxilium implorat. Voluit credo benignissima Domina id gloriæ in alumnum suum Ignatium deriuare. Supersedit itaq; consueta benignitate, vt malum ingraueſceret, & aliò in præsens cogitationes suas homines transferrent. Accepit interim Noster, actum esse de ægroto ex certa medicorum sententia: Conuolat in cubiculum suum & in extremum miseri subsidium certas B. Ignatio preces nuncupat, & vt euentus dedit, acceptas. Extemplo enim profectus, vt abeunti, si posset, adesset, leuatam omnium expectationem repentino casu audijt; lætabundus ægrotum saluere, & bene valere iubet; de suscepto à se illius nomine ad B. Ignatium voto, eodem quo melius habere cœpisset momento, certiorem facit. Æquis auribus atq; animis votum pro se confirmauit æger: dein cumulatæ

non

non ita multò pòst virium integritati restitutus, eo, quem B. Ignatio sacrum celebramus, die cœlesti epulo est recreatus. Rhetoricæ auditor senatoris filius ea vi torminum & ardētissimæ febris impetu deiectus erat, vt in desperatis haberetur. Accessit officij caussâ Noster, & cum ab humanis remedijs spes omnes diuulsas intelligeret, diuina cœpit tentare. Vouit ex mandato ipsius senatoris *puerum quotannis postremum Iulij diem sacrum habiturum; Synaxin obiturum; & in eiusdem Beati honorem altari ornando aliquid cum parentis voluntate impensurum.* A voto conualescens puer omnium spem cum voluptate fefellit.

Decem annos natus è scholis nostris alius, parenti vnicus & vnicè dilectus, febrium ardoribus ita torrebatur, vt dolori impar in furias agi videretur, tantò se impetu in omnem partem versans, vt non leue duobus valentibus viris, qui in lecto quietum seruarent, negotium facesseret, insomnis perpetuò, ieiunus, elinguis. Quibus filij ærumnis commotus pareus, longè grauiori furore corripi, vociferari, orbitatem suam deplorare, in cœlum bacchari, nec diuinæ prouidentiæ parcere, dicere denique ac facere omnia, quæ perturbata mens ac præceps animi furor suadebat. Cùm interim neminem audiret, commodum est visum domestico vni, aliquē è Nostris accersere, qui sua & auctoritate & prudentia miserum patrem curaret. Quem cùm non posset, ad pueri lectulum conuertitur solitâ impatientiâ sæuientis, & animam tantùm non agētis. Procidit in genua, & ante omnia votum

Digitized by Google

nuncupat B. Ignatio pueri patrísque nomine, eos in gratiarum actionem, si rediret affecto sanitas, ad ædem nostram conscientias purgaturos, & aliquot cereas faces oblaturos. Tranquillum secùdùm hæc puerum reperit Sacerdos; inde plenus spei subitam filij mutationē renūciat patri, integréq; breui conualiturum pollicetur. Ille re explorata in DEI & B. Ignatij laudes effusus, postridie è lecto prosilientem atq; valentem filiū vidit, & intra paucos dies voto se vnà cum filio hilariter soluit. Aliud eiusdem Beati beneficium in hominem iam prouectæ ætatis collatum adimus, qui rem totam ipse scripsit & subscripsit. Iam vigesimum annum impeditæ vrinæ angustijs miserè torquebatur, sed præcipuè ab VIII. Calend. Septembris ad III. Idus eiusdem mensis, & animi tormento implacabili. Incertus cōsilij exanimis strato se committit, vicies ad minimum tentata emissio fefellit.

Tandem libelli B. Ignatij miracula complectentis lectione cum lachrymis in suæ solatium calamitatis ad DEVM deprecatorem illum interpellat, *Censear*, exclamabat, *in iis, qui te propitio, Pater optime, aliquādo sunt vsi.* Quod cùm diceret, videre sibi videbatur eum eàdem penitus, quâ pingi solet formâ. Certè quartâ noctis vigiliâ grandem calculum, cum solita humoris copia sine sanguine doloréque egessit; imò & omnem vno conatu dolorem. Eius effigiem ex voto in precum suarum enchiridio inclusit, tam salutarem sibi patronum deinde ad manum habiturus. Eiusdem præterea Beati patrocinio, infantem è proxi-

Digitized by Google

proximis mortis faucibus euasisse; linguæ vsu destitutum, quantum ad peccata ante mortē cōfitenda sufficiebat, vocē accepisse, Tolosani testantur: Anicienses, famulum Collegij inuocato assiduè IGNATII nomine tussim permolestam stitisse: Auscitani, adolescentem nobilem voto Matri Virgini eidémque Beato simul facto conualuisse: alium lemures nocturnos imaginis Ignatianæ obiectu fugâsse: matronas duas partū feliciter promouisse: vnam aliam idem cum B. Xauerij icone effecisse: complures deniq; potu lustralis aquæ, in quam aliquot S. Thomæ & B. P. Nostri reliquiæ fuissent immersæ, febriū æstus restinxisse. Conualuit & Billomi vnus morbo haud leui affectus, sub solemnem Beati diem, vbi se ad sacram Synaxin accessurum promisit. Hæc ferè B. IGNATIVS.

VI. NOSTRI, vt ne degeneres tanti Parentis filij essēt, suas partes in omnibus Collegijs gnauiter egerunt. Septem ad fidē Tolosani iunxerunt, Auscitani decem, Billomenses quatuor. Hic vnus maiori balistâ sternendus erat, vtpote nobili loco natus, & quem hinc Catholicæ virginis; cuius nuptias ambiebat; inde hæreseos, quam eiurare, si puellam vellet, iubebatur, retinendæ desiderium ancipitem distringebat. Sed in hac colluctatione DEVS hominē eò perduxit, vt intra priuatos parietes religionis veritatē è Nostris vno cōtendente cōpararet. Vbi cùm primò horarū quinq; cōflictu fluctuare cœpisset, pugnâ in posterum dilatâ spatium ad deliberandum cum Ministro de rationū nostrarum firmamentis la-

Digitized by Google

befactandis postulauit, ea lege, vt nisi fortioribus refellerentur argumentorum momentis, Fidei nostræ vltro adscriberetur. Sed quid in calamo toties quassato posset esse præsidij? Agnouit ille Ministrum in refutatione sua vel nugari, vel tergiuersari: damnat ergo & Magistrum & infirmam disciplinam. Parì nauitate in transfuga ad claustrum reducendo vsi sunt Bitterrenses; qui asperioris vitæ suæ pertæsus, clam se post matutinas preces nocte concubia, digressis in suas cellas fratribus, per templi fores subductis ostiario clauibus è Monasterio proruperat, & in absentis fortè Ministri hæretici domum ab vxore admissus erat. Postridie ab Ordinis sui consortibus in infami lustro deprehensus, cùm vim sibi factum iri metueret, non à religione tãtum, sed à fide quoque transfugiturum se minabatur. Solùm igitur iubetur locum ad deliberandum mutare, & ab impia domo ad aliquam religiosam familiam transmigrare. Proponuntur adeundi Carmelitæ, Prædicatores, Eremitæ D. Augustini, Recollecti, vel si malit, Iesuitæ. Placuit ei in lares nostros diuertere. Id verò queri factio Caluiniana, senatũ adire, orare quouis potius eum, quàm ad nos deduci pateretur. Sed enim accersitum ad Curiam & decessionis consilio interrogatum senatores, volentem ad nos remiserunt. Vbi multa nequicquam ipsius Prouincialis, multa familiæ illius Custos expostulauit, Nostri ingeminatis rationum & adhortationum momentis eò perduxerunt, vt se in parte nostra futurum aliquando responderit.

Ita

Ita bene sperare de bonitate diuina Præsidúmque suorum venia iussum, P. Rector sub vesperã in claustrum reduxit, cum totius Ordinis & Catholici populi gratulatione, studium nostrum super hoc negotio collaudantis. Venerat Anicium litterarum gratiâ missus ab Hæreticis parẽtibus sectæ suæ tenacissimus adolescens, eo suorum mandato, vt ne vllum de fide cum Nostratibus sermonem conferret, aut Catholicorum Sacrificijs interesset: sed vix aliquot menses mediam in Grammatica scholam obierat, cùm DEO manus dedit, & Hæretici sanguinis immemor facta plena Confessione impiam pertinaciam deposuit. Pater accepto hoc nuncio in furias illico præcipitare, & reuocatũ quàm mox filium atrocibus verbis accipere, iubere rediret in viam parentum: tum deinde amicos etiam totámque propinquitatem adhibere, qui blãdimentis, imperio, minis, omnibus denique modis imotum è statu dejicere conniterentur, proposità exhæredationis pœnâ, nisi pareret, & Geneuam ad litteras condiscendas se reciperet. Pupugit hæc postrema vox nobilem animum, sed multò generosiorem expressit: *Exhæredare me tu quidem potes parens, si videbitur: sed à fide, quam Christo Domino dedi, separare non potes. Vitam tu mihi prius, quàm hanc mentem extorquebis, vt vel ab Ecclesia me referam, vel ad Geneuæ lustrum possidens meos conferam.* Stabat vterque propositi tenax, sed repentina mors patris pugnam diremit, victórque adolescens ad intermissa studia redijt.

VII. RES CLASSICA suum vbique retinuit

splendorem; multis in locis etiam auxit. Ruthenensium scholæ discipulos cęsuerunt supra nongentos; totidem Auscitanorum. Sodales Mariani nusquam non eminent. Votum B. Virgini Carazoniæ fecerat adolescentulus puerili simplicitate, si in publico agone litterario præmium referret, delaturum se ad eius ædem libellum inauratum, quem retulisset. Tres retulit. Votum qualecunque soluit. Ruthenensibus præmia distribuit Collegium Canonicorum ornatu & pulchritudine visenda. Biterris hoc anno primùm quotidie tam antemeridianis, quàm pomeridianis horis aperiri cœpta est publicè schola, in qua de conscientia quæstiones septem è Nostris audientibus & externis plerisque explicantur. Insignis & hîc fuit pueri Scholastici in fide suscepta retinendà fortitudo, quem non modò quotidiana parentum conuitia aut verbera à proposito non deduxerunt, sed etiam animârunt, vt sese ærumnas omnes, & vltima quæque eo nomine exantlaturum confirmaret.

VIII. CÆTERVM studia Nostrorum in omnem ætatem, Christiana ope indigentem pro facultate fuêre summa, sed consueta; præcipuéque sui profectus magnam habuêre curam.

Cadurci ad solemnem Regularum obseruantiam, & florentem disciplinæ nostræ vsum accessit, quod è Nostris quilibet singulis mensibus diem vnum negotijs omnibus vltro posthabitis, totum recipiendis in spiritu viribus, quà pijs commentationibus, quà suarum actionum exami-

Digitized by Google

examinatione impederit, prouentu planè copioso. Huic Collegio Seminarium nostrorum Rhetorum hoc anno adiunctum est. Fuit puella ingenua, quindecim plus minus annorum, quæ audito semel Concionatore nostro ita vehementer commoueri se sensit, vt è vestigio confessura noxas ad nos aduolârit, quòd diceret, non audere se, quamdiu culpam alicuius peccati sustineret, concionibus interesse. Quare totius anteactæ vitæ memoriâ repetitâ hunc suæ pietatis fructum cepit, vt post insignem in omni virtutis pœnè ad miraculum officio, trimestrem operam tabe lentâ consumpta, fixis pijssimè in cœlum oculis iucundam Saluatori suo animam exhalârit.

IX. APVD EXTEROS res Christiana hunc in modum ferè curata. Albenaco in viciniam qui egressi sunt, Parochorum informationem cordi præcipuè habuerũt: tum verò iuuentuti Catholicæ consultum, ne à Caluinistarum Doctoribus litteras discere, bonos mores dediscere cogerentur. In venerationem augustissimæ Eucharistiæ Sodalitas in oppido magnam partem Hæreticis obsesso, velut inter Philistinos arca, constituta: fuitque vbi plures sub Domini natalem hortatoribus Nostris cœlesti mensæ assederunt, quàm proximè superioribus ipsis decem annis accubuissent. Missio Bellolocensis à Mauriacensibus repetita, solito labore, solito fructu.

Suppudebat alicubi locorum Catholicos, præsentibus Caluinianis (qui otiosi forum obambulabant) dum sacra Synaxis ad ægrotos defer-

deferretur, genu flectere; vix imò à se impetrârant, vt caput aperirent: in hunc subrusticũ seu potius impium pudorem Noster semel atq; iterum è suggestu inuectus effecit, vt audaciores ciuilioréque in Religionis negotio præsentibus maximè aduersarijs se exhiberent: quin potius decernerent, vt augustiore in posterũ cultu, tam dignum ferculum ad infirmos deportaretur: Repertus mox senex inter Benedictinę familiæ Religiosos dignitatis præcipuæ (nam & Præpositus honoris caussa nominatur) qui suis se impensis varbellam curaturum polliceretur, si modò eam gestare, quoad viueret, liceret. Castigata est etiam verbis, vt par erat, negligentia, ne dicam charitatis Orhodoxorum, quòd pauperum funera non comitarentur, cùm contrà Hæretici ne postremissimum quidem è suorum numero terræ mandari paterentur, nisi omnibus præsentibus, & suo more parentantibus. Parœciæ cuiusdam templum pridem ab Hæreticis incensum, restaurari per Nostros curatum. Plodium in Aruernia oppidum ter & eo amplius ab ijsdem aditum, nunquam absque insigni aliquâ animarum prædâ reditum. E Sacerdotibus, qui tertij anni probationibus exercentur, adulto iam vere missus est ad eas gentes, quæ Vasconiæ partem Pyrenæis iugis subiacentem habent: visitatis Societatis nostræ officijs ita sibi omnium animos, militares alioqui, & naturâ ipsâ sitúque loci præferoces conciliauit, vt nauatæ per mensem operæ nequaquam pœnituerit. Salignacum in finibus Cadurcorum est, maximam partem à

Calui-

Digitized by Google

Caluinistis infessa vrbs; nisi quod loci Domina D. de Salignac Galliarum Regis apud Turcas Legatum Constantinopoli agentis coniux, antè fidem Catholicam susceperat, idque, vt omnes facerent, vehementer optabat. Eà causâ, & quia multum illi maritóque debebamus, ab illâ vocati duo Sacerdotes, primùm in templo concionabantur, auscultantibus proforibus Hæreticis, ne ingressi ad Consistorium, vt vocant, à Ministris citarentur: visum deinde est illis cautiùs cõsuli posse, si quibus vacaret & liberet, in castrum noctu conuenirent. Ergo frequentes planè sexus vtriusque eò ventitabant: vbi posità de Religione controuersiâ Nostri perconctantibus ita respondebant, vt si cui minus satisfactum videretur, Caluinistarum Diaconus, sectæ suæ omnino intelligens & oppidi medicus pariter insurgerent: sed vtrumq; Nostri prolatis in medium, Hæresiarchæ Institutionibus sic contuderunt, vt eos tam impudentis Patriarchæ puderet, etsi non pigeret; siquidem omni Nostrorum cõfortio & alloquio suis triduo ante discessum interdixerunt, vt concuti potuerint quidem Hæreticorum nonnulli, non omnino peruinci. Caiaci vnus è Nostris cum Ministro congressus ita eius repressit audaciam superbiámque, ita insciti eiusdem patefecit, vt quicquid apud suos nominis antea miles gloriosus contraxisset, id totũ ea disputatione amiserit. Puellam in castro Claromonte ad mundum deserendum valde animatam duo remorabantur: primum, quod cui tantum arcanum tutò committeret, cuiusque in

eam

eam rem opera vteretur, occurreret nemo: alterum, quòd litteratum rudis crederet sibi propter hanc imperitiam aditus omnes ad Religionem quamlibet esse præclusos. Ita voti potiundi spe deposita viro desponderetur, interim alio per sponsaliorum moras diuertit sponsus. Eò veniunt è Nostris duo futuri cœlestium nuptiarum paranymphi. Etenim illi consilio virginis agnito, Dominâ consultâ, vtrâque consentiente rem agunt ita seriò, vti suas sibi res habere iusso sponso mortali, post mensem puella Christo sit collocata. Sed quid sponsus cùm redijt? imo quid non? omnia tentauit, vt à proposito sponsam Christi, non amplius suam, dimoueret: sed habuit nimis potentem scilicet riualem, cui sponsam relinquere, quamuis inuitus, cogebatur.

X. HAS IGITVR & similes Nostrorum curas excepit solito fauore DEVS, beneficijs remunerati sunt homines: vt Domus Professis Tolosæ habitanda quinque aureorum millibus comparari potuerit. Quæ summa ex legato Domini de Saurin nobis amicissimi bonam partem confecta est. Procurator Regius in extremis constitutus, Auriliacum confessionis faciendæ gratiâ è Nostris Sacerdotem euocauerat, qui Societatem nostram ex asse hæredem constituere voluit: sed cùm ne amici quidem nostri id approbaret, quatuor aureorum millia legare proposuit: quod ipsum cùm nimium eius hæredi & consanguineis videretur, duo millia assignauit. Quicquid autem de Legato futurum sit; interea sanitati redditus, libras cētum Mauriacensi Collegio

Digitized by Google

legio (quas vouerat, si conualesceret) submisit. Sed & hoc inter beneficia diuinitus accepta merito Cadurcenses numerant. Domus nostra iniuriâ famulorum igne concepto sensim peruadebatur, & iam trabem carioſam depasta flamma, per medios lateres se insinuabat, cùm vno è Nostris incendium detegente, restinguentéque seruati sumus. Non ita benignum DEVM sensit ille adolescens, (vt Prouinciam in Domo Probationis claudam) qui in Tirocinium nostrum admissus, post aliquot menses, diuini beneficij immemor, religiosæ vitæ consilium & institutū abiecit. Nam ad pristinum viuendi morem tanquam canis ad vomitum reuersus, impuris mulierculæ, nescio cuius, amoribus tenebatur, & corriualem æmulumque inter rixandum, vt fit, ad singulare certamen prouocauerat. Iam sese comparauerat arrogantiâ virium subnixus, & scilicet supremum iam iam sibi imminere exitium nihil fuerat suspicatus. Sed non fuit diu cum eo certandum, quem voluptates profligâssent, & scelerum neglectæ præsertim Religionis vindex DEVS punire statuisset: inter primas aduersarij petitiones, eo ipso quo certaturus substiterat loco, gladio confossus corruit, & in suo sanguine volutatus, non multò post, omni humana ope (vtinam non etiam diuinâ destitutus) animam exhalauit.

PRO-

Conſtat Socijs circiter ſeptingentis. Vita exceſsêre octo. Tirocinium ingreſsi quadraginta.

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
Coll. Louanienſe habuit incolas.	LX.	XX.			
Tornacenſe	XXVI.	XIII.	VI.		VII.
Audomarenſe	XL.	XVIII.	VI.	VII.	IX.
Duacenſe	LXI.	XXIII.	V.	XIX.	XIV.
Antuerpienſe	XXXV.	XXI.	V.	IV.	V.
Brugenſe	XXVIII.	XIII.	VI.		IX.

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
Iprenſe	XXII.	XI.	IV.		VII.
Cortracenſe	XLII.	XII.	VI.	XV.	IX.
Gandenſe	XXIV.	XII.	V.		VII.
Vallencenſe	XXVIII.	XII.	IV.	IV.	VIII.
Inſulenſe	XXX.	XIV.	VI.		X.
Montenſe	XXIX.	XII.	VI.		XI.
Bergenſe	XXX.	XII.	VI.	IV.	VIII.
Atrebatenſe	XXIII.	X.	VI.		VII.
Bruxellenſe	LXIII.	XIX.	V.		XIX.
Cameracenſe	XXVII.	X.	VI.		XI.

		Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
Miſsio Hollandica		VIII.				
Tirocinia & Domus Profeſſa	Tornacenſe	LXXI.	IX.		XLI.	XXI.
	Antuerpienſis	LXXIX.	XXVIII.		XVIII.	XXXIII.

Diſiunctæ odijs familiæ in priſtinam beneuolentiam coaluêre viginti quinque.

Totam vitam confitendo reſumpſerunt ducenti ſexaginta.

Voluptatibus corporis inhoneſtis valedixerunt nouendecim.

Ad B. Ignatij methodum exculti, præter integra aliquot cœnobia, quadraginta ſeptem.

Hæreticorum ſcholas & fidem deſeruerunt quadraginta vnus.

Digitized by Google

COLLEGIA LOVANIENSE ET TORNACENSE cum Domo Professa.

1.

LOVANII de nostris emigrárunt duo: P. Florentius Bonchorstius & Ioannes Thenensis: ille professus quatuor vota, hic ad ministeria domestica formatus: ille annũ ætatis agebat sexagesimũ nonum, initæ Societatis quadragesimum quartum: hic totius vitæ septuagesimum primum, Religionis quadragesimũ quintum. Fuerat ille studiorum Præfectus rerúmq; piarũ concionator, omnibúsq; in officijs quietè prudentérq; versatus. Atq; vt in hominum salutem pro officij sui ratione incubuerat impensiùs, ita pro eximia sanctitatis suæ apud omnes fama sui desiderium reliquit ardentiùs. Sed apud Sodales Theologos potissimè, quibus ipsos duodecim annos ita præfuit, vt & viri totius Academiæ Louaniẽsis primi, iam eius voces instar oraculi haberent, & ex ijs non nemo

Digitized by Google

celeberrimi in orbe, nominis publicam eius in cœtu Sodalium reprehensionem pluris, quàm nonnulli laudes suas, æstimaret, adeóque exhibitâ non multo pòst Collegio eleemosynâ, quàm grata sibi accidisset ea verborum castigatio, haud dissimularet. Dicere solitus est Clarissimus Lipsius; *idcirco se nullam eius exhortationem, quoad posset, prætermisisse, quòd* (vt cætera defuissent, quæ sanè in ipso erant haud mediocria) *vel solo eius aspectu ad pietatem non parum commoueretur.* Orationis verò assiduitas in eo tanta erat, vt quidam è Patribus, nunquam eum à se nisi orãtem visum, affirmaret; ac ne tum quidem cùm extremum spiritum ageret. Vt enim breues illæ, quas eiaculatorias vocamus, preces taceantur; certè septem horas solidas quotidie Orationi impendebat. Qualis autem in domesticorum consortio, cuius aures solis vtilium rerum colloquijs paterent? quæ si quando, vt fit, in alia declinarent, releuandi sermonis gnarissimus erat, atque ad res sacras, quarum ei nullum vnquam erat tædium, facili artificio deriuandi. Hic est Pater, qui Antuerpiæ tunc, cùm hæreticis tumultibus omnia miscerentur, cum non exiguo vitæ suæ periculo murum se pro domo DEI opposuit, neque id semel, sed sæpius: cui cùm in vrbe quadam Prætor multo stipatus famulitio obuiam factus esset, pérq; humaniter salutâsset, adiecto etiam, *vobis sum amicus*, liberè respondit: *at ego minimè tibi: causam scis: emenda te.* Abijt ille, & inopinato verbo vulneratus, nonnihil quidem in præsentia excandescens, sed maiori in honore deinde Pa-

Digitized by Google

de Patrem habuit, vitámque id temporis dissolutam recollegit. Eâdem libertate cùm iter curru ageret, quendam à vectoribus blasphemum vehementer increpuit, increpitúmq; & stricto iam mucrone ferocientem, cunctis, ne perfoderetur, timentibus, nec timuit ipse, nec vultum mutauit. Nihil porro ei de obedientiæ perfectione, nec senilis ætas, nec parta virtute auctoritas, vel in speciem detraxit. Fuit cùm pro suo feruore prouinciam sibi quampiam, quam vnicè optabat, deposceret: verùm vbi leuissimo nutu contrariam Præsidis propensionem percepit, mox præmonstratam illam mentis suæ sententiam, tam serio, constanti, lætóque animi & corporis gestu refvtauit, vt suauissimi cuiùsdam cibi saporem ruminari ore videretur: adeò vt P. Prouincialis tantam admiratus viri virtutem, absente eo diceret: *Pater Florentius verè filius est Obedientiæ.* Nec minorem animi submissio, amórque paupertatis illi laudem parauêre. E nobili enim cùm esset familia, non minus pauperũ consuetudinem, familiaritatémque ambiebat, quàm nonnulli solent magnatum. Itaque tenuiorum nomina, statum, conditionem callebat, vt neq; ad secundò cõueniendum opus Nomenclatore haberet, & verè cor eius in Paupertate habitare diceres.

Iam verò Ioannes Thenensis insigne Religiosæ simplicitatis ac mansuetudinis exemplum, præter alia officia simul excitatoris matutini partes totis triginta annis perdiligenter, licet naturâ profundi esset somni, est executus.

Digitized by Google

opportunè certum expergiscendi tempus nulli alij acceptum nisi Angelo Custuodi, cui se ante somnum seriò solitus erat commendare (nec enim instrumēto alio vtebatur excitante) referebat. At nihil æquè viri perfectionē, quàm admirabilis eius patientia in morbo, præsertim graui & diuturno, exhibuit. Cùm enim per enormia vlcera omnis ei corpulentia viuo videntiq; sensim difflueret, crebróq; semimortuę carnes resecarentur, signū tñ impatientiæ tantis in cruciatibus edidit nullū: immò tum etiam cùm acerbissimus eū infestaret dolor, precatorios globulos identidē percurrēs; *Nunc*, inquit, *demū sentio, quàm suaue sit pati*. Chirurgus ipse, cùm nimi⁹ in expostulādis eius pro se precibus videretur, caussā rogatus, quamobrē id faceret: *nam existimo*, inquit, *illum mirificæ prorsus esse sanctimoniæ, qui tantā in doloribus tantis præstet patiētiam*. Hæc de isto pari senū, iter virtutis feliciter emensorū: nunc ad alia.

II. VIGENT in tripartitā DEIPARÆ Sodalitate, consueta pietatis exercitia ad animaduersam vsque mali Dæmonis inuidiam. Is enim cùm à Sodali quodam, Pastoris nunc munia obeunte, exorcismis Ecclesiæ in energumena exagitaretur, multaq; si in os energumenæ digitos non consecratos immisisset, interminaretur, ille confidenter immissis: *age*, inquit, *fac quod à DEO & DEIPARA tibi permissum fuerit*: tum ille infrendens: *nimis*, subiecit, *audax es sacrificule, nimios tibi animos facit tua* DEIPARA, *q̄ annos iam duodecim illi seruieris. Paru tamen abfuit, quin cultum eius ante septennii desereres, sed expectationē meam, nescio quo pacto, tum fefel-*

fefelliſti. Affirmauit ergo poſtea idem Parochus, ſe totidē planè annis fuiſſe de numero Sodaliū, & quidem de Congregatione deſerenda propter domicilij vrbiſq; mutationē ante ſeptenniū deliberaſſe: tamen alia omnia amori in Virginem cōceſſiſſe. Fuit alius, cui impactus publicè colaphus maiorem ipsà iniuriā vindictam ſuadebat, nempe percuſſorē dimiſsà Sodalitate in frequētiſſimo iuuenum cœtu reuerberandū: ſed audita exhortatio (erat.n. peropportunè de condonandis iniurijs) & officij in Virginē memoria animū hominis ad plenam iniuriæ condonationē inflexerunt. Batauus Hæreticus aliorum remediorū inopiā ad D. Virginē Aſpricollem pro deſperata filiæ ſalute votū nuncupauit, adeóq; in collē voti reus, fidēq; exoluturus venerat. In reditu è Noſtris Sacerdotē offendit, beneficiúmq; narrauit. Capta huius occaſione Noſter hominē, poſt tam præſens auxiliū hæreticæ nihilominus perfidiæ retinentē, de ingrati animi vitio appellat, nec ceſſat ea ſuper re pertinacē arguere, quoad ille emēdatus, vt alij id facerēt, curaturū promiſit. Quinque præter hunc ad Eccleſiā ſe adiunxerunt: triginta duo B. IGNATII cōmentationibus ſtuduerunt: octo in locis intra vrbē Catecheſis docta, & in pagis non infrequenter. Templo acceſſerūt aurei octingenti; Collegio ædificium amplum.

III. GYMNASII Tornacenſis aulam Magiſtratus ciuilis ſumptibus ſuis altero tanto fecit ampliorē, theatróq; ppetuo inſtruxit. Vnius pueri decēnis omnē hæreticā conſanguinitatē præ cōcepta in ſcholis noſtris religione generoſo animo re-

BIBLIOTECA Digitized by Google

entis mentionem hîc ſuperiore anno factam non repeterem, niſi denuò & perſequentem patrem per medium forum reiecto pallio fugiens pedum celeritate viciſſet, & eidem rurſus in Gymnaſij area, nunc blandienti, nunc minanti, ſcholarum fores occluſiſſet, & publicas denique ab Ordinibus Hollandiæ litteras ad priuatum Archiducis noſtri cõſilium, quibus reſpectu inducia rũ puer repetebatur, miſſas, in Senatu Tornacenſi eadem, qua ſemper, conſtantiâ, & hic inter Catholicos remanendi voluntate refutâſſet. Simile facinus à iuuene editum, duos ipſos menſes contra gentilium ſuorum machinas confligente; quem neque voluptatum illecebræ, neq; conſanguineorum nobilium minæ, artéſq; ſubdolæ, neque principum ſperati fauores potuerũt inhibere, quo minus abdicatis omnibus diuitijs & delitijs ad Tirocinium noſtrum Chriſto militaturus aduolaret.

COLLEGIA AVDOMARENSE ET DVACENSE.

IV. VITA FVNCTI tres: P. Petrus Tauerne, Philippus Gumet, & Iacobus Tourre. Primus natus annos ſeptuaginta duos: vndequinquaginta alter: tertius viginti quinque. Primus quadraginta duos in Religionis noſtræ inſtituto exegerat, formatus Coadiutor Spiritualis, & fuerat Procurator, templi Præfectus, Miniſter Domus; vir vt laborum amantiſſimus, ita & Maiorum obſeruantiſſimus, atque in grauiſſimis herniæ colicæ-

Digitized by Google

colicæq; doloribus, qui vitam ei erripuerunt, patientissimus. Alter annis viginti quinque eximium in Societate animi cadorem, charitatémque ostendit, siue dum coquus esset (fuit autem plurimis annis) siue dum dispensator, emptor, subministe r. Non obsequi sociorum voluntati, sed occupare celeritatis studio videbatur: Ad extremum longa eum phthisis toto exesum corpore, benéq; alteri vitæ succinctum sustulit. Tertius sextum in Societate annum inchoauerat, & duobus supremam Grammaticæ, vno litteras Græcas professus erat. Eum in cursu Theologiæ versantem grauis dysenteria affixit, tabes consumpsit.

V. DVABVS Theologiæ moralis lectionibus addita hoc anno tertia de rebus Fidei cõtrouersis. Plurimùm inuit inferioris classis disciplinam apprehensa loci dignitas, videlicet quod sacer sit B. Agneti, quam peculiari studio vt Patronam venerantur pueri. Itaque eius festa luce locum ad religionem decenter componunt, exhortationem de Patronæ laudibus audiunt. Denique ad exomologesin omnes, ad sacram verò Synaxin quibus per ætatem licet, admittuntur. Valde probata est hæc noua iuuentutis excitandę ratio. Eadem itaque & in alijs classibus seruata, nimirum vt suis temporibus expurgatà per Confessionem conscientiâ recurrens scholę suæ festum piè celebrent, sub eodem sacro ad Christi Corpus accedant, atque hac ratione ad nouam velut diligentiæ ac pietatis instaurationem, nunc à P. Rectore, nunc à studiorum Præfecto breui exhorta-

Digitized by Google

hortatiuncula excitentur. Studiosorum Parthenia Sodalitas, quæ sub eodem adhuc conceptæ VIRGINIS titulo cum maiori virorum Congregatione continebatur, nunc primùm hoc anno ab eâdem disiuncta. & Assumptæ VIRGINIS per litteras Romanas initiata est.

VI. VRBANA Catechesis bipartita alibi honestiores, alibi tenuiores docet: viget illa frequentibus præmijs, hæc eleemosynis. Nam Reuerendiss. Iacobus Blasæus & D. Nicolaus Mainfroy Abbas Bertinianus præcipui Catechismorum patroni solemnes puerorum disputationes non præsentiâ tantum suâ, sed etiam largis muneribus identidem condecorant. In alteram ingentia pauperum agmina cõueniunt: vbi quoties habetur Catechismus (habetur autẽ omnibus Dominicis) referũt viri mulieresq; singulos semisses, pueri puellæque eius dimidiũ: ita quot diebus Catecheticis facilè distribuuntur viginti aurei, præter eam stipem, quæ lucro exposita optimè respondentium est: qualia sunt thoraces, interulæ, galeri, calcei, aliáque id genus virilia, muliebriáq; indumenta; pro quibus non pueri tantùm aut adolescentes ad quæstionum pugnam animãtur, sed viri etiam fœminæq; immò & senes & anus decrepitæ, à quibus sæpe ingenti contentione pro victoria laboratur. Matribus præsertim in id peculiari cura intentis, vt liberorum suorum nullus, abs re memoriæ mãdanda imparatus compareat, maiori alioqui eleemosyna præmióque frustrandus. Pauperibus alijs alia ratione subuenitum.

VII. FVIT

Digitized by Google

VII. FVIT & nonnullorum foris operæpretiũ. Villicus quidam in Diœcesi Bolonienſi bene diues, ſtabulum ædéſq; ſagarum maleficio infeſtas habebat, atq; iam decenniũ multiplicatis pecorũ ſuorũ mortibus, foris ea ſtabulari cogebat neceſſariò: certa ſiquidẽ erat pernicies, ſi intro immitteret. Super hoc tanto malo cõſultus Noſter, incolas homines confeſſione, ſacráq; Euchariſtiâ expiauit, parietes, fores, locúmq; omnem luſtrali aqua aſperſit, Agnúq; cerei præſidio communiuit: ita & malè infectæ domui priſtina ſalubritas, & afflictæ familiæ reſtituta animorum pax atque tranquillitas, tabeſcenti pecori ſaniora tecta ſunt aperta. Illuſtrata domi ſupellex ſacra piâ duarum ſororum æmulatione, quarum altera gemina argentea candelabra vaſti operis, pretio quingentorum aureorum: altera ingenioſiſſimæ artis ſtructuræq; lampadem ſexcentis æſtimatam, altari templóque ſacrauêre. Earundem rurſus & aliorum varia liberalitate in reliqua inſtrumenta mille ducenti floreni, eóque amplius impenſum. Bibliothecæ quadringenti circiter attributi.

VIII. DOS COLLEGII Duacenſis mille aureis annuis facta maior. Nouum ædificiũ à D. Abbate Aquicinctino ſuperiore anno inchoatum, hoc ad culmen vſq; aſcendit, ſcholaſticorum iuxta Sodaliúmq; exercitationibus percómodum. Ducẽti Philoſophica ſtudia abſoluerũt: ex his ad Societatem quatuordecim ſelecti: neq; enim anguſtiæ rei familiaris pluribus locum fecerant. Prętervrbana negotia foris pagi viginti quatuor aut

Digitized by Google

aut Christianæ Doctrinæ rudimentis, aut Euangelij explicatione omnibus Dominicis à Nostris sunt exculti. Et B. ipse IGNATIVS noster tam in vrbe, quàm in vicinis locis effectorum mirabiliũ famâ hoc anno fuit celeberrimus. Est enim in æde nostra eius insignis effigies, quæ paucis mẽsibus saluti fuit non paucis. Religiosa quædam è S. Iuliani Cœnobio intolerabili capitis dolore adeò afflictabatur, vt statas quotidiani officij preces, præ caligantibus doloris vehementia oculis, persoluere haudquaquam posset: aduenit Beati Patris dies natalis, tum ipsa flexis ante imaginem genibus ei infirmitatem suam exponere, opem implorare, & ecce omni statim dolore libera eo ipso die intermissum officium persoluit, & inde restituta sanitas hodiéque perdurat. Maius tamen, quod sequitur, videtur beneficium. Honestus ciuis Audomarensis filium quadrimum habebat herniâ fœdè laborantem, iussus certum adire medicum (qui fortè tum in vrbe erat) in his malis experientissimum, adijt; pretium promisit, sed cùm vilius morbi remedio preciũ videretur, abscedit medicus, & filio dolores auget, patri curas: sed hæ curæ diuinioris medelæ causſam attulerunt. Recens erat Burburgẽsis miraculi per B.P.N. fama: stimulus hic fuit ad eius suppetias in tẽplo nostro maiorẽ in modum expoſcẽdas; expoposcit, impetrauit, filius hodie integer vegetúsque degit. Nihil opis humanæ interuenisse, sanitatémque vni acceptam B. IGNATIO referendam vterque testabatur. Succedat his tertium, & fructu

vtrum-

Digitized by Google

vtrumque antecedat. Vir nobilis & senatûs sex-vîrum princeps, desperata à duobus medicis valetudine, nihil propius quàm mortem expectabat, cùm vnus è vicinis B.P.N. patrociniũ, quod sibi in simillima morbi violentia salutare fuisse memorabat, vt & ipse auxilio inuocet, suggerit. Nec mora, vt pius erat, in omniáq; salutis remedia intẽtissimus, vnum è Nostris accersit, secúmque vt Beati P. syngraphum deferat, petit.

Huc itaquè profectus Pater, primò hominem de voto Confessionis & Communionis cereíq; ante B. Patris imaginem accendendi commonet, dein ad fiduciam in Sancti meritis excitat, sese interim allatam syngraphum salutis consequendæ pignus ad lecticæ cortinas appensurum. Pergrata hæc ægro. Nam & eâ ipsâ horâ Patri indicauit, se præterita nocte per somnium eodem loco suspensam vidisse thecam reliquiariam, eóque momento tussim aliàs immaniter cruciantẽ resedisse. Quid multa? reualuit, & expertarum B. IGNATII virtutum factus est præco. Demus & quarto exemplo locum. Est hîc Virginum S. Benedicti Cœnobiũ, cuius Antistita nonnullas è tunica B. Patris reliquias cùm à nobis impetrâsset haud multo pòst, quanta & in eis, & in Beati ipsius cultu vis esset, in vna sociarum bis didicit. Quædam enim totos nouem menses malè affecto brachio non tãtùm ad opus inidonea, sed etiam ex doloris vehementia in eam totius corporis debilitatem proiecta erat, vt præscindi in posterum spes omnis sanitatis videretur. Adit ergo Antistitam, rogat, vt in honorem

B. IGNA-

Digitized by Google

B. IGNATII à cibo abstinere sibi liceat, sacrámque Eucharistiam accedere: permittitur, durat nihilominus dolor ad triduum diu noctúq; donec ingressa sacrarium B. P. Nostri reliquias magna cũ religione & fiducia brachio admouet, pronũciata interim semel Oratione Dominica, & Angelica Salutatione; cedit dolor, redintegrantur vires, opera resumũtur, manétq; hæc sanitas ab exeunte Augusto ad ingressũ Octob. cùm noctu recrudescente doloris acerbitate excitata suum rursus medicũ inuocat IGNATIVM, & subitò omnis dolor sic euanescit, vt exhinc nec vota, nec vestigiũ appareret. Iam verò febribus, calculis, pleuritidi, & præsertim partuũ anguſtijs, nulla habetur medela præsentior, quàm B. Patris inuocatio. Motum super hac re à ciue primario problema eiusmodi: *Cur præter cæteris sanctis adsit periclitantibus* IGNATIVS? cui alter: *vt inde*, inquit, *alienæ salutis constet desideriũ: nam cùm iam adultos vbiq; terrarũ suorum operâ, nondum natos adiuuat suâ, vt nimirum humano ad vitam hauriendam destituti auxilio, eius precibus, vel ad baptismũ saltem perueniant miraculo.*

COLLEGIVM ANTVERPIENSE CVM DOMO PROBATIONIS.

IX. ANTVERPIÆ iuuẽtus, populus, optimates, copiosũ ab octo Sodalitatibus, hoc est, mille ducentis quinquaginta septẽ Sodalibus tulère fructum. Vltimę duæ hoc primùm anno natæ sunt, quas Antistes vrbis sacra manu ipse consignans initiauit. Earũ altera Sodales variarum nationũ galli-

gallicâ lingua vtentium admittit: altera indigenas puerulos litterarum rudes continet, qui vbi in annum sextum decimũ adoleuerint, in vernaculam aliam maturiorũ promouebuntur. E secũda Congregatione florẽ sibi B. Virgo decerpsit. Adolescẽs erat duodeviginti annos natus, inter humanitatis auditores, aut primus, aut primo proximus, & studia ad Societatẽ nostram, cuius erat cupidissimus, tota mẽte dirigebat. De cuius virtutum exẽplis, quæ bono sint Sodalibus visum pauca è multis perstringere. Retulit pater, se plus tricies eum & frigore rigidũ & fletu madidum, cùm media nocte & hyeme inter orandum nudis genibus iunctisque manibus obdormiuisset, in lectulum deposuisse: miram quoque in eo morum maturitatem cum insigni parentibus suis obsequendi studio coniunctam obseruasse, neq; tantillũ sibi molestiæ, nisi fortè cùm ad extorquendam pro mendicis stipem esset importunior, ab eo illatũ esse. Idem quadriennio ante vltimum vitæ diem, omnibus Sabbathis in DEIPARÆ honorem statum seruabat ieiuniũ: adulta verò ætate à sacra reuersus Confessione ad matris se pedes abijciebat, veniámque delictorum genibus flexis enixè postulabat. Cùm per ingraueſcentem morbum à scholis abstineret, ruri subulcos aut opiliones tum formationem S. Crucis, tum prima fidei scitu necessaria adiectis etiam præmiolis edocebat, vt iam in agro suburbano sancti pueri famam obtineret. Sacrum Missæ officium nullo vnquam die prætermisit. Mendacium in puero vel leuissimum nullus aduertit. Pessi-

Digitized by Google

Peſſimè eum habebat, ſi quis præceptoribus (quos mirâ ſemper ipſe obſeruantiâ coluit) negotium faceſſeret: nec infrequenter ex Magiſtro ſuo quærebat, quidnam DEO præſtare poſſet quàm gratiſſimum, vt iam tum videretur in vitæ fugacis compendio etiam compendia quærere meritorum. Iam in magni morbi doloribus pulchra erat patientia, & dies extremos ita diſpenſabat, vt vno die ſe pro parẽtibus, altero pro ſcholarum Præfecto, tertio pro Magiſtris, deinde pro alijs atque alijs dolores ſuos DEO offerre diceret. Paucis ante mortem diebus Confeſſarij, quem biennio precibus fatigauerat, impetrata facultate, D. VIRGINI in Aſpricolle votũ perpetuæ virginitatis nuncupauit. Erat dies ante poſtremum vitæ diem nonus, cùm allatas ad ſe B. Gonzagæ reliquias oculis, oſculiſque pietate pleniſſimis excipiens, *iam*, inquit, *ſcio verè aut Beatiſſimũ meum Aloyſium poſt nonum abhinc diem, ſi animæ commodo fuerit, corporis integram valetudinem, mihi à DEO impetraturum: aut morienti in vltimo periculoſiſſimóque conflictu ſtrenuum fore adiutorem.* Præſagio euentus reſpondit, & cùm mallet bene mori, quàm diu viuere, melioris voti compos fuit.

X. SEXDECIM vrbanis Catechefibus ruſticanæ duodecim acceſſerunt: & in templo principali Reuerendiſſimus ipſe Antiſtes poſt feruidas de Catechiſmi doctrina diſputationes præmia pueris bene meritis non tantum è liberalitate, ſed etiam manu ſua exire voluit. Nec pauci duntaxat ſigillatim, vt aliàs, per B. IGNATII noſtri exercitia

Digitized by Google

ercitia exculti, sed totæ Religiosorum familiæ, adeóque in vnum Monasterium inuecta vsúque recepta est consuetudo quotidie stato horæ spatio ad nostrum modum diuina commentandi. Didicerunt & Virginum Cœnobia designato tẽpore, quod post nocturnos cantus quieti adimũt, singulis diebus horæ interuallo iũctim cœlestia contemplari: bísque item de conscientiæ peccatis sub prandium & somnum quæstiones & iudicia exercere; quibus ex rebus admirationi simul & voluptati est noua Cœnobij facies: & iam lex est, quam sibi ipsæ dictárunt, vt in officina communi ad singulos horæ quadrãtes vicissim vna præeat, clara voce recitans breuem, igneámque sententiam, quâ omnes audita spiritu calefactæ ad DEI amorem inflammentur.

XI. ALIAS in atrocissimis animorum dissidijs spectata est non semel Nostrorum fides. Fuit enim vt de rebus grauissimis in ius vocati aliqui, etiam lite contestata à tribunali ad Collegium nostrum appellarent, & ad arbitriũ patris vnius compromitterent. Multorum millium nummûm lis erat sub iudice, & Hæreticorum capita stabant in partibus, tamen conspirauerunt, vt arbitrum sibi è Nostris dari quempiam poscerent. Datus est, & is dissidentes animos, stupentibus causarum patronis, ita conciliauit, controuersiámq; multis annis & odijs inueteratam sic diremit, vt pars vtraq;, perinde ac si vicisset, plauserit: fuítque adeò, qui tametsi de Religione aliter ac nos sentiret, tamen palàm exclamârit; *Si sibi de centum millibus aureorum sit decertandum, non*

Digitized by Google

alio se, quàm Patris nostri stare malle iudicio. Alia contentio inter nobilissimos mercatores eò progressa erat, vt non pecuniam tantùm, sed sanguinem vitámque petere viderentur: in multos annos litẽ protraxerant, & cùm nihil iure ac legibus ageretur, ferro credebant decernendũ. Sed ita res arbitrio Nostrorũ decisa est, vt ille ipse, qui princeps factionis, & semper aut vlcisci aut occumbere paratus videbatur, posteaquam non solùm rei pecuniariæ, sed etiã animi sui tumultus operâ Nostrorũ compositos vidit, sibi de inexpectata, multísq; annis inexperta tranquillitate gratulatus, dixerit; *Nunc demum viuere se, & arbitrum Patrẽ verè Patris loco habere & venerari.* Offendebat ciuitatem publica & in ore omniũ posita simultas, & efferbuerat quidẽ multis annis, quæ & Ecclesiasticos homines & ciuiles distraxerat: interuenêre Nostri, & DEO iuuante non minùs quàm illis superioribus concordiam persuaserunt.

XII. CVM Hæreticis, quibus hîc finitimi sumus, propemodũ quotidianę velitationes susceptæ, eęq; prospero ferè successu. Multi varijs vijs Ecclesiæ restituti, multi vel nunquã vel perperã Sacramentis imbuti cõuenientibus ceremonijs sunt initiati. Qui desertis Religionis suæ castris ad Hæreticorũ signa turpi fuga trãsierant ad Ordines reducti, vel qui pernicioſę libertatis illecebrâ vacillabant, in fidei petra stabiliti sunt. Ita adolescens egregius nescio quo Religionis tędio lapsus erat: sed vix diem vnum iacuit, cùm Dominum interminantem & DEIPARAM auersantem

tem videre visus Nostrorum consilio resipuit. Nunc & cautior in statione sua est, & fortior.

XIII. CAMPINIA est ager ad Antuerpiã latissimè patens: eum nobis induciæ aperuerunt. In apertũ Reuerendiss. Antistes euocatos misit. Sub ipsis vrbis Bredæ muris (vrbis scilicet Hollandorum præsidijs, & prędonum latrocinijs famosissimæ) pag⁹ est, in quo circa Soteria tria hominũ millia, ad Christi mẽsam accesserunt. Hîc ipsi ciues Bredani fuêre illustres, qui militum in portis excubantiũ ludibria despicientes, minásq; flocci pendentes, Principẽ suum Auriacum pompa magna præeuntem sunt secuti, & eius coniugísq; exemplo, ferculo diuino refecti, & corroborati. Sitis verò sacrorum eloquiorum quanta, cùm ad concionatorem publico nomine rogatum miserint, vt ne ante sesqui aut duas integras horas sermonem abrũperet? Reditũ eodem diebus Pentecostes: idem inuẽtus est feruor, idem fauor. Egerat pro cõcione Noster, vt Venerabilis Eucharistiæ derogatos ab Hæreticis honores publica supplicatione, quanto maximo possent apparatu, restituerent⁹: mox Hæretici parare Tragœdias, Catholici alij timere seditionem, alij contemnere: tum Curio ijs, qui supersedendũ, temporíq; seruiendum mussabant; *Itáne*, inquit, *& nos cõmittemus, vt istorũ minis cedendo, fiant aliàs ad nos tentandos, turbandósque audaciores? minimè gentium.* Processum est igitur pristino & patrio ritu, ciuibus magno numero faces fronde & fore lemniscatas præferentibus, eo maiore Catholicorum cum solatio, quo acerbiore cum luctu viginti

Digitized by Google

quinque annis tali spectaculo caruerunt. Missus est & alius in alium pagum, vbi cùm olim nouē hominum millia sacræ mensæ accumbentium censa essent, iam tanta morum & opinionum inualuerat corruptela, vt Catholici ab Hæreticis numero vincerentur. Ita ergo Noster quà concionibus, quà audiendis confessionibus, quà colloquijs priuatis, suam probauit operam, vt cùm Societatis nostræ hominem esse nescirēt, publicè litteris ad Episcopum datis, hunc sibi Pastorē postularent, & ipsemet Parochus (quamuis lautissima ea sit procuratio) libentissimè locum ei daturum spoponderit. Qua in re illi feruenter, hic moderatè, Noster ex instituto se gessit. Aliò rursus ablegatus tertius, qui ea voluntate à paganis exceptus est, vt dicerent, graue sibi non esse, quamuis frigidissima tempestate tribus horis patrem, dum veniret, operiri; dum concionē absolueret, sustinere. Et cùm antehac vulgo à coronis & rosarijs, quæ in honorem DEIPARÆ mos est recitari, abhorrerent; vt Anachoretam aut Iesuitam exprobrando vocitarent, quisquis ea manu tenuisset; nunc versa ratione in agris arratra vel plaustra ducentes precatorios globulos voluunt. Profuit in hanc rem Toparcha ipse, qui vt exēplo ceteris præiret, Patris lateri se applicuit, & in magna procerum aulæ Belgicæ corona precando non sine strepitu labentium globulorum, quanti piam consuetudinem faceret, palàm fecit. Ipsis verò Domini Natalitijs vetus sanctorum suscipiendorum incuria pro concione ita exagitata est, vt Toparchæ vicarius aliorū com-

Digitized by Google

comploratione permotus prehensa Patris manu dixerit: Victus sum Pater, fateor, & me tibi crastina luce sistam, mecúmq; vnà totam hãc multitudinem ad Exomologesin & Synaxin trahã. Tres igitur dies toti in expiandis pascendísque paganorum animis insumpti: ex quo non in moribus duntaxat, sed in templo quoque noua species, nouus splendor consecutus est. Itum etiam Antistitis rogatu, ad pagos Zelandiæ conterminos, sed sub vestitu peregrino, structis videlicet dolo bono insidijs, ne aperta Societatis facies Hæreticos exacerbaret, & Catholicis periculum crearet. Est enim sanè quàm exosum ibi nostrum nomen. Quin adeò Nauclerus deprehensa in Nostro Ecclesiastici grauitate, dum Pastorem aliquem aut vulgarem Sacerdotem esse credit; *Neque sunt,* inquit, *mihi ingrati Sacerdotes Papistici, dum tamen ne sint Iesuitæ: hi enim turbandis regnis nati sunt.* Vbi ergo ignotus in destinatam vrbem exscendit, tantum excitauit vna concione incendium animorum, vt incredibili prope audacia palàm ac manifestè, cùm tota vrbe rumor percrebuisset, rogatu ductúque Patris omnis ordinis & ætatis homines congregati sex naues onerarent, in Catholicum simul pagum traiecturi, & de passo Domino verba audituri. Tum loci Curio (nec enim illi se Noster aperuerat) *Te quidem,* ait, *istis modestiæ, pietatis, temperantiæ, charitatísq; indicijs Iesuitam esse prius suspicabar: nunc verò in tanta captura piscium certus sum. Quare te agnosco, & procul omni dubio veneror germanum sanctæ Societatis alumnum.* Ita vrbis istius gloria

Digitized by Google

ad Catholicũ pagum enauigauit; vbi & in ipso templo meliores aquę repertæ sunt, quando pœnitẽtium confitentiúmq; oculi ipsius vestes Sacerdotis madefecêre. Hæc animorũ incrementa externa sunt, Domi supellex templi incrementum accepit, quatuor milliũ aureorũ. Areæ Collegij cum latifundio tres domus accesserunt, pro quibus coëmendis decies mille numerati fuêre.

COLLEGIA BRVGENSE, IPRENSE, CORTRACENSE, GANDENSE, VALLOMENENSE, INSVLENSE, MONTENSE.

XIV. INSTITVTVS hoc anno Brugis, prope ab ædibus nostris studiosorum adolescentium Cõuictus, vbi magnâ curâ ad omnem disciplinam & pietatem Legibus optimis imbuuntur. Ad cõtinendam item in officio iuuentutem decreuit Prouinciæ præfectus, vt Dominicis festisq; diebus in templo nostro vesperæ decantarẽtur, atq; ijs finitis à Nostrorum quopiam depromptum è sacris annalibus pium aliquod exemplum puerorum moribus informandis accommodatũ per horæ circiter quadrantem enarrarentur, atq; ita pace à Venerabili Sacramento accepta iuuentus domum dimitteretur. Cui pietati idem ipse, qui auctor fuit, felix initium dedit, & vt idem in pleriſque Prouinciæ Collegijs fieret, instituit, ne dum populus vespertinarum precum tempore diuinis vacat disciplinis, nostri in foro aut ludo malè feriati distinerentur. Res passim magno non puerorum modò, sed adultorum etiam, qui

negle-

Digitized by Google

neglectis ludicris ad eiusmodi pia conuolare solent, procedit emolumento. Adolescentiũ Sodalitas Romanæ hoc anno copulata floret. Virorum sub Visitatæ VIRGINIS titulo, cùm adhuc loci penuriâ semel duntaxat quolibet mense cõueniret, ea nunc in noua Gymnasij aula singulis hebdomadis matutino tempore cõgregatur, frequentia duplo maiori. Ibi cùm Prouincialis noster verba facturus esset, venit Pontifex Brugensis, vir nõ genere magis quàm religione nobilis, nomẽnq; Sodalitati dedit, atq; exhinc nõ parua primorum virorum facta est accessio. Deniq; ita profecit, vt nouum ex se traducem dederit, & quotquot in ea Congregatione cœlibes essent, nec certum adhuc vitæ statum ingressi, nouum Sodalitium constituerent: vnde haud parum auxit Sacramenta hîc frequentantium multitudo. In Xenodochio præter alia officia iam primùm singulis mẽsibus exhortationes è cathedra ad ægros simul, & ijs inseruientes Moniales sunt haberi cœptæ. Cõplures ab Hæreticis disiuncti, integra imò familia ab eorum partibus huc cõmigrans, in fide edocta. Receptam salutis spem, quam Religiosi quidam vnà cum toga abiecerãt, Nostris post DEVM adscripserũt. Octo años duo conuixerant, prolẽ susceperant, cùm interea nullæ interceßissent nuptiæ: eæ vt fierẽt, curatũ est. In pago omni cura & ope Pastoris destituto vnus è Nostris totum annum labores Curionis subijt, siluescentésq; incolarũ animos, & propter longã bellorum vexationem sacrorũmq; desuetudinẽ omnium ignaros indefessâ constantiâ excoluit.

Digitized by Google

Alibi tam erat deſes & negligens Parochus iſq; Religioſus, vt domi ſuæ calicem ſacrum, & in eo diuinas hoſtias in communi armario neglectim reponeret, ita enim Patri cuidam iter illac agenti, cum ad ſacrificium peteret, per feneſtram obtulit mater ipſa paſtoris. In ſacro infirmorum oleo per hunc vel illum puerum tranſmittendo, par ferè irreuerentia notata. Itaque duobus Patribus cura reſtituendæ hîc, quantum poſſent, religionis ac pietatis commiſſa; qui id apud Parochum & Magiſtratum conati ſunt efficere, vt ſi non templum, ſaltem locum SS. Euchariſtiæ aſſeruandæ deſtinatum decenter adornarent, vt campanum æs publico ſumptu emeretur, vt ter quotidie ſigno dato DEIPARA ſalutaretur: quibus obtentis in melius omnia iêre. Eadem in tribus alijs pagis negligentia Catholicorum correcta: vbi hæreticos quoſdam audaculos & in fidem Romanam aliàs obſtrepẽtes opportunè ruſtici quidam commouere, vt nunc coram Noſtris ſua in medio ponerent: ſed illi partim ſe ſubduxêre, partim auditis rationibus obmutuere; imo cum loquerentur, ſimilia audita ſunt; *cetera omnia noſtra ſe ferre poſſe*, mores, litteras, ſcholas: ſed adeo Pontifici *Romano eſſe addictos, id verò vnum præcipuè intolerabile ſibi videri.* Erat, qui haud paulò ferociùs iactitabat; *Ieſuitis omnibus è medio ſublatis haud factu difficilè fore, ceteros omnes fidei Catholicæ propugnatores expugnari*: credo, quod horum ſæpius aut potiſſimum, non aliorum item vires & inuicta robora fuiſſet expertus vanif-

Digitized by Google

vanissimus Ardelio. In templi rem, Bibliothecam collati aurei mille nimirum trecenti.

XV. In Iprensi Collegio nunquam fuit aut docentium numerus maior, aut fructus rudium vberior: quam in rem plurimùm contulit senatus munificentia, qui in præmia Catechismorũ reſque pietati comparatas decreuit iam pridem quadringentos annuos florenos: quorum dispẽsatio interim in manibus externorum. In circumiectis pagis præter concionum frequentiam eadem docendi ratio Curionibus grata & commendata, quorum aliqui eundem seruare modũ non paruo vulgi gaudio instituerunt. Solemnem vrbis supplicationem, quæ sextili mense in honorem DEIPARÆ celebratur, insigni religione decorarunt ducenti amplius pueri & puellæ ẽ catechesi nostra discipuli sub vario sacrarũ personarum schemate; in quam pompam & apparatum senatus centum quinquaginta aureos decreuit. Neque nihil alia quædam supplicatio Nostrorum conatibus debet, in quam processu temporis multa inuaserat insolentia. Iuuenes aliquot in speciem dæmonum fœdo modo transformati, S. Antonio, quẽ scurriliter potius quàm sanctè indutũ circumducebant, varia petulantia ludebãt: alias res sacras profanè penit° atq; indignè exhibebãt: hęc Nostris monitoribus partim edicto Magistratus prohibita, partim pijs ac decentibus personis in eorum locum substitutis emendata. Belliolum celebre ac frequens est municipiũ quatuor abhinc milliaribus: ibi per esu-

Digitized by Google

riales ferias fecundis auribus auditus Noſter non Catholicorum modo, ſed etiam hæreticorum, quorum vnus à vicino ſuo homine Catholico quotidie ad concionem, & præterea ad fidem eſt adductus. Cuius ductoris minimè ſilentio inuolenda eſt feruoris plena charitas. Ne quid enim interea negligi opus ſuum hæreticus queri poſſet, miſit è ſuis, qui concionum tempore vicariam ei operam præſtarent. Eiuſdem Diœceſis alterum æquè florens municipium eſt Pogeringa: illic binæ cõciones habitæ, vna vernacula, altera Gallica: ad hanc è pagis quoque remotiores Galli, qui in hac Occidentali Flandria frequentes ſunt, confluxere: Flandricam excepit Catechiſmi explicatio, ad quam promouendam R. Abbas S. Bertini eius loci dominus iuſtam pẽſionem aſſignauit. Ornando altari domi interea ſuſpenſa lampas ſexcentorum Aureorum: in quos ſumptus ancilla quædam teneri non potuit, quin centum viginti longo famulatu quæſitos læta conferret.

XVI. IN NOVVM Cortracenſis ædis noſtræ ornatum parata eſt SS. Hadriani, Sebaſtiani, Coſmæ & Damiani tabula perelegans plus quingẽtis coronatis æſtimata. Duabus Sodalitatibus antiquis duæ hoc anno nouæ ſunt adiunctæ: iuuenum mechanicorum Parthenia vna, altera ſcholaſticorum Angelica. Parturientes duæ lignum & effigiem B. Virginis Sichemienſis à nobis petitã veneratæ, partus incolumes in lucem ediderunt. Hinc è Noſtris vnus in Hollandiam excurrit ſemel, vbi paucorum dierũ ſpatio ad du-

Digitized by Google

ad ducentos siue Hæreticos, siue Atheos, DEO & veræ Religioni conciliauit, ijque nunc tanto animi sensu pietatem colunt, vt diuinorum Mysteriorum causà ad multa milliaria identidem excurrant.

XVII. REVERENDISSIMVS Carolus Masius iam nuper ex Iprensi Gandensis Episcopus in palatina æde dramate à discipulis nostris exceptus, quanti Societatem faceret, clarissimis beneuolentiæ amoris que signis sæpius demonstrauit. Oblatus eidem liber est, cui Triumpho poëtico nomen, isque sub eodem volumine bipartitus, ita vt pars prior emblemata, posterior res ab Episcopis sanctisque & fortibus Carolis præclarè gestas contineret.

XVIII. OPIFICVM Sodalitas in Vallencensi quoque Collegio sumpsit hoc anno non infaustum principium. Ex vrbana Catechesi mira puerorum in Sacerdotes excitata est obseruatia: ex rurali creber inter rusticos ceræ sacræ vsus & veneratio, accedente præsertim recenti experiëtia, eam contra Dæmones & morbos valuisse. Puella spectris agitabatur & ab ea Dæmon nunc cibum, nunc pilum saltem è capite flagitabat: vetitum, ne daret. Mandat ergo, in vrbem ad nos adduci: sed in itinere nunc in aquam, nunc in vepres molitur diuertere: nihil tamen agit: venit, confessa est, sacrâ ceram accepit, molestúmque exinde Diabolum nunquam habuit. Alteri iam annum ex morbo decumbëti idem donum multis petitum precibus atque obtentum mox post religiosam veneration̄em saluti fuit.

Cœpta

Digitized by Google

Cœpta hoc quoque anno haberi quotidie sub noctem ad milites, priusquã ad vrbis custodias sortito discederent, breuis per dimidiam horam exhortatio. Quâ in re illud permirum & portenti simile visum est, vt quamuis sub dio mensem octauum res ea tenuerit, nullo tamen vnquam imbre celivé iniuriâ soluenda fuerit concio. In templo præter ceteram pietatem aliquod fuit supellectilis incrementum: Lipsanothecæ singulari opere piorum sumptibus confectæ. A Magistratu mille aurei dati.

XIX. PERINSIGNIS fuit Insulensis quoq; senatûs in nos liberalitas, qui ad perficiendam noui Collegij fabricam contulit florenûm septuaginta millia. Ceterùm Insulis Sodalium illustre fuit in pietate exercitium, qui oblationem sui olim DEIPARÆ factam, eiusdem Assumptæ festo, post generalem peccatorum exomologesin & sumptam synaxin, lecta solita oratione & oblatis cereis renouârunt. Singulis deinde Patronæ suæ festis diebus septem horarum prece in totidem modò dolorum, modò gaudiorum memoriam & honorem communibus votis celebrârunt. Viginti virgines eóque plures à templo nostro & cultura in varia cœnobia profectæ Christo nupserunt. Aliæ relicto vestium luxu nunc accuratiùs DEO victuræ ad modestiam se composuerunt. Sacerdos doctrinâ clarus, sed moribus obscurus, & ob sacrilegam libidinem in Hollandiam fugitiuus, sociam turpitudinis Nostrorum consilio ab se segregatam honestæ matronæ in manus dedit, ipse ad frugem se recepit:

Digitized by Google

cepit: nec pauci ex ijsdem partibus, in quas iste profugerat, huc delati è Religionis naufragio fidei portum tenuêre. Stegrensis Missio Curionis & Senatûs rogatu sanctioribus duobus anni tẽporibus continuata fructu non caruit: nam Hæretici duo errorem suum detestati, & centum circiter elutis totius vitæ maculis emendari.

XX. E MONTENSI Collegio excessit vnus: P. Ioannes del Tenre, animi candore, sui demissione, atque in Præsides obseruantiâ peramabilis. Societatis munia anno septimo ab ingressu absoluit: quæ superstites Socij magna contentione in multorum bonum longiùs produxerunt. Eorum operâ alij libros impudicos, alij obscœnas imagines, alij infames statuas exusserunt, vt iam tutiori multò venerabilioríque loco castimonia passim sit collocata. Sed felix præsertim huic Collegio fuit annus magno pacificationum numero, quibus populo lætitia, Societati auctoritas est parta: adeò vt iam percrebuerit inter causidicos, suas artes officijs nostris collabescere.

Neque domi tantum valuit ea existimatio, sed foras etiam ad viginti nonnunquâ milliaria nos euocauit. Ita quopiam in oppido inter Toparcham, & alium quèndam auctoritate & opibus florentem implacabiles quodammodo inimicitiæ sunt sopitæ. Inter loci cuiusdam & Canonicos quinquenne erat dissidium, tantæ offensionis, vt Canonicis sæpius etiam medio choro in altercationes versis diuinum officium destitueretur: tantæ pertinaciæ, vt nec ipsius Ducis, cuius ea vrbs ditioni subiecta est, auctoritate componere-

Digitized by Google

poneretur. Aggressi sunt negotium Nostri, sed precibus primò ad DEVM, deinde consilijs ad partes, itaque successit, vt nostrum Patrem in Capitulum, vt loquuntur, benignè admiserint, verba faciẽtem libenter & adierint & audierint, in eius leges & pacta vltro consensserint, compositioni volentes gaudentésque acquieuerint.

COLLEGIVM BERGENSE CVM RELIQVIS: ET EXPEDITIO denique ad Batauos.

XXI. BERGIS in ciuitatem hæreseos suspicione laborãtem intra annum missi Nostri, ita mores ciuium ad pietatẽ & religionem inflexerunt, vt cùm pridie fidelium animarum sub mediam noctem Pater ad templum iret, obseruaturus, num accensus diuini cultus feruor perduraret, plures quadringentis offenderit, qui aut in acri frigore nudis pedibus, aut per ipsum cœmeteriũ flexis genibus ad suorum sepulchra precabundi perseuerarent. Ibi & alibi mulieribus illecebrosis & hominum publicis pestibus via clausa. Non nemini ad quosuis morbos & vulnera curanda publicè superstitioso malæ artes detectæ. Maius tamen intra pomeria lucrum. Confessiones super tota vita institutas vel vnicus Sacerdos audiuit centum quinquaginta. Eorum vni quicquid ageret, & vbicunque esset, semper turbida instabat conscientia: *Vitam non emendabis?* Easque voces velut ab importuno monitore auribus ipsis audire sibi continuò videbatur: exclusit

clusit facta confessio. Mulier honesta omnibus frustra tentatis aliquoties abortum passa, Patris vnius consilio coram imagine virginis Sichemiensis quotidie Rosarium percurrere aggressa, prolem prosperè, nec laboriosè in lucem dedit. De Beato nostro IGNATIO longum sit singula eiusmodi auxilia meminisse: illustriora sunt hęc duo. Fratri nostro Gilberto Hermaxi præsens imminebat vitæ periculum. Varicibus enim in dextro poplite alterum annum pertinacissimè inhærentibus, ac præ nimio sanguinis ebullientis feruore identidem tanta vi erumpētibus, vt duas quandoque libras cruoris amitteret, visus est medicinæ peritissimo viro omnibus frustra adhibitis remedijs morbus incurabilis. Itaque Noster ad potentiorem medicum se vertit, votóque se B. IGNATIO obstringit, si conualesceret, in eius peruigilio quotannis præter panem & aquam nihil sumpturum. Post hoc spe plenus ad templum scipioni innixus claudicat. Vix diuina Mysteria perceperat, cùm ecce in tibiam vigorem, in membris robur persensit: ergo absque fulcimento ad cubiculum redit, vulnus varicésque exquirit: horum nihil, sed salua sanáq; omnia reperit: gratias Beato agit, & perpetuò se ei debitorem agnoscit. Consulti super hoc medici duo, chirurgus vnus: nemo non vires humanas à curatore fuisse superatas prædicauit. Maius alterum hoc famáque celebrius videtur. Burburgi (quæ vrbs est Flandriæ, tribus circiter leucis à Bergensi oppido distans) puella duodennis D. Alexandri Maës eiusdem vrbis consiliarij filia,

Digitized by Google

filia; extremis calculi doloribus cruciata, nec vllis medicinæ inuentionibus curabilis, modo prorsus admirabili per B. Ignatium sanitatem integram recuperauit: cuius rei historia à Reuerendiss. Episcopo Audomarensi examinata & approbata, cùm Gallicè extet passim, eiúsque in latinam linguam versæ exemplum, cui idem subscripsit Antistes, penes Nostros in Belgio sit, haud pigebit illud totidem verbis adscribere. Ita ergo se res habet.

IACOBVS BLASÆVS DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPVS Audomarensis, omnibus Christi fidelibus has litteras inspecturis salutem.

CVM *magna semper in Ecclesiam* DEI *siue ad fidem stabiliendam, siue ad* DEI *Diuorúmque gloriam amplificandam miraculorum fuerit, atque esse debeat auctoritas: ne in alterutram partem vllatenus fraudi esse possit eius, quod nuper* B. IGNATII *ope patratum est, silentium atq; taciturnitas, visum est nostri esse muneris, id quod iam multorum priuatis sermonibus iactari in vulgus audiebam, contra obtrectatorum maledicta conuiciandique licentiam ex amussim examinare examinatúmque, si ad pietatem faceret ac veritati consonaret, euulgare: Itaque cùm M. Martinus à Leydis sacræ Theologiæ Licentiatus, atq; Burburgi (quæ vrbs est nostræ Diœcesis haud procul à mari sita) Pastor, certum ibidem miraculum accidisse Nos docuisset, cuius in dies fama longiùs atq; longiùs emanaret, statui rogatu*

Promo-

Digitized by Google

Promotoris noſtri ordinarij, ad eius rei veritatẽ, quàm diligenter atque accuratè poſſet, explorandam incumbere. Atque eapropter binos Archidiaconos noſtros, qua Arteſiæ, quà Flandria vnà cum à ſecretis & ſcriba fori noſtri ſpiritalis, hoc penitus agere voluimus, vt cuiuſmodi eſſet, quod in vulgus tam ſecundo rumore ſpargeretur, miraculum, per Arteſcenſem Archidiaconum atque Officialem me facerent certiorem. Hi ergo omni adhibitâ ad verum perſcrutandum diligentiâ, ſiue in legendis locupletibus teſtimonijs, ſiue in perſonis, quarum in fauorem DEVS Opt. Max. per famulum ſuum B. IGNATIVM *hoc opis extraordinariæ indulſiſſet, examinandis, rem ad nos certam atque exploratam retulerunt, quam tamen ipſam relationem coacto noſtro conſilio maturè ſeduloque perpendimus, demúmq; cunctis extra omnis dubij erroriſq; incertitudinem aut lapſum poſitis, ita deprehẽdimus: nimirum Antoniam Maës M. Alexandri Maës Iuris Licentiati, & vrbis Burburganæ conſiliarij filiam, annos natam duodecim, calculi morbo grauiter fuiſſe obnoxiam, grauiùs verò à poſtremis domini Natalitijs anni ſcilicet Milleſimi ſexcenteſimi decimi, cùm poſt vrinam immanibus renum doloribus, à latere præſertim dextro, cruciaretur, maloque in deterius abeunte iam duos, iam tres, iam quatuor, immò quinq; interdum ſex vé dies, occluſis meatibus nihil niſi magna vi medicaminum effundere, quamuis eniteretur, poſſet. Iam tum vterque puellæ parens tantis filiæ doloribus incredibili modo confixi, nullis neque impenſis, neque laboribus, neque itineribus ad afflictæ opem pepercerunt. Nunc Audomarum ad D. Doctorem Guilielmum Ioly, virum & ab ætate & à doctrina medicæ artis expertißimum; nunc Bergas ad*

S Docto-

Digitized by Google

Doctorem Oliuarium, eiusdem quoque scientiæ peritissimum; qui vnà cum M. Guilielmo Spanitio item medicinæ Burburgi Doctore, collatis inter sese rationibus diuxêre vnâ conformiq; sententiâ esse ei puellæ in renibus, atq; in vesicâ, propter aggrauantem inibi calculorum copiam, certum vrinæ cliciendæ impedimentum: vnde consequenter effici, vt nunquam omni æuo absq; diuina manu ea difficultate leuaretur. Immò iam eò ventum erat, vt cibi potionisque fastidiosa, vix incedere, vix consistere, vrinam verò ne vix quidem, nisi eâ, quâ dictum, medicamenti violentiâ exprimere posset: quam tamen ita tum exprimebat, vt mox consequentibus renum doloribus abundè pensaretur, quippe qui tam acrem atque acutum in dextrum latus dolorem deriuarent, vt omnis à medicis præscriptæ vnctionis atque attactûs, quamuis molliſsimi, nisi extremæ forsan leuiſsimæque pennæ impatiens esset. Tanta porro sensim mali fuit acceſsio, vt nouem ipsos dies vrinæ impos in solis clisteribus, aliisve medicorum instrumentis leuamen tandem summa cum difficultate inueniret. Sed inde quindecim post diebus multò quàm antè vnquam grauior ac diuturnior & morbus & dolor. Iam enim viginti septem dies, non modò contra naturæ facultatem, sed etiam aduersus omnia instrumentorum & medicamentorum molimina, obstructo atq; obstipato fluxu, tantum aberat, vt quidquam extrinsecus leuamenti admitteret, vt potiùs quæcumque foris licet curiosè, atque exactè admouerentur, tantùm ad doloris malique facere viderentur incrementa. Itaq; Doctores incurabilem morbum censuerùt, facto præsertim febris additamento, & super hanc corporis inflatione, ex longo vrinæ situ in tantum adaucta, vt de puellæ quidem exitu

non

Digitized by Google

non dubitaretur, exitus tantùm acerbitas timeretur. Hæc verò cùm ita se haberent D. Alexander Maës huius depositæ pater, pro suâ in DEI famulos beneuolentia et honoris diuini promouẽdi studio, frequenter P. Theodorum Rosmer Societatis IESV Sacerdotem, cùm is è Bergensi Collegio cõcionum aliorúmve instituti sui munerum gratiâ Burburgum identidem proficisceretur, hospitio excipiebat. Itaq; idem Pater non ignarus malorum, quæ tam beneficam domum occuparent, speque bonâ fretus B. IGNATII meritis puellam posse percurari, primò vitam eiusdem B. Patris, vbi complura salutari eius auxilio patrata miracula continebantur, ad eam misit; deinde semetipsum propediem venturum compromisit; neque multo post, vt dixerat, adfuit: vbi omnes, patrem, matrem, filiam bene sperare, atq; DEO meritisq; B. IGNATII confidere iussit, adiecitq; esse in Collegio Bergensi nonnullas eiusdem B. Patris reliquias. Qua re illi intellecta, mox tanta earum habendarum cupiditate flagrârunt, vt statim certum hominem ad eas afferendas allegârint. Interim P. Theodorus pro filia sacris operatus, etiam matrem Venerabilis Sacramenti participẽ fecit. Sub vesperam eius diei sacræ reliquiæ in pyxide bene firmitérque obsignata afferuntur. Ipsa filia fusis ad DEVM precibus votum insuper B. IGNATIO nuncupauit; se, si propitius is foret, sanitatémque à DEO impetraret, omnibus festi ipsius peruigilijs, ieiunij solemnem ritum seruaturam: in ipso autem die natali Sacrosancta Exomologesi & Synaxi gratiam cœlestem aucupaturã. Deniq; vigesimo septimo die ab illa vrinæ cruciabili intercluſione, sub horã septimam vespertinã, siue sub occasum solis, eius renibus,

vbi maxima vis doloris sæuiebat, B. Patris reliquiæ applicitæ : tum illa in soporem ad medium vsque duodecimæ resoluta, donec acri dolorum morsu, qui in renes ad horam vsque tertiam matutinam incubuerunt, somno excitata, vnâ horâ circiter ante ortum solis, parentes, in quorum cubiculo decumbebat, subitò inclamauit : sibi aluum ad vrinam commoueri, nihil iam doloris in latere persentiscere, etiam priusquam (quod permirum est) vrinam demitteret. Ita tum præsente matre ac deinceps nihil calculi, nihil arenarum, contrà quàm priùs accidere solitum erat, in vrina apparere : nihil molestiæ ac difficultatis neque in emissione, neque post emissionem sentiri : sed simul valetudo restitui, cibi potúsque appetentia reuerti, inflatio subsidere, deniq. lateris dolor ita euanescere, vt nullam ibi iam tactionem, velut omnino integra, reformidaret. Quid multa? Iam fortis ac valida viribus neruisque vndique confirmatis eo die, qui decimus quintus Iulij fuit anni huius Millesimi sexcentesimi decimi, cum stupore omnium exsurrexit, vt illo ipso die ad templũ vltro ad referendas DEO Opt. Max. & B. P. IGNATIO gratias sese contulerit, ibidem confessa fuerit, toti sacro interfuerit, viuificam Hostiam sumpserit, domum redierit, sapidè pranderit, vnóque verbo, optimè valuerit, valeátque. Cunctis ergo rebus earúmque modo accuratè per nos examinatis, atque perpensis, simúlque Patris, Matris, Filiæ, Patrum Societatis IESV, & aliquot Patrum Capucinorum habitis testimoniis, maximéq; attento medicorum iudicio, aliorúmque grauium virorum & fide dignissimorum, quos Promotor noster adduxit, consentiente sententia, qui omnes hanc miraculosam curationem interposito iureiurando asseuerârunt : his, inquam, debitè ex-

Digitized by Google

tè expensis, adhibito in iudicium consilio nostro & Archidiaconi, Officialisque relatione discussâ declarauimus, ac declaramus, curationem illam miraculo per merita B. IGNATII obtento acceptam esse referendâ: concedentes, vt hæc nostra declaratio vbiuis terrarum, prout res tulerit, ad Maiorem DEI gloriam, & B. IGNATII honorem, & in spiritale Christi fidelium emolumentum, possit euulgari. Datum Audomari in Episcopio nostro sub propria subscriptione & sigillo. VII. *Augusti.* CIↃ. IↃC. X.

Hucusq; exemplar litterarũ Pontificis Audomarensis: in quo hoc obseruari potest inflationem ità subsediſſe, vt in ipso diuinæ curationis puncto, corporis tumor, (qui vestes duabus palmis, quàm vt aptari posset, strictiores efficiebat) ita subitò euanuerit, vt iam optimè cõuenirent. Præterea eò magis honori B. Patris hoc miraculum videri reseruatum, quò diligentiores fuisse puellæ parentes accepimus, vt pro filiæ sanitate nunc PP. Capucinos ad B. Virginem Sichemiensem, nunc alios ad Laudensem, prope ab vrbe Insulensi missitarent.

XXII. OBIERE Cameraci hoc anno Nostratium duo: P. Ioannes Cousin domo Brugensis, & P. Ludouicus Baron Audomarensis: ille anno ætatis quinquagesimo quinto, ab ingressu autem Societatis vigesimo primo: hic totius vitæ vigesimo septimo, Religionis verò aditæ non plus septimo. Et prior quidem, antequam ad nos vocaretur, Iuris Doctor & in consilio Flandriæ ab eruditione, legúmq; notitia magni nominis: atq; vt erat linguarum diuersarum peritissimus,

Digitized by Google

Hiſpanis, Italis, Germanis, Gallis, Flandris ob vtilem illis aliquot annos in Cameracenſi Præſidio præſtitam operam admodum charus. Alter à poëſi, quam profeſſus erat, in altiorem cathedrã elatus, tanto feruore concionandi munus ſuſcepit, egitque, vt inde morbi origo crederetur, & mortis. Ex hac vrbe commentationibus B. P. N. obtulêre ſe excolendos, qui dignitate inter Eccleſiaſticos pollent; quid profecerint, mores docent. Totus ferè pagus in Franciæ terminis, propoſitis indulgentijs, ad Confeſſionem pellectus eſt, cùm inibi non deforent antea, qui ludibrijs & irriſionibus religioſiores à frequentandis Sacramentis non raro deterrerent. Venerandæ Synaxi in templo noſtro aſſeruandæ tabernaculum donatum, ducentorum coronatorum æſtimatione. Ad tabulam ſummi altaris inaurandam floreni quadringenti ex ærario publico dati ſunt.

XXIII. IVVENTVS Atrebatenſis, quæ à Noſtris litteras & virtutes diſcit, ſolito facta eſt auctior. Duo adoleſcentes Caluini hæreſeos imbibitum virus hîc expuerunt: erectúmq; Noſtrorum rogatu in captiuorum ſolatium ſacellum in ipſo carcere; in quo P. Rector præſentibus tum Arteſię Præſide, tum claris ac nobilibus viris alijs primum fecit, captiuóſque omnes cęleſti epulo refecit. Ex eo tempore piorum hominum induſtriâ, & ſubſidio ſacrum ibidem ſemper factum, Catecheſes & exhortationes frequenter habitæ: nec raro pecuniariam opem hac occaſione acceperunt miſeri. Sed & in pagos aliquæ

Atre-

Atrebato deriuatæ ſuppetiæ. Alicubi enim effectum, vt quæ antea ſquallebant altaria, meliùs in poſterum atque decentiùs haberentur: tum etiam, vt Sanctorum frequentior vſus, doctrinæ Chriſtianæ maior cura eſſet.

XXIV. ANIMADVERSVM eſt in Bruxellenſi Collegio pueroſq; adoleſcentes, non niſi magna vitæ innocẽtia, & integritate inſtructos ad Academias dimitti. Fuêre ex ijs, qui cùm de Sanctorum aſpera vita, aut de pœnis purgantiũ ignium audiuiſſent, in ſiluam non lõgè ab vrbe ſe abderent, atq; in terga ſua compoſito ex funibus flagello deſæuirent. Certè vnius mors plus mihi commodi attuliſſe videtur, quàm fortaſſe multorum vita. Nam pietatem in Sodalitio Virginis ſibi comparatam tanta vi verborum, tam accommodatis ad rem monitis, nunc in parentes, nunc in fratres & ſorores breui moriturus deriuabat, vt tota adſtantium multitudo profuſo gemitu, ac prope vlulatu collachrimaretur. Identidem gratias dicebat Beatiſſimæ Virgini, quòd aliquando in gremium, hoc eſt, Sodalitium eius fuiſſet acceptus, quòd à parentibus in diſciplinam Societatis IESV traditus. Porrò quemadmodum Sodalium feruor progreſſum cum tempore facit, ita tum concionum, tum catecheſeon frequentia annos ſuperiores facilè ſuperauit; vt quatuor antiquis quinta doctrinæ Chriſtianæ lectio fuerit addenda. Hinc iſta emerſêre: peccatorum de tota vita frequens enarratio; ſacra conſilia multis opportunè ſuggeſta, non paucis accepta.

Digitized by Google

Erant adolescenti nobili iam paratæ nuptiæ, & ad summos honores via plana, cùm è Nostrorũ colloquijs ita humanarum rerum miseram conditionem apprehendit, vt se extemplo violenter subtraxerit; ac generali factâ Exomologesi, & ad modum B. IGNATII nostri exercitatus ad D. Francisci Religionem confugerit. Fuit cum parentibus ac viris nobilibus haud parua difficultas: præcipuus verò triumphus de ipsa virgine, & tantùm non sponsa fuit: nam reiectis munusculorum blandis incitamentis, additáque insuper graui oratione, & subministrato P. Hieronymi Plati volumine fecit, vt meliore igne succensa cœlestis sponsi vestigijs insisteret. Christi sponsam Ecclesiam Romanam Nostrorum ductu secuti sunt ex Hæreticis decem. A meretricio quæstu auersæ sex: quinq; ab infami supplicio liberati: Duo, qui animas Dæmoni deuouerant, eas emancipare, Deóq; reddere persuasi sunt.

XXV. SERENISSIMVS Archidux Austriæ Leopold. cũ nuper Iuliaco ab hostib⁹ obsesso Bruxellas propemodũ ignotus aduenisset, primis diebus votiuã instituit ad DEIPARÆ Halensis peregrinationem: vbi P. Rectore à confessionibus vsus, sacra se Synaxi refecit: quod idem paucis pòst diebus in templo nostro repetiuit: ac deinde in cœnaculo inter nos communi mensæ accũbere dignatus, pijssimis de B. Virgine sermonibus, cum P. Francisco Costero maximè, vltro citróque habitis, se & nos exhilarauit. Exceptus item frugali ac religioso conuiuio est Archiepiscopus Mechlinienſis mense Octobri, cùm Domestici

mestici Sacelli, quod nuper ædificatũ est, solemnis inauguratio esset, ipso Præsule sacris operãte.

XXVI. EX HOLLANDIA vnæ tantum litteræ, siue vnius duntaxat Patris labores & fructus ad nos peruenerũt, iiqi in hoc fasciculo & totidem verbis. *Baptismo Sacramento initiati quinquaginta vnus; qui nunquam aliàs confessi fuerant, expiati sexaginta nouem. Matrimonij legibus Catholico ritu copulata paria quindecim. Pane Angelorum refecti mille quadringenti. Habita ad eos de rebus diuinis verba plus centies quinquagies. Qui toto hoc rerum perturbatarum statu absque vllo religionis exercitio ætatem pexdiderant, recollegêre viginti vnus. Qui hæresim vel à parentibus hauserant, vel aliunde multis annis imbiberant, respuêre complures. Tractabatur Euangelium, vbi Adolescẽti defuncto in Naim dictum est à Christo: Adolescens tibi dico surge. Et duo adolescentes, quorum alter consulis erat filius, de puluere hæreticæ vanitatis exsurrexerunt, atque ad lumen Catholicæ veritatis sese transtulerunt. Dedit eodem die alterius adolescentis soror, sanctio ibidem timore confixa, filiolum suum aquis salutaribus expiandum. Quidam ædilis et chori Calviniſtici cantor, partim lectione nostrorum librorum, partim vitæ ac morum Hæreticorum respectu repudiatis erroribus certæ se Fidei concredidit. Iurisperitum quẽdam sine vlla religionis norma viginti annos eoque amplius liberum & effrenem agritudo primum, deinde conscientia DEO constrinxerunt: ista terruit, hæc Catholicum fecit. Nobilis vnius egregiam filiam, vt se clam parentibus & amicis offerret sacris nostris, impulit nihil magis, quàm ista permouit, atque etiam in vberes lachrimas deduxit consideratio;*

Digitized by Google

Nongentis annis, quibus Fides Catholica in his oris viguit, omnes retro maiores nostri in caligine, in errore, in idololatriâ vixissent, miserè perijssent: noua hæc & sera doctrina veritatem nunc primùm adferret, & salutem? Deniq; alij plurimi his atque aliis permoti argumentis sese Ecclesiæ adiunxêre. Reperta anus centenaria, cui Patris nostri aduentus saluti fuit. Duarum monialium, quibus sua voluntariæ paupertatis conditio videbatur durior, nonnihil cursui diuinorum Mysteriorum obstitit impatientia: ipsæ enim Sacerdotes cupiditati suæ aduersantes sese prodituras interminatæ, cœtum Catholicum à sacris aliquamdiu prohibuerunt: sed victæ tandem melioribus consilijs eam culpam insigni dolore ac pœnitentia eluerunt. Similis quædam & alia offensio, sed meliori etiam atque lætiori exitu terminata. Furebat pater licet Catholicus atque exitium Sacerdotibus intentabat, quòd filiam nobilem à vitæ religiosæ proposito non quiret reuocare: audiuit mater in monialium monasterio Patrem nostrum Paupertatis Cœnobiticæ laudes perorantem, & primæ filiam vltro obtulit. Ita pater vxoris voluntate, filiæ constantiâ, Patris nostri cohortatione permotus, adeò assensit, adeóque Societatem cordi habuit, vt nihil iam nostrorum Patrum ad ædes eius aduentu posßit accidere gratius.

†*†

VICE-

Digitized by Google

VICEPROVINCIA BELGIVM.

Recenſuit Socios quinque & quadraginta ſupra centum. Quatuor morte amiſit.

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
Colleg. Leodienſe.	XXXIX.	XXI.	V.		XIII.
Traiectenſe	XXI.	VIII.	VI.		VII.
Luxemburgenſe	XXIII.	X.	V.		VIII.
Syluæducenſe	XVII.	VIII.	IV.		V.
Dionantenſe	XVI.	IX.	II.	I.	IV.

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores*
Namurcenſe	XIII.	V.	IV.		IV.
Reſid. Ruræmontana	XIII.	VI.		III.	IV.

Depravatæ religionis error ereptus triginta quatuor.
Caſtitas defenſa decies quater.
A deſperatione ſeruati quinque.

Digitized by Google

COLLEGIVM LEODIENSE. &c.

I.

MILLE ducentis Scholasticis, quos, vt superiore anno indicauimus, Leodij in litteraria palæstra Nostri exercent, triginta eóque ampliùs in varia Cœnobiorum claustra se abdiderunt: is spiritus in Sodalitijs Parthenijs præcipuè hausti: fueréque ingeniosi non in litteris modò, sed & in virtutibus quoque suis ad aliorũ exemplum ostentandis. Nam eloquentiæ studiosi exeunte anno in alias atq; alias Academias dispergendi, Eucharisticum de sanctissima TRINITATE sacrum sibi cantari voluerunt, & in eo cœlesti pane omnes refici. A meridie ad rem appositò dramate DEO primùm, deinde Rectori, Præfecto, Professoribúsque grates habuerunt, sibíq; vale mutuò dixerunt. Exemplum ad posteros valiturum speratur, contra prauam eam noxiámque adolescentium consuetudinem, qua se Rhetoricis studijs immaturè subducere solebant.

II. VI-

Digitized by Google

II. VIRORVM Sodalitas numero ita excreuit, vt in quinq; tandē salubri consilio fuerit distribuēda. Primam constituunt viri Ecclesiastici: alteram litterati matrimonio iuncti: tertiam non cōiuncti: in quarta censentur mercatores, & opifices cōiugati: in quinta non cōiugati. Diem Patronæ suæ in cœlū Assumptę hoc anno primùm solemniore cultu Sodales celebrare cœperūt, & indulgentias sibi concessas cum vniuersa ciuitate cōmunicare: quæ adeò gratæ acciderunt, vt eo die cœlesti sint epulo excepti ter mille quingēti. Et ipsa virgo clientū industriam non obscuro miraculo videtur approbāsse. Pannos lineos quatuor conopeo è Sacelli fornice suspendendo Sodalis cuiusdam vxor commodārat. Interim maritus natus annos octoginta duos in mo[illegible]m lapsus lecto affigitur: & iam tres ipsos dies decubuerat, cùm dissuto conopeo panni referuntur. Vxor lauandos seponit. Postero die cùm nihilo melius haberet æger, recordatur illa pannorum in honorem DEIPARÆ suspensorum, speique plena aliquid per eos clementissimam Matrem efficere posse, vnum igni applicatum calefacit, calefactum mariti dorso admouit. Mirum dictu: vix admouerat, & is omnem dolorem quasi abstergi in contacta corporis parte sensit. Dein alterum etiam calore imbutum pectori apponit, & simul in ea corporis parte doloris omnis sensus discedit: rogat maritus sopito dolore quid sibi factum sit: intellecto quod erat, surgit, & valetudinis firmatæ beneficium illi acceptum fert, cui debuit.

III. PER

Digitized by Google

III. PER HYEMEM in parœcijs omnino decem, iuuentuti doctrinâ Christianâ imbuendæ laboratum: adita & tria sacella, in quibus virgines, puellas non minores annis duodecim, legere & characteres efformare docent, dum è Nostris vnus aduenit, qui sacra eas lectione informet. Hæc diebus Dominicis: festis verò tria item sacella toto anno adeuntur, & in duobus nouo exemplo pauperibus egestatis leuamen eleemosynæ, & in præmium diligentiæ, thoraces, feminalia, calcei collata stipe, distribuuntur. Nobilis erat annorum prope septendecim adolescentula, vtrique parenti superstes, & amplissimarum facultatum hæres, ad coniugium à multis & paribus & superioribus sollicitata. Hæc tam charum castitatis florem habuit, vt vix aspectu, ne dum colloquio dignaretur iuuenes: quin etiam vrgentibus amicis assensum, viriliter respondit: morituram se antè, quàm virum vel Principem aliquando passuram. Placuisse DEO voluntatem hanc viraginis, vaticinij euentus docuit: nam breui pòst in morbum incidit, quo sequenti die è viuis sublata nobile castitatis defensę trophæum statuit. Defuncta D. Anna Briet Collegij huius rationem habuit, eique assem integrum testamento reliquit: cui, si quod alia quædam adiecit, annumeres, sex aureorum millia conficient: mille templo accesserunt.

IV. TRAIECTI P. Ioannes Rex duodeseptuaginta annorum senex, quatuor votorũ, quæ professus erat, præmium, vt speratur, accepit: à tribus

bus præcipuè virtutibus cõmendandus: modestia siue animi demissione, comitate omnibus accepta, & indefesso in Confessionibus excipiendis labore, à quo ne affecta quidem valetudine passus est se reuocari. Febris iuxta atque hæreseos labe tabescens decumbebat parens cuiusdam adolescentis Parthenij, qui ideo domum ex scholis nostris auocatus, cùm peccatum animæ charissimæ cerneret, orat obtestatúrque parentem, vt saniori doctrinæ tandem aliquando aures det & fidem: cognitóque eum circa Mysterium, quod Transsubstantiationem appellamus, errore potissimùm laborare. Traiectum redit, à Nostris rationes accipit, quibus patrē erudiat, conuincatque tum reuersus parenti & illud, & alia omnia Catholicorum persuadet, eúmque facta peccatorum Confessione, spe plenum ad Superos dimittit. A Nostris pars laborum militi impensa ad vrbem ab Hollandis præuēto & cæso: pars ijs, qui in arce Iuliacensi arcta obsidione tantum non enecti Traiectum sese receperunt.

V. VICTI sunt à morbis Luxemburgi Nostratium quoque duo: P. Henricus Samerius ætatis suæ septuagesimo, ab inita Societate quinquagesimo vertente. Tria vota professus domi militiæque Nostris præfuit, cùm & subesse optimè nósset. Alter Coadiutor fuit Formatus ad omnia Societatis munia viginti quinq; annis aptissimus, Paschasius, inquam, Vosagus: charitate, modestiáq; tam Nostris, quàm externis gratus: patientiæ specimen cùm aliàs tota vitâ, tum præcipuè

Digitized by Google

cipuè in fine vitæ præclarum dedit. Etenim grauissimis herniæ doloribus diu multúmque exercebatur; donec ramicibus cum peritonæo ruptis, ad extrema venit; quo tempore hæc identidem verba igeminare auditus est: *DEVS meus præter amorem tui nihil amplius flagito.* Ciuium in hac vrbe pietatem renouauit, tum noua inter eos orta Sodalitas, tum altera quoque concio haberi cœpta notabili cum fructu. Ad sacram enim mensam toto anni decursu venerunt vniuersim septendecim millia: in Bacchanalibus mille; magnus numerus in vrbe non magna. Excultum à Sacerdote oppidum Esch quatuor admodum leucis Luxemburgo dissitum: in eo multum cõtra prauos mores valuêre conciones, multùm Sodalitas Christi passi nouis legibus stabilita. Sed nescio, an in alio præclariùs posita sit opera, quàm in eo, quod nunc persequar. In consuetudinem venerat mensibus hybernis constituere ingentem casam è fœno stipuláque, aut aliud aliquod hypocaustum cõducere, prostibulum honestatis, omníque corruptelæ officinam. Huc proterui iuuenes & femellæ consociatum singulis noctibus itabant; hæ vt linum è colo nerent: illi vt communiter se ludo oblectarent: sed pessimum plerumq; ducebatur filum, choreæ commessationésq; in noctem vsque intempestam, cum insigni quiduis patrandi licentia: pudet cõmemorare. Disturbauit flagitiorum hoc diuersorium Noster; indéque effectum, vt alia eiusmodi impudicitiæ latibula, tota passim prouincia sparsa, Prætoris auctoritate aut diuerterentur,

aut emendarentur. Theonisuillam (quæ ciuitas arx prima prouinciæ est) per Quadragesimam adiuuit è Nostris alius; per reliquũ annum octodecim in circum eundis pagis Ecclesiæ additi. Prope eum locum, vbi Noster concionabatur, miles mulierculam, cui antè consueuerat, duxit: hæc in ipsa celebritate nuptiarum pura veste virginẽ professa, & virginali ritu per humeros defluente capillo compta, gestabat in capite coronam: quæ simul ac nuptialis pompa finem habuit, reddita est statuæ DEIPARÆ Virginis, vnde è templo in profanum caput fuerat translata: sed postero manè apparuit fenestræ cuidam imposita. Certior fact° Parochus eam suis ipse manibus simulachro iterũ imponit: sequenti die eodem euẽtu idẽ facit; ac ne qua fraus irreperet, obseratę ædis claues ipse secum domũ suam vesperi deportat, pendens animi expectatione futurç lucis. Quæ vbi ostendit ibidẽ loci diadema reuulsum iacere, in quo antè, haud amplius hæsitãs illud iam à DEIPARA repudiatum cõfregit, quòd intelligeret, nolle castissimam VIRGINEM sub meretricio ornamento statuam suam honorari.

VI. EST SYLVÆDVCIS oppidum Brabantiæ è quatuor principibus vnũ, non minus nobile insigni ciuium in retinenda auita fide constantia, & in eãdem contra Hæreticorum vicinorum insultus, gentilẽmque obsidionem defendenda fortitudine, quàm situ loci Societatis nostræ muneribus accommodatum. Hinc enim adiacet Campinia, Pelandiæ, Moreslandiæ, & vnde scholasticorum plurimus in vrbem cõcursus

inde

Indè verò Batauiam, vicinásque Hæreticorum ciuitates respicit, quibus & fidei lucem, & morum honestatē bona iuuentutis institutione percommodè inferre potfit. Posteaquam ergo sæpius à Reuerendissimo D. Gisberto Masio vrbis huius Antistite Societas nostra expetita fuisset, missi Antuerpiā ineunte Iunio anni CIↃ. IↃC. IX. Sacerdotes tres, Scholastici quatuor, Adiutores duo: qui & ab ipso Antistite humanissimè liberalissiméque habiti, & ab Illustri Domino Barone de Grobendoncque Senatui commendati; & ab Henrico Gesteio vrbis Præside benignissimè susceptι, munia Societatis obire cœperunt. Iam propius nil erat, quàm vt Societatis stabilendæ fundamenta conspirantibus sententijs iacerentur; cùm intestinus derepente ciues inter & præsidiarios milites tumultus exoritur, & Princeps castrum in vrbe extruere molitur. Motui sedando impensæ magnæ, Principis consilio auertēdo maiores factæ; quæ negotio nostro valde obfuerunt. Cùm enim Religiosi è familia D. Augustini de Collegio Societatis tractari intelligerent, cuniculis illud subruere conati sunt, datis ad Senatum huius argumenti litteris. *Cùm nostra Religio laudabiliter in præcipuis Brabantiæ ciuitatibus iuuentutem paucis contenta instituat, non minùs vobis promptè operam suam offert, quàm Societas, quæ haud æquè contenta paucis.* Splendidum sanè telum tot malis exhaustæ ciuitati: sparsère aliqui, nos hìc sedem figere non posse absque suo consensu, quòd penes se Pontificis litteras habere iactitarent, quibus, si vellent, intercedere possent.

Digitized by Google

Alij clançulum dicterijs nos inceſſere, amicorum animos à nobis auertere, omnem deniq; lapidem mouere, ne in vrbe ſtabiles eſſemus. Bataui autem quid non moliti ſunt? Qui cùm intellexiſſent, Societati à Principe aſſignatam in agro Syluæducenſi ſummam decem millium aureorum, vt eam auerterent, vehementer vrgere cœperunt ſolutionem ducentorum milliũ, quos ſibi Syluæducenſes debere aiebant, ex eo quod ager belli tempore tribuere ſolebat. His iactati procellis, emerſimus tandem & domum commodam media vrbe ſitam, loçóque ſalubri accepimus, qua Societatẽ virgo quædam Mendis Hauens donauit, in qua ſub medium Nouẽbrem anni ſuperioris reſideri cœptum: donatæ domui Senatus tres alias magno ære adiunxit, quarum vna quinque millibus aureorum ſtetit. Addidit & alios ſumptus in ſupellectilem & veſtes: ac demum mille ducentos florenos annuos Collegio ſuſtentando. Itaque doceri cœptum IV. nonas Octobres huius anni in diuerſis cubiculis, dum Scholæ adaptarentur. Primo die diſcipuli numerati centum triginta, ſecundo additi quinque & viginti, tertio totidem, quarto ducenti duodecim, ac tandem VI. Idus Nouembris quadringenti: quo die in nouas ſcholas ab Antiſtite ſolemni ritu inauguratas inducti poſt decãtatum ab eodem in templo noſtro ſacrum, cui Senatus cum ciuitatis flore interfuit, vt & orationi, quam Studiorum Præfectus declamauit. Hanc excepêre varia carminum euchariſticorũ genera præcipuis Societatis mœcenatibus & patronis

tronis recitata, & cum emblematis oblata; tum domi nostræ prandium ijsdem Senatûs impensâ paratum. Hæc Syluæducensis Collegij incunabula.

VII. TEMPLVM verò, in quo Nostri quotidie faciunt, ab ipsis principijs frequentari certatim à populo cœptũ: Calendæ præsertim Ianuariæ, Bacchanalia, B. P. Nostri ferlæ, insolito ciuitatis feruore sunt transactæ. At vbi Noster Dominicis & festis diebus è suggestu ad populum dicit, non tantùm Catholici, sed & Hæretici audiunt, vt vel ex Præconibus vno Assumptæ in cœlum Virginis sacro die, septem in auditorium sese ingesserunt. Quidam ex istorum schola audito Nostro, ita animo immutatus erat, vt dimissa cõcione gemens, & in terram pronus in templo perstiterit, pectúsq; cum lachrimis diuerberans, has sæpius voces ingeminaret; *Heu errores meos, heu densas tenebras!* idque tam diu, dum ædis custos illum ad Sacerdotem ablegauit. Ab eâdem concione regressa mulier Hollanda, eâdem secũ naui vectos Hæreticos de Religione altercantes offendit: quæ cùm omnia pro ingeniolo argumenta fidei defendendæ prompsisset, subiunxit: *Vos equidem sentite, quod lubet, de fidei summa: ego illam amplector, quam à Patre Societatis è suggestu firmissimis rationum momentis stabiliri audiui, & quamuis domum meam, bona, atq; omnibus bonis chariorem vitam eriperetis, nunquam me à consilio hoc abduci sinerem.* Interfuerat lectioni Catechisticæ (quæ in quinque vrbis locis habetur) Batauus, eáque mirificè delectatus ac motus, Catechistæ digredi-

Digitized by Google

enti accidit ad genua, obtestatur orantibus etiam lachrimis, *vt ipse secum in Hollandiam plebi eâdem doctrinâ informandæ traijciat: frugem vberem, immò messem copiosissimam collecturum.* Femina haud absimilis pietatis, cùm alacritatem puerorum, & studia industriæ iuuentutis cerneret, nummum aureum in sinum Catechistæ inijcit, vt ne sua præmia aut stipendia deessent victoribus.

VIII. QVEMADMODVM verò Nostri in re Catholica stabiliêda, ita & Hæretici in eadem euertenda nullis laboribus pepercêre. Nam Hollandi induciarum opportunitate vsi, circumiectos vrbi agros, sparsa hæreseos lue vitiare his artibus sunt aggressi. Inuitabant populum ad sua dogmata audienda sex assium proposita mercede in singula auditorum capita: dulce malum, & maior ab auro quàm magnete vis, tenuiorum maximè animis infesta. Indoluit D. Baro de Grobendoncque, in conspectu nimirum vrbis Catholicæ tam sacrilegam mercaturam exerceri. Rogat è Nostris vnum atque impetrat, qui serpens malum contrà suadendo docendóq; opprimat. Lepidum factū. Simul educunt in campum oratores suos Gubernator Huesdensis Hæreticus, & Syluæducensis Catholicus: hic Sacerdotem pauperem; ille nummatum buccinatorē; qui sex cuilibet auditori asses postconcionē annumeraret. Miram veritatis vim. Prędicans vix sex mercede conductos bene numerauit auditores; cùm Noster mille eóq; amplius inèptis verbis doceret. Tulit vterq; dignum opera sua præmium: Noster plausum, alter risum. Veneratia vrbem

Digitized by Google

vrbem ab extrema vsq; Hollandia vir grandi natu, qui, vt de eo audiuimꝰ, degebat in pago quodam ab omni Sacerdotū ope, iam inde ab viginti annis destituto, auitę sanè tenax Religionis. Is festis diebus populū cogebat, eíq; lapidem, in quo olim tremēda mysteria peracta fuerant, exosculandū porrigebat: deinde aliquid ex libello pio ceteris audientibus lectitabat. Iste ergo huc cōmeans animæ culturam, cultorémq; exquirens, peropportunè in Nostros incidit, à quibus excultus, & à Rosarijs, cereíq; Agni Cęlestis imaginibus bene instructus ad suos lætus, & ad agenda, quæ agebat, animatior remeauit. Hollādus quidam, qui hic solius Religionis caussâ versatur, altare nobis & Sacerdotē artificiosâ pretiosáque materiâ vestiuit: qui & sacrarium augustissimo Christi corpori asseruando trecentis aureis fieri curauitꝰ: addidêre alij pro Sacerdotibus & altari alia nec pauca, nec parua.

IX. DIONANTVM rupes inter Mosámque situm oppidū, sub Augusti finē anni CIↃ IↃC. VIII. ingressi primùm sunt Nostri quatuor, & sexcentesimo decimo ineunte à tribus Professoribus colligendę iuuentuti scholæ apertæ: ac deinde circa id tempus, quo instaurari solent studiorum exercitationes, addita quarta Classis Poëtica, excreuítq; frequentantiū numerus ad ducentos eóq; plures. Ac diu quidem deliberatū fuit, quo in loco potissimum Collegium esset aliquādo stabiliendum. Ciuis inter præcipuos vnus domum offerebatꝰ, quam ad tempus incoluimus: sed quòd ea vrbis pars turbis esset obnoxia,

Digitized by Google

& ab vrbis meditullio longiùs recederet, visum est Patribus ad hoc ex Prouincia huc missis, eâ relictâ in interiorem ciuitatem emigrandum; ergo amicorum auxilio, ibi ædes Collegio scholisque comparatæ, templo simul contiguæ, quod vsibus nostris eorum consensu, quorum intererat, Societati est in perpetuum donatum cum sacro ornatu sanè visendo. Et quoniam angustius est, quàm vt accedentes admittere omnes possit, de latatione propediem facienda cogitatur. Interea geminus calix sacro instrumento cum hierotheca scitè elaborata accessit. Bibliotheca trecentis florenis aucta.

Porrò præcipuus labor Nostrorum fuit in ægris adeundis iuuandisque, quorum hic annus magnam satis copiam subministrauit. Facessiuêre & Francorum copiæ non leue negotium, quæ in Gallias Iuliaco reuertebantur. Cùm enim hîc ob commeatus inopiam subsisterent, ægritudinem aclutum, qua omnes pœnè contabescebant, passim ciuitatem miserando spectaculo funestârunt. Moribundi à Socijs passim è nauibus exportati, & in littore Mosæ depositi miserè exprabant, vixque super iniecta deinde humo tumulabantur: ijs, quà dabatur, subuentum, hac superstitum acclamatione: *In Patriam reduces Societatis opem et charitatem deprædicabimus.* Ad alteram Indiam, Arduennas, inquam, Siluas, in quibus tantùm non bruteſcunt homines, itum. Ibi pagus fuit, in quo Calendis Nouembribus pœnè trecenti elutis animæ sordibus diuinum conui-

conuiuium celebrârunt, cùm aliàs ne vnus quidem extra Paschatis ferias id factitaret.

X. SVMPSIT hoc quoq; anno principium Collegium Namurcense. Est verò Namurcum ciuitas ad Mosam & Sabim fluuium sita, Episcopi sede & Collegijs duobus Canonicorum nobilis, ampla & frequens, duodecim oppidis quinto nõ amplius milliari per ambitũ coronata, quæ iam inde ab añis quadraginta Societatis Collegio visa est aptissima, sed hoc demum in eam Societas intromissa his auspicijs. Vir nobilis Hercules de Iamblynes, aliàs Doyon, Cathedralis Ecclesiæ Canonicus, moriens ante annos aliquot, Societati isthuc olim venturę domos duas, ruri vnam, Namurci alteram testamento legârat. Eam sacello domestico, rebúsque necessarijs satis instructam, amicorum rogatu (præcipuè D. Ioannis Dauain Diœcesis Namurcẽsis Archidiaconi, qui ducentos aureos censum annuũ sedi inchoandæ obtulit) Aprili exeunte missi Leodio Patres duo cum Goadiutore vno incolere cœperũt. Paulò pòst secuto è Studiosis vno, atq; in scholis quidem reformandis, quæ seu bellorum ac temporum iniuriâ seu incuriâ Rectorum, tantum non collapsæ erant; competitores habuêre Nostri alius Ordinis Religiosos, qui eò iam res suas perduxerant, vt ex septem senatoribus quatuor eis suffragarentur. Re igitur in deliberationem à Reipubl. moderatoribus vocata, cùm Reuerendiss. Antistes, tum Illustriss. Comes Egmundanus patriæ & ciuitatis Namurcensis Guberna-

Digitized by Google

tor adduci nunquam potuerunt, vt de alijs quàm de Societatis Professoribus cogitarent. Horum auctoritatem secuti ciues per capita citati, quod non nisi in summi momẽti rebus fieri solet, vna animi voce Societatem petierunt: quin & ipsi Patres Franciscani ciues quosque precipuos, ipsum Antistitẽ, Iuratos (vt hîc vocant) senatores adierunt, & quanta potuerunt auctoritate (qua hîc plurima pollent) egerunt, vt Societati scholarum negotium committeretur. Hinc effectum, vt oblato ad alendos nos censu annuo octingentorum aureorum & veteris Collegij fundo, qui alijs ducentis æstimatur, Collegium à Prouinciali nostro peteret ciuitas, idque exeunte Iulio impetraret. Apertæ sunt scholæ Octobri proximè sequenti, & quinque classibus Professores assignati, non absque celebritate. Vix Magistri scholas ingressi erant, cùm subitò tantus vndique factus discipulorum confluxus, vt quatuor veteres classes in duas fuerint dilatandæ, & in duobus alijs ædificijs, ruptis cubiculorum discriminibus, tribus reliquis fuerit quærendus locus. DEO bene aspirante, virtute simul crescit & doctrina iuuẽtus. Diebus festis & Dominicis à meridie discipuli omnes in templum vnum bonâ Parochi venia conueniunt, ibiq; salutatis sanctis omnibus, breuiq; symphonia decantata, è suggestu pium aliquod ad mores bene componendos exemplum denarratur. Concio ijsdem diebus ad populũ in templo principe stata interim est: vbi etiam, dum se opportunior offe-

offerat locus, Nostri & confitentibus aures præbent, & Eucharistiam sumentibus ministrant. Tribus in locis rudimenta fidei sunt explicata: auxitq; ab aduentu nostro in vrbem supellex sacra quadringentis aureis, domestica totidem.

XI. RVRÆMVNDANI porro contra hæreseos luem, quæ totam tantùm non infecit Geldriam (siquidem vix quarta pars incolarum duabus & viginti vrbibus contentorum veram Religionem habet) firmius præsidium post Antistitis sui interitum non existimauerunt esse, quàm si Societati domicilium apud se attribuerēt. Dedit ergo vnà cum Magistratibus literas ad huius Prouinciæ Præpositum D. Comes Hermannus Vanden Berghe, totius Geldriæ gubernator, officiosas sanè; quippe qui magni Societatem semper fecit, & aliquando Archiduci Alberto Belgarum Principi ingenuè fassus est. *se Collegium vnum Societatis in Geldria arcibus à milite omnique apparatu bellico instructissimis anteferre.* Non longo post datas interuallo Ruræmundam missi Nostri, fedi & laboribus initium fecerunt. Vtroque in templo (nam plura vrbs non habet) de rebus diuinis ad populum dicunt. Rudimenta Christiana in scholis vrbis quatuor aut quinque diebus Veneris explicant: subuentum infirmis, B. Virgine, DEÓque opem Nostrorum diuiniore ope promouentibus. Iacebat acutissimis colicæ doloribus tentatus satrapa nobilis, adit eum Noster, ad vitæ anteactæ detestationem, melioriq; propositum impellit, admonétque, vt VIRGINIS patrocinium adoptet.

Qui

Digitized by Google

Qui simul paruit, valuit. Cœlestis Agni cerâm in partu auxiliarem sensêrunt matronæ duæ. Foris etiam nonnihil præstitum, & inter præsidiarios milites varijs locis sparsos stipendio digni Nostrorum fuêre labores.

PRO-

Digitized by Google

Numerauit Socios supra sexaginta quadringentos. Quem numerum auxerunt viginti septem in Tirocinium admissi; minuerunt quinque, qui ad meliorem vitam migrârunt.

	Vniuersim.	Sacerdotes.	Precept.	Scholast.	Adiutores.
In Colleg. Viennensi	XLIV.	XX.	V.	VII.	XII.
In Colleg. Græcensi	XCIX.	XXVIII	V.	LII.	XIV.
In Colleg. Pragensi	XLIV.	XXII.	IV.	V.	XIII.
In Colleg. Olomucensi	XXXIX.	XVI.	V.	X.	VIII.
In Colleg. Crumlouiensi	XVI.	VII.	IV.		V.

	Vniuersim.	Sacerdotes.	Præcept.	Scholaſt.	Adiutores.
In Colleg. Commotouiensi	XVII.	IX.	II.		VI.
In Colleg. Nouodomensi	XVII.	VII.	V.		V.
In Colleg. Labacensi	XVII.	VIII.	III.		VI.
In Colleg. Clagenfurtensi.	XVI.	VII.	IV.		V.
In Colleg. Glacensi	XVII.	X.	I.		VI.
In Tirocinio Brunnensi	LXVI.	VIII.	III.		VIII.
In Residentiâ ad S. Bernard.	VI.	IV.			II.
In Resident. Lincensi	VI.	III.	I.		II.
In Resident. Bulgrensi	II.	I.			I.
In Residentiâ Milstadiensi	VI.	IV.			II.

	Vniuerſim.	Sacerdotes.	Præceſt.	Scholaſt.	Adiutores.
In Reſidentiâ Bernardicenſi	III.	II.			I.
In Reſident. Pletriacenſi	IV.	II.			II.
In Reſident. Eberdorfienſi	IV.				
In Reſident. Zagrabienſi	XI.	VI.	II.		III.
In Miſsionib. Hung. infer. & ſup.	XI.	X.			I.
In Miſsionib. Tranſiluaniæ	I.	I.			
In Miſsionib. Paſſauienſi	III.	III.			
In Miſsionib. Tribus alijs	VI.	III.			III.
In Miſsionib. Cremſirienſi	II.	I.			I.
In Miſsionib. Niſſenſi	II.	II.			

Digitized by Google

Ad fidem Orthodoxam reducti triginta octo supra mille ducentos.

Confessiones generales auditæ trecentæ viginti quatuor.

Inimicitiæ disiectæ duæ & viginti.

Ab inhonesta vita reuocati viginti septem.

Parturientes aut morbis detenti à B. IGNATIO adiuti septem.

COL-

Digitized by Google

COLLEGIVM VIENNENSE CVM SEDIBVS S. Bernardi & Lincensi.

I.

PRÆCIPVVM non immerito fructum industriæ suæ cẽsuerunt Viennenses, quòd ampliùs centum nonaginta deuiantes in regiam fidei Catholicæ viam reduxerint. Cuidam, vt Lutherana sacra detestaretur, incitamento fuit, quòd aduerterat analecta suæ profanæ cœnulæ, quam apposuerat Prædicans, per ædituum inter olera & carnes non secus ac alium quẽdam cibarium panem absumi. Alius perspectâ suorum in diuinorum tractatione discrepantiâ, Catholicorum æquabili conspiratione, cœpit meritò suam perfidiam hoc nomine habere suspectâ, & in omnem eò vsq; partem versari, donec certus cõsilij statuit peregrè iter suscipere, vt si eundem perinde alibi consensum deprehenderet, nihil ampliùs dubitaret, quin se Catholicis de-

Digitized by Google

deret. Peragratis itaq; prouincijs, atq; re vt erat, cõperta, nil vltra differẽdum ratus, annuit veritati: neq; in gradu primo constitit, sed habitu S. Benedicti assumpto, ad maiora seſe obligauit. Tertio cùm secundùm quietẽ videre contigisset hominẽ amictu candido, & alium, qui ponè assistebat à Nostro, vt aiebat, non dissimilẽ, per eosdem cõmonitus est, vt aliquem adiret è Societate, animæq; suæ subsidium quæreret. Is quòd vel viso illi fidẽ derogaret, vel arctiùs hæresi obstrictus esset, quàm vt diuelli à somnio posset, imperata facere differt: sed morbo postea correptus, ne illius causſam aliò deriuaret, simili modo per eosdẽ in somno admonitus, & ad fidẽ impulsus est. Ciuis Viennensis annos natus plus quinquaginta ex occasione ægrotantis vxoris, quam Noster inuiserat, de fide sollicitatus erat, nullo quidẽ tum fructu. Verùm cùm mutata sorte hæc cõualuisset, ipséq; ille grauissimè ægrotare cœpisset, clam vxore Prædicantẽ accersiri curauit, sacrilegámq; ab eo cœnam accepit. Nocte verò, quæ deinde secuta, videt adesse sibi virum forma & totius oris & corporis cõpositione, quę B. IGNATIVM nostrũ referret. Hic primò vehementer hominis contumaciam socordiámq; accusare; cõminationes graues ingerere; doctrinæ, quam imbiberat, fallacias ostendere: ad hæc, nisi resipisceret, iam iam mortẽ intẽtare. Quibus ita perculsus ęger est, vt vxore vocata, Patrem illum accersiri quantocyus imperaret. Expiatus indè atq; ex morbo recreatus publicè, non sine Hæreticorum stomacho sacram Synaxin adiuit. Est & in-

Digitized by Google

in eo genere, quod de illustri femina cõmemoretur. Hæc dum pedibus curandis domi in Vngaria detinetur, tẽporis fallendi gratiâ lectitare fortè cœpit libros Orthodoxorũ: cum his adhibuit Hęreticorũ quoq; volumina, & velut ex vicino vtroſq; cõferens hinc mendaciũ, illinc veritatem pugnare diſpexit. Neq; tñ ſubitò manus dedit. Nam eadẽ alijs in libris Viennâ miſſis examinare voluit, donec illi tandẽ crepuſculum indiẽ vertit: iamq; tota in eo erat, vt animũ Sacerdoti Catholico aperiret: quia verò id loci difficile foret reperire, cui conſcientiã tutò crederet, ad Parochum quendam in viciniam Miſſæ & Concionis audiẽdę ergo curru aduehitur. Is dies Dominicus erat. Cũmq; iam propè à templo eſſet, audit de via decantari cantilenã Lutheranorum, qua Pontifici malè precari ſolent. Illa huiuſmodi ſacra iam deteſtata, aditu templi abſtinet: & vinitori obuia percontatur, cuius eſſet fidei Curio? *Cuius nos eſſe volumus* reſpondet vinitor, *eóque nomine nobis*, inquit, *acceptus eſt, quando ad arbitrium noſtrum ſacra adminiſtrat.* Virgo nobilis tacitè progreſſa, Parocho in alterum diem prandiũ indicit, quod ille negligendum minimè cenſuit. Inter prandendum hominem interpellat, ecquam fidem profiteatur? ille ratus Virginem hæreticæ adhuc factionis eſſe, vtramq; ſe fidem tenere reſpondet. Quî hoc, inquit illa, fieri poteſt? cùm Catholicorũ dominio obnoxius ſis. At verò, ait Parochus, conſilijs Poſſonienſibus libertas facta, quod quiſque velit, credendi: & ſi qñ ad me Canonici ventitant, illis vidẽtibus ritu

Digitized by Google

Catholico sacra facio: in reliquum voluntati colonorum obsecundo. His strophis impijssimi hominis confessione cognitis, irritata Virgo impostorem increpitum dimisit, & Nostros deinde Possonij in Comitijs conspicata, cum ijsdem de animæ suæ salute transegit. Ita de hæresi triumphatum: de Diabolo non minùs.

II. SEXAGENARIÆ cuidam sæpe ille aliâ atque aliâ formâ sese obiecerat; cùm nonnunquam venatorem, aliàs aulicum mentiretur; & si chirographum proprio sanguine exaratum traderet, pollicebatur ei præstiturum, quicquid in amoribus esset. Increpabat etiam subinde eandem, quòd in ijs sordibus & pedore obsoleſceret, cùm inde, si vellet ipsi obsequi, nullo negotio extrahi posset. Illa tertiò suburbanum declamatorem hæreticum adijt, qui feminæ paulò minùs quàm Diabolus adpromisit, si fidem Catholicam abijceret, effecturum se videlicet, vt inopiæ subleuandæ duos aureos in hebdomadem acciperet. Dum sic in ancipiti versatur mulier, fratrem suũ iam olim in religioso cœtu defunctũ secundùm quietem videt auditque monentem, vt Catholicè inueteratas animi sordes eluat: cuius ipsa consilijs obsecuta, animi tranquillitatem recepit. Eleemosynæ hoc anno in hoc Collegium collatæ excedunt centum quinquaginta aureos: in fabricam impensi bis mille ducenti: pro bonis in Maur & Speising augendis ter mille: pro templo trecenti admodum.

III. IN S. BERNARDI sede ab hæresi absoluti tres: Lincij vndeuiginti; vbi Iudæus quidam in furto

Digitized by Google

furto deprehensus, carcereque mancipatus, supplicium capitis expectabat. Cùm itaque ostenderet, paratũ se esse perfidiâ relictâ Christo nomen dare, consilio iudicis consuluisque Acatholici Prædicãtes primùm ad ipsum intromissi sunt. Cùm verò his auditis Catholicos quoque audire Sacerdotes percuperet, vocati sumus & nos, ignari Ministros priores adfuisse: quando solos Catholicos cum reo egisse nobis narrabatur. Visus est homo omnibus Nostrorũ rationibus assentiri: ita relictum die crastina rursus adeunt, baptismum proponunt: tum ille à quibus baptizari vellet nondum sibi liquere: illos se expectare, à quibus pridie conuentus esset. Nostri tum vt miserum iuuarent, tum ne Prædicantium cõgressum fugere viderentur, eos præstolati sunt. Duo venêre, cum quibus coram reo disceptârũt. Quia tamen Iudæus timebat, ne à pedibus, vt Iudæi solent, inter duos canes suspenderetur (nam id futurum, si à Catholicis baptizaretur, ferebatur: contrà si Hæreticorum partibus adiungeretur, mitiori supplicio moriturùm) anceps hæsit, donec cõsul surgens (nam & ipse aderat cum toto fermè senatu hæretico) ad ipsum accessit, eique in aurem satis diu insusurrauit: tum miser à Prædicantibus fonte tingi postulauit, indéque mox abductus est, nec Nostris ampliùs illum vel videndi vel alloquendi facta potestas. Rem hanc, vt gesta est, commemorare voluimus, quòd homines nauci spargere ausi sint, victos atq; conuictos Nostros à Prædicantibus fuisse: adeò vt publicè à nobis vanitas hæc pro concione fuerit di-

Digitized by Google

luenda. Venerunt quidem ad concionẽs illas magnâ frequentiâ Hæretici, & nonnulli eorum casamo etiam exceperunt, quæ dicebantur (referebat autem Concionator noster argumẽta tum nostra, tum Prædicantium, & responsa partis vtriusq; addebat) sed nullus eorum neq; nos redarguere, neq; concionibus respõdere est ausus: ex quo factum, vt triumphus ille Hæreticorum de victis Iesuitis fabulæ finem acceperit.

COLLEGIVM GRÆCENSE.

IVS Scotvs natione, P. Guilielmus Ionstonus huic Collegio funus fuit. Quatuor vota professus; Theologiam docuerat, eruditione & virtute pari. Tanto in litteras studio ferebatur, vt in longissimis etiam, quæ cum Archiducibus emetiebatur itineribus, ab earum vsu sibi non tẽperaret, sed cùm primum hospitium subisset, semotus à turbis librum aliquem lectitaret. Etsi verò eum tum eruditio, qua pollebat, tum ingenij ac naturæ præstantia validissimè ad studia traheret, superabat tamen animarum cura, adeò vt in Scotos mitti salutis eorum procurãdæ gratiâ à Societatis nostræ Præposito postularet. Prævenit DEVS optimam hanc viri voluntatem, & tympanitide, atrophiáque ex hac vita sublatum cœlesti gloria cumulauit. Quam vt pari olim labore etiam assequerẽtur, magna fuit reliquorũ contentio: in colendis præcipuè Beatis nostris Aloysio & Stanislao, quibus, vespertinæ preces symphoniacè solemnitérq; in domestico sacello

Digitized by Google

ſacello noſtro hoc primùm anno vnà cũ Sacrificio de SS. TRINITATE cantari cœptæ. Ad ſtatas ſuperiorum temporum conciones addita noua, petẽtibus Sanctimonialibus Ordinis Prædicatorum in æde D. Virginis. Multi ab hæreſi, multi à ſui necandi propoſito deiecti. Virum graui inopia preſſum in eam iam mentẽ adduxerat Cacodæmon, vt certò apud ſe ſtatueret, in profluentẽ ſe demergere: eà gratiâ domo egreſſus, modicam in itinere pecuniolam inuenit, & à cœpto deſiſtens regreditur, vbi ſe illi Dæmon ſpectabili formâ oſtendit, & marſupium ære factum exhibens: *Næ tu*, inquit, *homo es imprudens, qui in tanta poſitus egeſtate, dies effici non vis, cùm poſſis. Quin meus es, et pecuniã hanc accipis.* Multa in hanc ſentẽtiam dixerat, vt inclinato ad facinus animo manũ ad capeſſendam pecuniã extenderet: quoniã verò obriguiſſe ſibi brachiũ cetera ſanũ miſer ſentiebat, denuò reſilit, & veteratorẽ ab ſe dimittit. Redire tamen ille iterum ac tertiò, obtrudere pecunias, vnum aliquem è liberis poſtulare: qui vbi negabatur, naſciturum infantem emere velle. Fruſtra tentauit omnia: homo ſiquidem importunitatis impatiens, Noſtrũ conſilij & Cõfeſſionis cauſsâ acceſſit, & à moleſto illo licitatore liberatus eſt. Cereus DEI Agnus ſæpius aduerſus eiuſdem hoſtis inſidias valuit. In ſcholis pietas cũ Muſis regnat. Patronos ex Diuorũ numero lectos claſſibus præficiũt diſcipuli, quos ſingulari modo deueneratur. Fuit vnius illorũ non ſine ſale & momẽto reſponsũ. A Cœnobita enim velut iocabũdo cõpellatus, *ecquid tandẽ*

Digitized by Google

illa in Ignatium Loiolam religio præcox sibi vellet, quem ne Beatum quidem constaret; respondit modestè & absque stomacho: *Beatus sit IGNATIVS nec ne, non equidem ego disputem, quando nec mei officij id esse duco: mirum tamen me habet, si tam insigne beneficium sanitatis Dominicano illi* (P. Bartholomæum Medinam innuebat), rem isthic notissimam & vtraq; linguâ typis vulgatam) *à DEO ad IGNATII necdum, vt ais, inter Beatos relati inuocationem præstitum fuit.* Similia ab alijs verborum iacula partim constanter excepta, partim ingeniosè retorta. E Sodalibus erat, qui constanti reprehensione minisque diuinæ vindictæ hæreticum hominem vetitis diebus carnes vorantem, cõuicia in DEIPARAM & blasphemias euomentem, eò tandem compulit, Nostros vt adiret, scelera panderet, Catholicus fieret, minimè erubescens vir nobilis manúque promptus, puero se ad fidem mutandam vsum esse auctore & magistro.

V. ADOLESCENS secundum in philosophiæ studijs annum agens ætatem penè totam ardentibus febribus, nec spe medica nec ope leuandis, vrebatur: & quoniam vnicum è cœlo subsidium sperabat, compluribus sese Diuis per ea tempora, votis etiam interpositis, commendauit, noluitque extremum Iulij diem, qui B. IGNATIO nostro festus est, præterire. Votum ergo nuncupat, si inter octo eos dies sanitati redderetur, persoluendum. Abierant iam septem, nec redierat valetudo, cùm ea, quæ à festa lux octaua erat, tam plenam adolescenti sanitatem attulit, vt ipso eo die Collegium adiret, Nostrisque gratula-

Digitized by Google

tulabundus morbi sui medicum B. IGNATIVM deprædicaret. Aliud, quod ab eodem Beato profectum est beneficium, tanto hoc videtur illustrius, quanto illustriori sanguini fuit præstitum. Vir magnis natalibus & rarâ in tãto genere eruditione, prouinciæ huic Præfectus magnus B. Patris, atq; adeò toti Societatis amator, tam exactè vitam Beati totam memoriâ est complexus, vt quamcumq; velis narrationis eius partem accuratè reddere possit. Hic cùm filium, qui & fuerat primò genitus, ex IGNATII nomine (quod inauditum adhuc in his partibus) necquicquam obnitentibus alijs cõpellaret, mortuo pòst paulò infante (licet multi iocóne, an alia ex caussa? ob inusitatum nomen, necem infanti acceleratam asseuerarent) palàm professus est, non alio nomine, qui ei proximus nasceretur, insigniendum. Et feciſſet, nisi absente illo longiùs, vxor amicorum deuicta sermonibus & somnijs, aliud infanti nomen imposuisset, qui tamen & ipse (ne credo à maleuolis iniuria B. IGNATIO fieret) breui est extinctus. Natus deinde tertius: cui quòd ipso D. Francisci die venisset in lucem, datum Francisco nomen: nouo tamen euentu factum, vt IGNATIO nihilominus vita eius palàm adscriberetur. Annum quippe vix dimidium exegerat cùm momento in grauissimum desperatissimúmque morbum incidit. Pater fallentibus humanis præsidia diuina tentat, adeóq; opportunè in mentem ei venit, quod se in Societatis nostræ Annuis iam olim legisse meminerat, simili malo, voto B. Parenti facto, obuiam itum: censuit

censuit ergo pati morbo parem adhibere medelam: eâ causâ secedit in conclaue remotius, & prouolutus in genua votum B. IGNATIO trium sacrificiorum & imaginis eiusdem argento fusæ nũcupat: móxq; inde regressus infantem sanum atq; incolumem intuetur. Ceterum vt illustrius redderetur beneficium, non ita multò pòst in eundem morbũ infans relabitur. Hic mater, etsi à medicis spes esset nulla, ne nihil agere videretur, pharmacum nescio quod infanti parat: abnuit pater, seruatam à Beato vitam humanis remedijs non prorogandam esse affirmans: simúlque puluisculos quosdam è B. Nostro Stanislao proferens, hoc, inquit, B. IGNATII filio pharmacum propina Francisco: & penetrale vti priùs ingressus, Beato naturi commendat, redditámque iteratò sanitatẽ deprehendit egressus. Dum hæc à Beatis Nostris auxilia accipiunt boni, non desunt, qui maledicendo Nostrorum virtutem exerceant: inter quos Religiosus quidam, nescio qua in Ordinem nostrum ductus amaritudine animi, certos Societatis homines inter epulas coram frequenti conuiua prosciderat. Re comperta nil potiùs Societati fuit, quàm vt hominẽ solita charitate & mansuetudine erroris admoneret, & ad placidam atq; amicam rei totius cõpositionem hortaretur. Verùm illo sana consilia aspernante, res tandem ad Illustrissimum Nuncium delata & examinata est, qui eum ad cantandam palinodiam, & syngraphan mendaciter à se sparsæ calumniæ testem tradendam coëgit.

EXPE-

Digitized by Google

EXPEDITIO ALSO-LYNDVANA.

VI. AB LVTHERI & Caluini sectis ad antiquam fidem in hac expeditione vocati hoc anno sunt quatuordecim supra sexcentos, quorum non paucos in eam viam pertraxit sacrorum exorcismorum & lustralis aquæ virtus admiranda, quâ in his partibus diuina bonitas luculentis dignatur argumẽtis ostendere: quo fit, vt eiusce amuleti gratiâ numerosa quotidie turba ad Sacerdotem nostrum confluat. Energumeni quatuor ab inhabitante Dæmone sunt expediti. Ludimagistrum hæreticum vsq; adeò Tartarea hæc tyrannis agitabat, vt copiosum ex oculis, naribus, ore, atq; auribus sanguinem profunderet. Mutum ceterà Dæmonium erat; vnum illud aliquando, nec repetitum verbũ dedit, quo, quam à Sacerdote nostro malè sibi metueret, significauit. *Ne me*, inquit, *Lynduam ducatis, væ mihi:* sed posthabitis precibus ducitur nihilominus ad Nostrum, applicatur inter reliquas Diuorum reliquias B. IGNATII imago; cuius attactu mirum quantum excruciatus infernus hostis, ita stridere dẽtibus, oculos immaniter diducere, rotare miseri hominis corpus, & humo leuatum excruciare. Tandem excedere coactus hominem deseruit, qui ad Catholicos illico transiuit. Simili malo liberata vidua. Hæc ipso Diuorum Ioannis & Pauli Martyrũ peruigilio, terrore grauissimæ tempestatis, noctẽ ad candelæ lumen peruigil agitabat: cùm repentè viri duo, forma, vultúque truci ingrediuntur;

Digitized by Google

untur; vbi ætate, vt videbatur, grandior eam cõpellans; vtrinam nubere velit, rogat; mihíne, inquit, an huic (socium ostendebat) filio meo: nec tibi, respondet illa, nec filio tuo. Ad quam vocem raptam violenter ex ædibus feminam in aëra sublimem eleuant, & paulò pòst depositam, eadem nuptiarum petitione iterato sollicitant. Vbi illa constanter eadem respondisset, tum verò crudeliori furore exæstuantes ad supremum domûs fastigium elatam grauibus verberum ac præcipitij minis adoriuntur. Adfuit inter hæc miseræ è cœlo subsidiũ, siquidem Angelus (quod ex vultu placido, candidóque amiculo colligebat) minacibus verbis ex DEI nomine seuerè Dæmonibus imperat, ne quid grauius mulieri inferre ausint, sed illæsam quamprimùm suum in locum reponant. Parent illi non diu. Vix enim matrona tanto defuncta periculo respirârat, cùm eam vehemens quædam & ardentissima sitis inuadit: itaque aquam fortuito oblatam auidè & iucundè haurit; ignorans misera, quanta sub hoc melle amaritudo conderetur: siquidẽ duo illi molestissimi proci simul cum potu in corpus ingressi, extremis cruciatibus sæuiêre.

Pectus tumore incredibili ad vlnæ vnius altitudinem erigebat: edebantur horrendæ voces, & rugitus immanis, vt leonum innumera multitudo crederetur. Concurrunt ad hos clamores attoniti vicini & familiares. Vt primùm illuxit, nunciatur Patri vicinam quandam morbo caduco grauissimè exagitari, auxilium petitur. Respõdet Pater, se verò, si quid ægritudinis animum

Digitized by Google

mum haberet, libenter pro officij ratione adfuturum: ceterum quòd is, quem narrarent, morbus corporis foret, suadere se, Physicũ super eo consulant. Vrgent illi nihilominus, & importunitate victum Patrem secum abducunt. Vix in atrio pedem posuerat, cùm mugitus edere terrificos Cacodæmon, & obsessæ faciem in carbonis nigrorem vertere: signo tamen Crucis à Nostro fronti mulieris impresso natiuus illico color redditus ori. Postquam verò lustralis etiam aqua in os frustra obnitentis infusa non obscuris indicijs præsentes Dæmones esse significarat, iussit Pater concione & officio diuino peractis in templum possessam induci: quod dum fit, tam immanes in via vlulatus edidit ac clamores, vt hominum immensam multitudinem excitam ad spectaculum conuocaret. Erat pars magna eorum, qui Caluini dogma professi, nunquam antehac in animum inducere poterant, vel esse Dæmones, vel si essent, aut intelligere sermonem latinum, aut corpora obsidere posse: sed commenta hæc & Papistarum fabulas iudicabant. Tria maximè in sacris hisce oppugnationibus Dæmones (quorum vni MAMMON, alteri Behemoth nomen) molesta sibi immani rugitu significarunt; aquam piacularem, signum Crucis, & Catholicum S. Athanasij Symbolũ; quod cùm ad auitæ fidei confirmationem legeretur, non expectato fine mulierem reliquêre. Quæ vbi ad se redijt, posita hæresi Catholicam professa est, simúlque relicto veteri hero in oppidum vicinum (Legrad ei nomen) inter amicos victu-

Digitized by Google

victura contendit. Ibi cùm res vt à nobis gesta erat, innotuisset, eiúsque ad Catholicam fidem transitus obscurus esse non posset, frendēs, indignatione Prædicans, & deriuatis ab illo furijs loci Præfectus verbera, carcerem, & infamem denique eiectionem desertæ hæresis pœnam comminantur. Stetit illa tamen imperterrita, & non rarò, ad nos redijt, vt in suscepta fide magis magísque confirmaretur.

VII. His LYNDVÆ ita gestis, fama in vicina circùm oppida pagósq; sparsa, ad hominem etiam delata est, cuius vxor tertium iam mēsem à Dæmone tenebatur. Inuaserat hanc malus ille hospes in patenti campo (in quem vnà cum decenni puella concesserat) admirantem atque ridentem sagam quandam, quæ per aëra circumuolabat. Nam vbi infamis illa sarcinà è sublimi deiectà manibus hanc, de quâ loquimur, contigisset, repentè vnà cum astante puella (quæ in hodiernum vsque non comparet) euanuit. Hæc in furias mox conuersa, & cœno ac sordibus sese volutās, leuata est eo malo sacris exorcismis per nostrum Sacerdotem; vbi sexto abhinc milliari abducta esset, & in æde Alsolynduanà constituta. Nec defuêre, qui id & alia eius generis in principe Dæmoniorum gesta dicerent, Caluinistæ.

VIII. NON ÆQVE maleuoli fuêre Turcæ Canifienses, qui huc ad nos Patris secum deducēdi gratià venerūt, vt obsessos ab immundis spiritibus apud illos liberaret. Fidem Bassæ publicam, nec non vniuersorum præsidiariorum Turcarum polli-

Digitized by Google

pollicebantur: spondebant insuper, tutò se Parrè & sine periculo, quando ei placitum foret, reducturos. Excusauit se Noster tum quidem, quòd tutò se proficisci posse non videret: ne tamen vacuos abs se, & sine solatio dimitteret, cereum eis dedit sacri Agni effigiē, nec non aquæ sactæ pauxillum; quibus illi magna cum veneratione susceptis ad suos reuerterunt. Ciuis quidam ex vrbe hæresi infecta, quòd à Dæmone sæpius cōspicuo pecuniis ad se ei obligandū sollicitaretur, ac pœnè in desperationem adigeretur, ad nos remedij caussa adierat. Re intellecta furere Prædicans, extimulare in hominem ciues, minitari publicam mulctam: hic similibus verbis minas eludere: *Ecquid*, ait, *Domine Prædicans tibi anno præterito corporis languore detento aliquot Germaniæ ciuitates medici conquirendi gratiâ obire licuerit; mihi, si quæ animo ægritudo molesta sit, salutē, vbi præstari potest, quærere non licebit?* Adeò, si mercenarios illos pastores excipias, prona ad Fidem nostram plebs est: agunt certè hæretici cum Catholicis, quos antè execrabantur, non modò humaniter, sed vltro etiam ab ijs in fide erudiri exoptant.

COLLEGIVM PRAGENSE.

IX. Isto in Collegio duo mortui sunt; P. Alexander Haius, patriâ Scotus, tribus annis maior quinquagenario; vixitq; in Societate ab anno ætatis octauo decimo, quatuor vota pfessus. Vtriusq; linguæ peritissimus, sacras & pfanas litteras aliquot in locis publicè docuit: placidi admodum

Digitized by Google

dum comisque ingenij vir; sanctorum Apostolorum singularis cultor: de quibus & commentarium longo ac laborioso studio ex veterum scriptis erutum pluribus iam libris inchoauerat: quo fortasse promeruit, vt ipso D. Iacobi Apostoli sacro die ad præmia laborum suorum fuerit auocatus. Idem post hunc iter fecit P. Matthæus Wraczalius Cracouiensis. Decennium posuit is in Societate, ex triginta scilicet, quos illi viuere concessum erat. Præscium mortis suæ fuisse opinio est, quod cùm aliunde, tum ex discipulis ipsius intellectum est, attestantibus toto anno nullum ex eius ore frequentiorē sermonem prodijsse, quàm de morte. Ex verticis fortuita in trabem illisione tam leni, vt neque tumor, neque liuor, ac ne dolor quidem notabilis foret, in grauedinē primò quandam capitis, deinde in atrocem phrenesin incidit; cuius negabant præsentiorem curationem summi medici, quàm cranij apertionem: sed cùm nullus tam periculosæ curationis inueniretur Pragæ artifex, alia plura remedia tentata sunt, irrito conatu. Mortuus est septimo, postquam delirare cœperat, die: quod tamen tempus Generali confessione, & Eucharistiæ perceptione præuenit, nec quidquam ab Religioso alienum in illa mentis aberratione loqui auditus est.

X. ERGO quod in his, vtpote morte absumptis, desideratum est, gnauiter compensârunt operæ relictæ. A condita in hoc Collegio Academia nunquam plures Philosophicis honoribus sunt ornati: fuerunt enim, qui primam lauream accepe-

Digitized by Google

ceperunt, quinquaginta duo. In domo pauperum centum nunc alumni sustentantur; quibus Norimbergēses Legati, cùm nuper honoris gratia per domicilia Collegij circumducerentur, nummos aureos nec petentibus obiecerunt. Cęsareus erat musicus tubâ excellens, sed religione absonus: hic cùm ad cōcentum sæpe ab his pauperibus inuitaretur, sæpius per hāc occasionem, vt ab auita religione ne discreparet, admonebatur: factum breui est, vt non solùm ipse ad Ecclesiæ mensuram caneret, sed Sacerdotem etiam ex Nostris quærerer, qui vxorem ab eodem errore dehortaretur. Est Pragæ vetus Hussitarum Academia, quæ iam tota in Caluini scholam degenerauit: hęc nostram æmulatur, etsi aliàs semper, nunc tamen maximè, posteaquam Ordines regni eius gubernationem à Cæsare sibi poposcerunt, extorserúntque: verùm successu, non inuidendo. Ediderant anno superiore typis rationem methodúmque studiorum pro quinque classibus, in multis nostræ persimilem, cui Epigramma præfixerunt;

Non bonus est coctor, patinâ qui miscet in vnâ
Omnia: aues, pisces, oua, legumen, oues:
Sic malus est Doctor, teneros si quis simul annos
Grammaticen, Logicen, Rhetoricēnq; docet.

Nimirum cùm omnia permixtim docerent, voluerunt ad nostrum modum sua etiam per Classes studia distinguere. Verùm vsu tandem didicerunt, aliud esse leges condere, aliud seruare. Quo tēpore Nostri Principibus Imperij ad Cæsarem conuenientibus Eliam Prophetam in-

Digitized by Google

Theatrum parabant, dedêre ipsi, vt laudem opinor & plausum præriperent Danielê: sed ita falsi sunt, vt nec à suis quidem fautoribus hæc obtinerent. Ita æmulorum studia Nostrorũ acuunt industriam. Sed antequam è scholarum contubernijs prodeamus, non visa est prætermittenda caussa, quæ virum grauê, & genere equestri splẽdidum permouit, vt filiũ disciplinæ nostræ traderet, & ipse Religionis Orthodoxæ, à qua aberrabat, cõsilia apud nos quæreret. Vocatus fuerat ad solemne epulũ, quod in quodã Bohemiæ castro vicinæ nobilitati parabatur. In eo conuiuio cùm iam omnes incaluissent, & de more certaretur poculis, ipse in proximum conclaue noxiam fugiens ebrietatẽ se subduxit, & ita, vt erat, in lectum incubuit. Ibi sobrius clara die, vigilánsque dum aliquãtisper supinus iacet, fortè ad fenestrã, qua lumen se in cubiculũ penetrárat, respicit, vidétq; ibi tres humanas effigies, iustæ ad communem staturã magnitudinis: sed duas vtrinq; pectore tenus, mediâ solo vultu capitéq; prosstantẽ. Duæ illæ eà specie fuerunt, quali B. VIRGO & S. Ioannes sub cruce vulgò depingi solẽt: caput verò illud in horum medio viride, barbatũ, & comatum: cuius speciem referret, in animũ inducere tũc non potuit. Ac ratus primùm pictúram aliquam in pariete à se videri, surgit, vt cominus arbitretur: ibi tum manifestè videt parietẽ quidem purum, sed imagines illas in medio aëre ex ipsa quodammodo luce candida effigiatas atque formatas; omnibus membris tam distinctè, nihil vt omnino ad perfectionem deesset.

Stupe-

Digitized by Google

Stupefactus primùm, postquam ipsas figuras nec motas nec mutatas diutissimè fuisset contẽplatus, tandẽ aduocat filium annorum ferè quatuordecim rogat, an & ipse videat eadem? Affirmante illo accersitur & famulus: qui cùm omnino cõsentiret, statuerat ad idẽ spectaculũ accire à mensa aliquot ex nobilibus: sed quia iam temulenti erant; oculisq; mutantibus & cõniuentibus à ratione auersi, intermisit consiliũ, ne rem tantam in ludibriũ verterent. Ne tñ suos solùm testes haberet, aduocat prẽterea Oeconomum Dñi illius, in cuius arce res agebatur: siquidẽ is ceteris magis sobrius videbatur. Sic quatuor illi, postquam vnà ampliùs horà effigies illas in aëre pendentes spectàssent, egressi è cubiculo, cùm paulò pòst reuisuri redijssent, compererunt euanuisse. Rogati à Nostris, ecquid manu cõtrectare alicui veniisset in mentẽ? Responderunt, horrore an rẽligione quadam, ne id facerẽt, fuisse prohibitos. Portentum hoc sic interpretatus nonnemo fuit: *Sobrietati præmium quoddam et approbationem diuinitus fuisse quodammodo datam; incitamentũ præterea efficax ad eam Religionẽ, in qua Diuorũ cultus, eorúmq; imagines vigerent.* Atq; in perpetuã huius rei memoriam curauit idem vir illustris similes ijs, quæ apparuerũt, imagines pingi, quantũ cùm ex ipsi°, tum aliorũ, qui viderant, sermonibus ars potuit consequi. Habuerunt autẽ Nostri æmulos Hæreticos non in scholis dũtaxat, vt suprà mõstraui m°, administrãdis, sed in charitatis quoq; officijs alijs: in reis maximè ad supplicium deducendis; qui tamen in ipso extremæ necessitatis articulo

Digitized by Google

miseros deseruit : id quod saluti feminæ fuit, quæ cum alijs quatuor eodem fune reuincta nuper ducebatur ad laqueum. Erat inter hos vnus Catholicus, cui Nostri comitabantur: vbi ad locum supplicij ventum est, tempestiuè Prædicans de more se subduxit : & agebatur fortè primus reorum in rotam, dum Noster cum socio subter patibulum flexis genibus Deum precatur: hærebatque huic & illa, de qua loquimur, colligata. Eam dùm Nostri piè precantem vident, alijs in supplicium intentis interpellant; *morine Catholica velit?* Annuentem Sacerdos, quod idioma illius non calleret, de peccatis per interpretem Socium audit: quæ dein tam alacriter pœnas legibus dedit, Nostro illi effigiem Crucis præferēte, vt in ipsa morte sibi reuixisse videretur. Hoc & id genus alia pietatis in reos officia videtur DEVS sanxisse seuero exemplo. Nam ciuis quidam Pragēsis, reo, quem Noster animabat, à carnifice ex scalis præcipitato ac suffocato, exclamabat, ita, vt à circumfusâ multitudine totâ, quę innumerabilis aderat, exaudiretur: *Iesuitas laqueo corripe; præcipita, præfoca.* Eodem vesperi idem ipse calumniator conseruit cum alio ciue manum, à quo & mactatus est.

XI. ABSOLVTORVM ab hæresi fuêre in hoc Collegio ducenti triginta: in his Sacerdotes tres, qui ab Hussitarum partibus steterant : tres illustri loco nati: quorum vnus Baro cùm postea in morbum incidisset, statim ac cereum prægrandem imagini B.P.N. IGNATII vouit, à febri se surrexisse, affirmauit. Catholicorum autem feruor a-

Digitized by Google

nor alacritásque in profitenda fide publicè tanto magis enituit, quanto hic laxatis NOVA CONFESSIONE habenis, qui hucusq; professi Hussitismum fuerãt, in deterius prolapsi, veteres ritus aboleuerunt, atque in his omne genus supplicationis, eam præsertim, quam cum Eucharistia per forum quotannis more Catholicorum instituerunt. Contrà singulari DEI prouidentia accidit, vt Catholici nũquam solemniùs easdem supplicationes obiuerint, cohonestantibus eam Electoribus Imperij, & Archiducibus Austriæ, heroico sanè & digno æternâ memoria exemplo. Erant enim multi, qui varia impedimẽta, ne id facerent, Principibus obijciebant, & inprimis tumultuantis populi Pragensis ac nobilitatis Bohemicæ periculum: *Quandam adhuc in omnium animis residere armorũ non solùm memoriam, sed etiam ferociam, qua anno superiore libertatem suæ fidei à Cæsare extorsissent: inflatos hoc successu, facilè aliquid vel in ipsos Principes ausuros; si non apertâ vi, at fraude inter priuatarum ædium, quà comitanda foret Eucharistia, diuerticula. Viderent quàm id gratum futurum esset Imperatori, si cùm ab eo sopiendarum veterum turbarum gratiâ huc aciti essent, ipsi nouis causas minimè necessarias offerrent. Aduerterent etiam præsentes nunc adesse Pragæ aduersæ Religionis, præter minorum gentium aduentitiam, (vt puta Legatorum & aliorum ex Imperio) turbam; complures etiam Imperij Principes cum amplissimis aulis; qui omnes cùm in multis Catholicæ rei sint infensi, tum maximè hanc cum Eucharistia supplicationem pro idololatria soleant detestari. Adhæc Prædicantes in Papam, Missam &*

Digitized by Google

alia sacræ legis nostræ mysteria, receptáſq; cæremonias plenis buccis nullius habita ratione temp a totius triurbis Pragæ ac priuatas ædes tam publicis, quàm priuatis sermonibus id vnum agere, vt populus hanc Corporis CHRISTI venerationem tanquam rem cum detestabili Idololatriæ scelere coniunctam aboleat. Demum abundè satisfactum iri religionis officio, si supplicationi Cæsareæ, quæ in ipsâ arce circa metropolitanum templum solemnissima habetur, interessent. Quòd si honoris causâ etiam aliquid esset tribuendum supplicationibus ciuicis, id per nobiliores quosq; ex Principum aulis transigi posse: ipsos verò Principes ludibrio ac periculo exponi nulla ratione oportere. Hæc & similia tunc vndiq;, tum in Principũ, tum in cuiusq; apud eos intimi auribus perstrepebat: sparsa videlicet per eos, qui dum nimis solliciti erant pro iis, qui in supplicationẽ prodirent, vel impiè silebant, vel imprudenter obliuiscebantur illum, qui & caput supplicationis huius fuerat, & seruare optimos Principes etiã inermis sub angusta panis specula occultatus poterat: quod & fecit. Et Serenis. quidem Archidux Ferdinandus tm̃ abest, vt his rumoribus multùm permoueretur, vt etiã Rectori nostro ipsum ad Collegij supplicationẽ inuitanti dixerit: *Etiamsi aliorũ Principum nemo veniret, se solum cõpariturum.* Adfuerunt tã omnes quatuor: nec. n. plures tum Pragæ Catholici Principes fuerãt: duo videlicet Ecclesiastici: Ioannes Schwickardus Moguntinus, & Ernestus Bauarus Coloniensis Electores; duo Archiduces Austriæ, Maximilianus Cæsaris frater, & is cuius iam meminimus Ferdinandus, aureo tunc vellere insignis,

Post-

Digitized by Google

Postquã ergo primo manè apud metropolitanũ templũ Cæsareę supplicationi interfuissent, & in veterem Pragẽsem vrbem ad nostrũ Collegium proficiscì vellent, noua rursus impedimẽta obijciũtur. Aurigæ videlicet & currus non inuenièbãtur: Doryphori & Sarissarij, quos Trabãtes & Harthschiros appellãt, aliíq; qui honori & custodię caussà comitari solent, vel non aderãt, vel (q̃ capita abessent) non erãt ordine dispositi: deniq; qui priùs rationibus non euicerant, de industria huiusmodi tricis moras nectebant, negotiũq; retardabãt. At optimi Principes simul omnes quatuor proximũ conscẽdunt currum, aurigã statim mouere iubẽt, cessatoresq; siue nolentes siue volentes secũ trahunt. Non minore exẽplo ijdem Principes postridie statim CHRISTVM comitati sunt, cũ ex monasterio Augustinianor. S. Thomę q̃ minoris vrbis ampliſſimũ forũ supplicatio explicata est; Saxone interim & Brunsuicensi Principibus è fenestris saltẽ spectando pompã honorãtibus. Ea demũ supplicatione, quæ diebus Rogationũ prima fuit celebrata, pluuiã magno totius Regni bono fuisse impetratã pij omnes crediderũt: cùm. n. ad eum vsq; diem sterili siccitate sata premerẽtur, superioríq; autumni semina in aridum solum incidissent, periculum erat, ne toto Regno annona fameque grauiter laboraretur.

XII. EXTRA Pragam sæpius tam Domini nostri, quàm Diuorũ festis diebus excursum est. Ianouitiana profectio & diuturnior fuit, & frequẽtior: vbi quatuor in tẽplis administrata sacra, excultiq; tum alij multi, tũ ingenus hominũ, q̃ ex

Digitized by Google

bonaria victitare cõsueuit: apud quos homines, cùm omnis honestas & pietas sit extincta, solo vsu calicis se putant beatos & saluos: molliuntur tamen sensim ac mirantur, cùm à Nostro SS. TRINITATEM nominari cùm reuerentia audiũt; rati Catholicos, (quos ipsi *Gednuscas*, hoc est, monstra vnius pedis appellant) nihili summum illud mysterium facere.

COLLEGIA OLOMVCENSE, ET CRVMLOVIENSE.

XIII. CATHOLICÆ rei successus in hac vrbe tam ex frequenti confitentium, quàm ex eorum numero colligitur, qui fidei errores deseruerũt: Numerati in hoc genere sunt sexaginta septem: septem pauciores, qui salutari diligentia vitam totam Sacerdoti aperuerunt. Multi à superstitionibus & mali Dæmonis artibus abstracti. Libelli lasciui, magici, hæretici è manibus excussi Tribus lustralis vnda, Agni cera, & confessio aduersus spectra salutaris fuit. Prædicantis speciem subinde eæ laruæ ostendebant: atra scilicet veste terribiles, promissa barbâ, collaribus in lactucas extructis. Profugo religioso reditus ad mentem & suos persuasus. Iuuentutis & Sodalium Marianorum præcipuè floret pietas. Quo tẽpore de pace agebatur inter Rudolphum Imp. Rom. & Matthiam Regem Hungariæ tantum studij in supplicationibus posuerunt, vt centum alij Rosaria, alij plura pro secundo tanti negotij euentu offerrent; præter alia complura id genus pia o-

pia opera. Alumni verò, qui communi apud nos contubernio victuque vtuntur, à scholis pomeridianis quotidie in domesticum sacellum conuenêre, statásque preces vnà cum Litanijs eundem in finem persoluerunt. Puerulus ex Reginæ Angelorũ Sodalitio per plures ieiunij magni dies cibario pane contentus esse maluit, quàm carnibus vesci. Idem aliàs cùm à patre sollicitaretur, id vt die quodam Sabbati ageret, neglexit, quamuis interdum non sine tergoris sui aut periculo aut incommodo. Cui cùm stomachabundus diceret pater: *Itane verò te parentibus obedire docent IESVitæ? Ego imò verò obedio*, respõdit puer: *nam & Ecclesia mater est.* Beneficentiam amicorum æstimare soleat, septingentis Philippicis possis: nam de legato mille octingentorum, quod dudum factum, hoc anno ciuili iure obtentum, quid attinet dicere?

XIV. E VITÆ statione Crumlouij à DEO vocatus est P. Zacharias Faber. Laborauit in Societate annis viginti quinque, cum quinque & quadraginta vniuersim vixisset. Octo publicè ad populum in hac vrbe dixit magna cum laude. Valuit admodum in tranquillandis animis, iisq; serenandis, quos aduersæ res turbauerant. Non perinde vt hic morti, ita Religio Catholica frequentibus hostium cuniculis hoc anno tentata, succubuit. Regiæ monetæ Præfectus cùm metallicas, quas vocant, Bohemiæ ciuitates ex officio lustraret, etiam Crumlouium eo fine venit, vt senatum mutaret, Catholicos magistratu moueret, & in eorũ locum Acatholicos subrogaret,

Arbitrati Crumlouienſes tantũ virum & tam ſeria pro bono hæreticæ rei molientẽ non vulgari honoris ſignificatione ſuſcipiẽdum, omnes ferè ſe certatim ex vrbe effuderunt, feſtáque æneárum fiſtularum explosione eminus venientem ſalutárunt. Inde ſumptuoſiſſimo cõuiuio exceptus, nec vilibus muneribus oneratus, cogit ſenatũ, cauſsámq; aduentûs ſui indicat; quorũ nomina in album Senatorũ referri, quorum ex eodem expungi velit, atq; in ordinẽ redigi, pro auctoritate (quam tamen ille eo in negotio legitimam nullam habebat) deſignat: & hoc totum abſente Præfecto arcis, quod hac in vrbe inſolẽs fuit. Vidiſſes hîc viros ætate & prudentia principes in ciuitate, inter ærarios referri; contrà verò exiguæ rei alios inter Senatores numerari; qui primis ſtatim diebus ingenium ſuum prodiderunt. Ære campano maiori in principe templo ſignum dabatur, vti de more nouitij illi Senatores ad ædem conuenirent, precibúſque illo tempore fieri ſolitis intereſſent. Verùm illi non à Ioue, quod Poëtæ monent, ſed à Baccho principium ſui magiſtratûs ſumere voluerunt. Demum venit nouus Primas, antiquus Prædicans, cum quatuor è Senatu ad Collegij Rectorẽ, qui nomine Præfecti Monetalis totiúſq; Synagogæ, claues & vſum templi Germanici extorquerent. Auditâ Rector legationis cauſsâ reſpondit; *ſuâ in poteſtate non eſſe, cedere illis templo, cuius cura per legitimos S. C M. Legatos Collegio olim ſit demandata.* Illi quid reſponſi acceperint, Præfecto referunt. Is Rectorem & Archidiaconum per famulum,

mulum, ad se vt veniant, inuitat. Præsentibus persuadere multis conatur, vt de iure suo cedãt templiq; claues in manus suas tradant: sic enim fore, vt non Catholici, nullis rebus nouis in posterum studerent, & Catholici absque vlla molestia suis templis & cæremonijs vterentur. Sed cum prudentibus egit Præfectus, adeóque nihil effecit. Imò quia intellexerat Rector, eundem velle Crumlouienſibus facere potestatem, vt tempore Quadragesimæ carnes venales proponere possent, monuit eundem, ne salutares maiorum leges abrogaret, perniciosámque inueheret. Cui ille, *quia vos*, inquit, *rogati meæ petitioni, & consilio non acquieſcitis, nec ego, licet rogatus, propoſitum meum deſeram, ſed ampliſſimam vendendi, emendique carnes eo tempore Largiar facultatem.* Præclara sanè vindicta defensi muris. Interim Crumlouienses deiecti ea spe clauium obtinendarum aliud machinantur. Indicit Prædicans noua atque inusitata Comitia; in illis plebem rogat, velint ex publico ærario ad noui templi fabricam sumptus fieri? Acclamatum vnâ voce: *vti rogas.* Cudendum ferrum intelligens dum canderet, instat operi, corrogat atque etiam à Catholicis impetrat symbola: aperuit publicum granarium, nec exiguam pecuniæ vim ex frumento distracto conficit; vno verbo pleraque ad tabernam, in qua noui Euangelij fæces propinentur, construendam necessaria præparantur. Interea, ne famelicus grex pastoris curam desideraret, adducitur ex Ru-

dolff-

dolfiat secundo ab Crumlouio lapide dux gregis susceptus omnium ouium incredibili cõcursu: statim conuocatis ad caulas ouibus, insipidi verbi & insulsæ mensæ proposuit pabulum & potum. Certior hac de re factus Collegij Rector principijs obstandum esse iudicauit. Quare Præfectum arcis adit; quid rerum nouarum in vrbe moliantur hæretici, aperit: hortatur, vt aduigilet, ne quid contra suæ Maiestatis voluntatẽ à furente plebe designetur. Spopondit sibi Præfectus rem cordi fore, atque extemplo consuli mandat, vt illum rabulam ex vrbe dimittat; ciuem, qui ouiculis nouóq; pastori suam domum in stabulum concesserat, in carcerem abripiat. Ita factum: sed Prædicans suo quoque capiti metuens, quicquid de ouibus ageretur, consulis imperium occupauit, vltróque ex vrbe profugit. Verum, vt est hæresis Iernææ Hydræ gemina, amputato hoc capite, statim aliud repullulauit. Nouus enim Doctor huic paulò pòst suppositus, ne idem quod prior pateretur, Pragam cum duobus è senatu profectus est, quo ibidem approbatus tutò deinde Crumlouij pedem figere, pestẽ posset diffundere. E vestigio Nostrorum subsecutæ sunt litteræ, quibus conatus illorum impediretur. Res mira & opus planè Dexteræ Excelsi. Prædicans enim ille lecta Bohemica illa nuperrimè cõflata Confessione, in alium virum repentè mutatus, Concionatorem Germanicum Pragensis Collegij adijt, hæresinque suam vltro damnauit. Quæ res quantam Catholicis lætitiam, tantam Hæreticis illis maximè, qui Pragam

gam cum illo profecti fuerant, tristitiam peperit: quæ inopinatâ aliâ, & quidem luculentâ, plagâ acceptâ creuit. Vix enim illud par Legatorum Crumlouiũ rediêrat, cùm ecce à S. C. M. ad arcis Præfectum perferuntur litteræ, quibus seriò mandabatur, vti nouum Primatem in ordinem redigeret, & Catholicum à Cæsare confirmatum renunciaret. Hoc ictu tota illorum spes accisa concidit. Quamuis quiescere nesciant. Redeunte namq; anno Pragam rursus duo sunt profecti, qui Prædicantem adducerẽt. Subsecutus qui è Catholicis lectus est Primas, boni euentûs nuncius expectatur. Interea gemina cõcio in ciuitate Bohemica & Germanica sacratioribus diebus populum detinet. Foris desiderium calicis exemptũ viginti hominibus: viginti duobus persuasum, vt relictis improbi Euangelij signis antiqua Catholicorum castra sequerentur. E quorum numero vnus in Lutheri palæstra ad maledicendum institutus, cùm ritibus sanctæ hebdomadæ interesset, plenisq; conuiciorum plaustris Catholicos onerare, eorúmq; ceremonias histrionum spectacula appellare nil pensi haberet, graui morbo correptus lectulo affigitur: indéq; monitus per Nostros, morbum læsi Numinis vindictam Religionisque agnosceret, agnouit, seséque ab hæreseos pariter & peccatorum vinculis facta confessione expediuit. SS. Eucharistiæ virtutem, Agni DEI vim & B. N. IGNATII preces varij senserunt.

COM-

Digitized by Google

COMMOTOVIENSE ET NOVODOMENSE.

XV. IN HVIVS infœcundi ſterilíſque ſoli gleba Catholicam fidem amplexi ſunt octo: quo exiguo numero fructus ferè vniuerſus in Chriſto lucrandis conſtitit. Cõmunicárunt Paſchatis tẽpore præter diſcipulos noſtros externi centum ſexaginta; vnde iudicium feras, quo in ſtatu res Catholica id loci ſit. Raritatem tamen Catholicorum in conciones & ſupplicationes procedentium ſupplent aduenæ varijs ex pagis, qui curionibus ſanæ fidei deſtituti apud nos ſalutis ſubſidia quærunt. Aduerſariorum Coryphæi in dies cęremonias nouas ex ſuo cerebro cudunt; intermiſſo, qui ad ingreſſum templi ante Baptiſmum fieri ſolebat, Exorciſmo & Chriſmate; tum alijs etiam ritibus, qui circa Communionem vſurpari conſueuerunt: adeò, vt nonnullos etiam aduerſæ partis auditores Doctorũ Miniſtrorúmq; ſuorum frequenter pudeat, cùm tam abſurda in concionibus & Sacramẽtorum adminiſtratione ab ijs cõmitti deprehẽdunt. Id enim ex hac eorum leuitate inconſtantiáq; ſecutum eſt, vt lictor in eorum templo pro altari filiam ſuam Canicidæ cõceptis verbis matrimonio copulare non dubitárit. Res ad hunc modum geſta eſt. Prætendebat Canicida, ille, inquam, qui morticina ex officio glubit, ante menſes aliquot ſuam cum famulo profugiſſe vxorem: hinc ne in degeneri ſtirpe aberraret, lictoris in alio oppido filiam ambire cœpit: ſponderur vtrinque: nuptiæ de more ter pro ſuggeſtu publican-

Digitized by Google

blicantur: inuitantur eiusdem tribûs conuiuæ ad nuptias: Prædicanti domum transmittitur suum siue munus honorarium, siue merces. Veniunt ad templum sponsi: hîc Prædicantes duo tergiuersari & altercari, vter eos coniungere debeat: senior in Socium reiiciebat onus, quòd in eius hebdomadam copulatio incidisset: ille verò, quòd alter eos promulgâsset, ad eum iure merito negotium id pertinere affirmabat. Qui dum ita litigant, & morantur, sponsósque ante fores templi relinquunt, ecce aliud par sponsorum suo ordine eôdem procedit: reseratur templum: properat cum sua quoque sponsa ac grege Canicida: ingreditur, & cùm eadem molestia qua foris, intus etiam præstolatur Ministri alicuius aduentum. Nullus comparet, cùm interim vario murmure ipsos Pastores proscindunt, carpúntq; Pòst vbi copulationi spem omnẽ interclusam intelligunt, prorũpit in hæc verba spõsæ parens lictor; *Quandoquidem illi officium copulationis nobis negant, adeste*, inquit, *ego vos copulabo: iungite in signũ mutuæ fidei dextras*: simúlq; rapto è sinu linteo, linguâ vernaculâ ita infit: *Quod DEVS coniunxit, homo non separet. Ite, hilares, iam estis copulati.* Eunt, ac nuptias biduo effusâ lætitiâ celebrant. Inde cùm insolentis facti rumor percrebuisset, ridentibus Catholicis æquè ac alijs inuicinis vrbibus rei absurditatem, Commotouienses veriti, ne ludibrij huius nota aliqua hæreret, nouũ hunc mystam cum nouis nuptis carceri mancipârũt. Interrogati aliquando Nostri à rusticis Catholicis, quid cum rudissimo Prædicâte,

quo

Digitized by Google

quo etiam Hæretici liberari vellent, ipsis esset agendum, respondérunt, illo contenti forent: minùs enim nociturum indoctum, quàm doctum. Probatum consilium.

Porrò vt ciues aliquantò in nos fierent æquiores, effecit auctoritas Legatorū, qui mense Martio in renouatione Senatûs, cùm duos Catholicos substituissent, grauissimè omnes admonuerunt, *ne quid in nos attentarent: Societatis homines esse, qui cùm alibi magnam apud summos viros haberent existimationem, Commotoui non debere premi aut contemni.* Conciliauit etiam animos totius ferè ciuitatis Nostrorum ex fortuito casu commonstrata beneuolentia. Cùm enim oborto incendio periculi & damni magnitudine plerique starent perculsi, nec à suis ædibus grassantem flammam possent auertere; attonitis omnibus, & calamitatem suam frustra gementibus, Nostri in foro & Collegij vicinia ociosos spectatores hortabantur, vt restinguendo incendio vacarēt: nec voce tantùm, sed facto pro viribus adiuuabant, dum operis in fumo & igne ferè defectis potu & cibo submisso succurrebant. Simili in genere maleuolorum duritiem mollire potuit cura & pietas in sepultura senis cuiusdam cētum & quinque annos nati: qui tametsi Lutherum à facie nósset, à Lutherana tamē hæresi in quam per imprudentiam lapsus bis erat, maturè ante obitum resipiscens, omnibus munitus sacra mēis excessit. Huius, vt & pauperis cuiusdam virginis sexagenariæ funus nostro studio instructum, plurimorum animos pia quadam religione com-

Digitized by Google

ne compleuit. Ceterum Commotouij Religio & fortunæ noſtræ pari videntur paſſu incedere, cùm vtrinque difficultates, & iam ſint & niſi DEVS ſingulari fauore (quod ſperandum, votiſque contendendum eſt) noſtris rebus conſulat, timendæ in poſterum.

XVI. NOVODOMI eædem difficultates. Nam Hæretici cùm numero longè ſuperent noſtros, occaſione nuper conceſſæ libertatis inſoleſcunt, acrioréq; multo hoc anno quàm ſuperiore, conatu imploratis etiam Statuum Bohemiæ auxilijs templum SS. Trinitatis noſtro iuri ſubiectũ ſibi vindicare, ſuiſque Magiſtellis aperire inſtiterunt. Quorum machinationibus, quia obuiam iuimus, animos illorũ alioqui ſat iniquos ita à nobis alienauimus, vt in odium non modò vicinorum, ſed remotiorum etiam populorum raperemur, grauibus omnino calumnijs longè latéque ſparſis onerati. Nam cùm vnius è primarijs ciuibus menſe Martio defuncta vxor, Catholico Sacerdoti confeſſa, ſepulchro parentum ſuorum, (quod ignorantiâ Canonum Decanus neſcio quis, ſub ipſo altari vt eſſet, cõceſſerat; alius autem eiuſdem ſucceſſor auctoritate & poteſtate legitima fretus, cadauera eorum inde extracta, ante ipſum altare recondiderat) inferenda eſſet, humata ſuorum corpora inibi deeſſe maritus defunctæ animaduertit. Itaque Prædicantes re cum alijs ſui ingenij ſocijs calicem ſcilicet ſitientibus, collata; nos euerſores ſepulchrorum, & cadauerum profanatores & crematores eſſe, voce litteríſq; vbiq; proclamarunt: dignos,

Digitized by Google

qui ex omnium hominum cœtu exturbaremur: insepultam feminam, quo ciues ad misericordiã (ad seditionem rectiùs dixeris) mouerentur, reliquerunt. Denique cùm locum calumniæ refutandæ nullum daret, apud suum totius regni caput accusârunt: quod causſæ nostræ admodum fuit salutare. Nam Illustris D. Slawata, intellectâ ciuium criminantium impudentiâ, huc libellum accuratum Pragâ transmisit, qui in Curia vniuerso populo palàm lectus ita falsò editos rumores fregit, & repressit, vt & innocentia nostra omnibus innotesceret, & calumniarum architecti reliquique eorum fraude corrupti non absque rubore atque dolore spem templi obtinendi penitus abijcerent. Nec diuina defuit vindicta ijs, qui harum contra nos & Catholicam fidem turbarum fuêre auctores: quorum alij miseranda morte extincti; alij morbis eo ipso die, quo ex cœna Lutheri redibant, occupati fuêre, vt eos venenum, non Sacramentum sumpsisse haud obscurè liqueret. Eorum autem instinctu, qui amotis Hæreticis magistratum Catholici inière factum est, vt mulctæ statuerẽtur in eos, qui aut Lutheranicæ cœnæ caussâ quoquam excurrerent, aut carnibus quadraginta dierum ieiunio vescerentur, aut festis diebus laborarent, aut id genus alia contra Catholicorum dogmata designarent. Et verò ad conciliandum Societati, Religionique nostræ apud hanc rudem erroribúsque ebriam plebeculam fauorem, non parum profuit Principum virorum,

rum, qui, cùm pro temporum calamitate hac aliò iter haberent, humanissimè Collegium inuiserũt. In quibus præcipuè nominandus Serenissimus Archidux Ferdinandus, qui eadem, qua Nostros solet vbique, beneuolẽtiâ fauoréq; nos est complexus. Scholas pietas magis cõmendat quàm frequentia: ad quas cùm Baro hæreticus filium suum amandaret, nostræque disciplinæ concrederet, hanc afferebat rationem, quòd suæ sectæ Magistri iuuentutem sibi commissam, nec moribus instruere satis, nec literis nõssent. Fructus deniq; laboribus ex Nostris vnus: P. Ioannes Feir: qui dum in superiori Vngaria salutem animarum curat, Viennam curationis gratiâ cõrendit: indéque à medicis huc missus auram nihilo salubriorem mitioremvé offendit: ita decem hebdomadis cum morborum agmine conflixit, donec fortissimè, vt Christianum Religiosúmque optimum decebat, occubuit; post curriculum nempe annorum quindecim in Societate feliciter confectum, ipso Præsentatæ Virginis die; cui studiosissimus, quoad vixit, fuit. Tertio ante obitum die medico mortis sententiam denuncianti præclarè respondit: *se huius temporariæ vitæ desiderio minimè teneri; & eo consilio iam pridem Societatis Institutum arripuisse, vt alteram, quæ æterna est, in cœlo certiùs assequeretur.* Miratus est hoc responsum animo & spe plenissimum medicus Caluinista: & quantâ fiducia Iesuitæ hinc emigrent, alijs narraturus cum stupore accepit.

Digitized by Google

LABACENSE ET ALIA.

XVII. LABACENSIVM operâ quinque ab Hæreticis desciuêre: discipuli ita informati, vt, qui Grammatistarum ob ætatẽ necdum cœtui Parthenio adlegi poterant, virginis clientelam nihilominus ambirent, totius vitæ culpas Exomologesi eluerent, eandem quarto decimo quoque die repeterent, cõscientiæ excutiendæ quot diebus, coronæque persoluendæ vacarent. Fulminis ictu ingens frumenti aceruus vnà cum vicina domo conflagrabat: cui incendio cùm nihil satis resisteret, duo è Scholasticis nostris consecratas Agni DEI ceras è collo pensiles deprompserunt; quibus in ignem coniectis malum omne compescuerunt.

XIIX. GLACENSE Collegium infra arcem Cæsaream in monte, qua ciuitatem spectat, situm est, suíque fundi terminos ipsa radice montis olim circumscripsit, eosdémque longo tempore sepibus quibusdam inclusit, donec tandẽ vorax incendij flamma sepimentis huiusmodi absumptis, litem nobis cum Hæreticis fecit. Illi enim, vt est genus hominum alieni appetens, in montis calce supra ipsum Collegij fundum casas & domicilia, necquicquam loci Dominis reclamãtibus, extruere sunt ausi, nec non demum ius in ipsum montẽ prætendere. Factitauit hoc prẽter senatũ quidam nobilis: qui vnâ iniuriâ non contentus, eduxit etiam stabulum in eam altitudinẽ, vt tres scholarum feneſtras cõtra Præfecti inhibitionem penitus occluserit. Nostri igitur Cæs. Maiest.

Digitized by Google

Maiest. interpellare coacti, ius suum montémque receperunt, vt sperari possit, breui scholarũ angustias laxandas : ad quod opus vtile æquè ac necessarium Sereniſſimus Archidux,& Wratislauiensis Pontifex Carolus annuatim suam trecentorum Philippicorum offert impensam; huiúsq; munificentiæ suæ hoc anno initium fecit: pro quo eodem ædificio Senatus ipse, quod mirêre, sex plaustra calcis dono aduexit. Nouem ex Hæreticis in nostram sententiam fidémque iêre. Accidit porrò casus omnino formidabilis. Præcipuus ciuitatis Prædicans, acerbus omnino Orthodoxæ fidei aduersarius, summæque apud suos existimationis, cùm ferijs D. Stephano Protomartyri sacris abeunte vxore cum reliqua familia ad matutinam, quam vocant concionem, domi saluus & solus suo in musæo sessitaret, cõcioníque apparandæ intentus esset, ecce tibi corripit illum nescio quis genius, & tantâ eundem exercet ferociâ, vt fœdissimè deformatum, funestè enecatum, solo ante ædium gradus immaniter allisum, sparsis iuxta cadauer discerptæ orationis partibus, familiæ in tenebris domum redeunti pedibus calcandum reliquerit. Primus, qui calces in illum impulit, fuit filius, cúmq; canem existimaret; *tu nequam*, inquit, *ecquid decubas hîc?* Quia verò ad repetitos ictus & lumbifragia canis nullus se prodebat, manibus palpando tandem deprehendit parentem exanimem. Inde clamor extollitur, cietur turba, accensóque lumine toti vrbi fit spectaculũ miserabile, quod ad Catholicos in fide confirmandos, qui viderunt

Digitized by Google

runt, (viderunt autem multi) admodum valuit.

XIX. O QVANTO feliciori fine diem suũ obijt in Clagenfurtẽsi Collegio è Nostris vnus P. Guilielmus Fuesseter triginta quatuor annorũ vir, quorum prope decem in Societate posuit. Spectata potissimum est illius virtus in erudiendis ad literas iuxta & pietatem adolescentium animis, quos etiam, cùm morbo vsque eo molesto vrgeretur, constanter & magna cum dexteritate tractauit. Actum hîc cum ciuibus de religione, quam solo nomine Catholicam profitẽtur. Aggregati Ecclesiæ octo; & plures dubio procul fuissent, nisi & spes recipiendi suos Prædicantes, & cuiusdam prçsertim Ministri audacia obstitisset, qui intra extráq; mœnia, nocte tectus, clam ad se vndique confluentes pane suo refecit, & in concepta hæresi confirmauit. Instituta est hoc anno à Collegij Rectore cum Residentiæ Superiore lustratio parœciarum, quæ in nostra sunt diœcesi, sat felici euentu. Inter alias vtilitates ea nõ minima iudicata est, quòd cùm inter quindecim Curiones vix aliqui essent sine concubina, iam sint omnino octo; & spes est fore, vt brevi etiam reliquæ parœciæ ab eiusmodi serpillis & vrticis perpurgentur. Ceciderat in peruigilio D. Michaëlis in turrim templi nostri fulmen: sed innoxium illud fuit, quamuis illam à vertice ad basin vsque permetiretur, solámque D. Michaëlis effigiem, quæ ex pariete templi interiore depicta pendebat, deformauit. E Plectriacensi Sede Coadiutorum nostrorum mortuus vnus.

XX. Za-

Digitized by Google

XX. ZAGRABIENSIVM labores hunc ferè tulêre fructum. A Mahumete ad Christum vocati viginti octo. Quos inter magnº miles Christianis parentibus ortus, qui cum Turcis nouendecim annos fecerat. Huius à Mahumete digressio Christianæ rei perquam vtilis fuit: siquidem Turcarum technas & dolos, quibus Petrinam, magnum Sclawoniæ propugnaculum, è nostris manibus eripere cogitabant, proceribus detexit: ac vt tempestiuè eidem prouideretur, tum in reparatione ruinarum, tum etiam in cõmeatu conuehendo, auctor fuit. Pro concionibus vsus Cinerum sacrorũ, quibus Ecclesia ieiunium vernũ auspicatur, renouatus: obstetrices correctæ, quarum ea passim ignorantia inoleuerat, vt recèns natos infantes tingerent ad nomen D. Petri, Antonij, aliorum sanctorum. Beatus noster IGNATIVS votum docti cuiusdam viri colicâ laborantis ratum habuit: iámque in nostro sacello altare ab eo, qui vouerat, apparatur. Foris Sacerdos è Nostris Quadragesimæ diebus quater mille de peccatis audijt, quingentis circiter infantibus baptismum contulit: alius alibi eo fructu in pellicatum pro suggestu inuectus est, vt plurimorum scorta virgis etiam expellerentur; tum mulcta diceretur in eos, qui in posterum eo flagitio sese contaminarent. Cæterum quo loco his in partibus apud omnes ferè sit Societas nostra, hinc arbitrare. Enimuero in Comitijs mense Maio Zagrabiæ habitis proceres omnes de ratione stabiliendi Collegij nostri strenuè ac sollicitè laborauerunt, palàm con-

Digitized by Google

fessi quantum haberent à Societate, quantum eidem deberent: sed cùm nihilominus differretur negotium, proximis deinde Comitijs X. Calend. Octobres celebratis, vnanimi omnes consensu (vnico dũtaxat Hæretico paululum difficiliore) decreuerunt, vt Societati mille aurei ex ærario publico numerarentur, eáq; omnis pecunia, quę ex solutione militum in confinijs stipendia merentium esset residua, adderetur. Insuper laboraturos se polliciti, vt bona aliqua stabilia, si cubi venalia forent, pro dotatione Collegij huius publicis sumptibus coëmerentur: atque vt hæc eorum voluntas rata fixáque permaneret, eam in tabulas Regni referri iusserunt. Iuuant omnes boni ad alendos conseruandósq; Socios, præcipuè Zagrabiensis Antistes, qui in vino & pecunia centum aureos quotannis nobis se daturum promisit: qui & hoc ipso anno delicias tritici & siliginis, quæ ex Zagrabiensis ciuitatis solo colligi poterant, nobis assignauit. Sereniſſima Archidux Maria Anna cum alijs amicis sacellum ditare inexhausta liberalitate pergit.

XXI. VIXERVNT Nissæ magna anni parte Nostrorum quatuor, qui numerus ad duos deinde minuit. Et quidem repererunt Nostri totam Silesiam hæresi infectam, si paucas reliquias exceperis, quas DEI bonitas, magno sanè miraculo, in tanta viuendi libertate, tantóque neglectu religionis conseruauit. Passim Hæretici non solùm iure ciuium donati, sed etiã præcipuis aulæ officijs & dignitatibus sunt præfecti. Quo factum, vt etiam hæc ciuitas hominibus furioso

Calui-

Digitized by Google

Caluino plenis scateat, qui veneno suo populũ bonis Pastoribus destitutum aspersêre. Serenissimus ergo Carolus Austrius officium boni Præsulis aggressus. egregia quædam pro Religionis augmento præstitit, præstitissétque plura, nisi libertas ab Imperatore extorta impedimentum fuisset. Nissenses enim eo feruore animati, & templum & scholas ædificandi potestatem sibi fieri petunt; & dum responsum præstolantur, minas vomunt, Magistratui insultant, aulam magno numero cingunt, & tãtùm non vim ipsi Sereniſſimo inferunt. Quin Wratislauiam ad Principum & statuum regni conuentum auxilij gratiâ confugere ausi, pro auxilio grauem admonitionem retulerunt, vt fidei, quam legitimo Principi deberent, essent memores; obsequium præstarent illi, cui iuramento se adstrinxissent. A fide dignis relatum est, illos pollicitos à templi petitione se cessaturos, dum Sereniſſimus Iesuitas à se dimitteret. Nec hi solùm contra nos pugnârũt, sed alij etiam religione quamuis Catholici, conditione Ecclesiastici, qui Principi, vt in his turbis Patres Hæreticis exosos à se expediret, suadebant. Verùm alia fuerunt illi consilia: & DEVS Nostros fouere magis, & varijs passim collectis manipulis solari voluit.

XXII. CONCIONES ergo magno semper concursu habitæ; quibus calicis maximè vsus improbatus, difficili conatu: sibi enim persuasum habent, se vnà cum calice Religionem mutare; atque adeò perinde est illos ad alteram tantùm speciẽ, atq; ad Ecclesiam Catholicam reducere.

Digitized by Google

Sexaginta circiter apud nos ſpecie panis contenti primò cõmunicârunt : ſexcenti in Cœnâ Domini Sereniſſimo Præſule exemplo ſuo præeunte. Eodẽ die idem Præſul in curia ciuitatis duodecim pauperibus pedes lauit, epulũ dedit, ipſe actor, ipſe miniſter. Diebus rogationum ſupplicationes tantâ ſunt frequentiâ celebratæ, vt aliqui ægrè lachrymas continerent, videntes puſillum olim gregem tantum incrementum ſumpſiſſe. Spiritus ſancti Ferijs quadringenti triginta ſacro Chriſmate ſunt inuncti. Cetera Catholicorum omnia hîc virent, vigéntque.

XXIII. VETERANI Domûs Brunenſis dignam ſuo nomine operam præſtitêre. Ad Eccleſiæ Catholicæ gremium viginti quinq; pellexerũt: tres inter eos nobili proſapiâ oriũdos. Confeſſiones generales exceperunt ſupra ſexaginta. Militum à Prouincia conductorum, & hîc æſtiuantium cohortes quinq;, quibus licuit modis, adiuuerunt. Et licet difficilia ſint tẽpora ob impenſas, quæ in militem fiunt, non deſunt tamen, qui largitionibus ſuis pauperum ſtudioſorum inopiam leuẽt. Vtilis multis fuit inſperata cuiuſdam adoleſcentis, ſed felix mors. Is ciuis Brunenſis filius in autumnalibus vacationibus Olomutio huc in patriam profectus neſcio quo caſu brachiũ luxauerat, venámq; ruperat. Decumbit, & ſpatio octo dierum abſumitur. Vltima nocte horrendo, ſed ſalutari territus eſt viſu. Nam à lacertoſis gigantibus lõgiſſimæ catenæ alligari, atq; in obſcuriſſimam ſcrobem cõpingi ſibi viſus eſt. Inclamat opem parentis ad lectum aſſidentis, vt catenam ſoluat,

Digitized by Google

ſoluat, alioquin de ſe actũ. Parens vtpote hæreticus ex hæretico codice aliquid prælegere orditur. Iuuenis alia omnia negligit; *catenam* ait, *catenam eſſe rumpendam, ſi ſaluum ipſum cupiat.* Interquieuit deinde horæ circiter quadrantem: tunc ad parentẽ cõuerſus; *Hem*, inquit, *iam noui, qua catenâ trahar in illud Barathrũ, ſcelerum videlicet. Olomutij enim ſingulis hebdomadis confiteri de peccatis ſolitus ſum, cùm hîc à tribus iam hebdomadis id nunquã præſtiterim.* Ocyus ergo Sacerdotem noſtrum acciri iubet, quem cum lachrymis ex Collegio parens ipſe educit. Quo viſo veniam petit adoleſcens, quòd ex chartâ ob brachij luxationem animi maculas reddere nequeat. Inde auditus diu non ſuperuixit; quem & Sodalitas perquam honorificè extulit, & Noſter concione funebri non immerentem dilaudauit. Ipſimet eius parentes, antequam efferretur, agnouerunt diuinitus ſe hac immatura vnici filij morte puniri, quòd illum ex ſinu Muſarum amouere decreuiſſent, ne alicui ſe familiæ religioſæ adiungeret.

XXIV. BEATVM noſtrum IGNATIVM propitium habuit vxor Illuſtriſſimi Domini Ladiſlai Bercæ: quæ cùm in primo partu periculosè laboraret, & iam omnes tam de matris, quàm de infantis ſalute deſperâſſent, venit in mentem hũc Beatum multis in tali caſu opitulatum: proinde ſe ſtatim illi voto obſtringit, eadémq; hora multùm expetitũ parit filiũ. Mox nobis altaria duo præclaro tum picturæ tum ſculpturæ opere ad templi latera erexit; in quibus vltra duo Philippeorum millia inſumpta.

MIS-

Digitized by Google

MISSIO TRANSILVANICA ET ZAKMARIENSIS.

Anni CIↃ. IↃC. X. & XI.

XXV. PRINCIPIO anni decimi supra millesimum & sexcẽtesimum duo Societatis Patres in Transiluaniam ad excolendam Domini vineam, quam ferus aper depastus est, expositi fuêre. Vnus eleemosynis bonorum virorum alitur Albę Iuliæ in sede Principis, in veteri Societatis Collegio resedit, concionésque in æde sacra habuit: ex quo tamen loco disseminandi diuini verbi, & Sacramentorum administrandorum causâ ad alia Prouinciæ loca eidem crebrius excedendum fuit. Alteri apud Illustriss. matronam summi viri Stephani Criaki relictam in arce Somlio finitimis Vngariæ finibus sita manẽdi potestas facta est. Præter hos fuit Episcopus, qui, tum vt disciplinam Ecclesiasticam solutis quorundam Sacerdotum moribus deprauatam suæ dignitati & sanctitati restitueret, tum si non penè extinctam, certè multum concisam Religionẽ ad veterem splẽdorem erigeret, vigilantissimus Præsul scholas, quæ bonarum artium iuxta ac virtutum essent emporium, instituendas censuit. Et erant secundo conatu primordia laborum iacta; iam enim bonam & maturam iuuentutem è Sicilia asciuerat, cuius tam alendæ quam docendæ in se curam receperat, quam etiam per Magistrũ humaniorum literarum peritum ijsdem literis imbui informaríque curabat: sed quo olim Sacerdotio, & sacris officijs humana & diuina rerum

Digitized by Google

rum cognitione ei muneri necessaria magis idoneam redderet; ad P. Prouincialem Austriæ literis datis Episcopus vnum orat, qui docendis, & formandis in Transiluania Sacerdotibus operam impendat. Id cum & multum è re Prouinciæ esset, & Catholici Magnates probarẽt optarẽtque ea potissimum de causa ad priores duos Patres mense Februario anni dicti submissus est tertius; & quia sic rerum status exigebat, habitu ad ceterorum Prouinciæ Sacerdotum morem adornato. Sed inimicus bonæ sementi patrisfamilias insperſit lolium. Ecce enim proximo Martio à Principe Transiluaniæ Gabriele Bathorio & nobilibus Caluinianis contra Proceres Catholicos & Sacerdotes noua concitatur tempestas; quæ qua de causa & quantum sæuierit, ac quomodo cum Episcopo duos nostros Patres exturbârit, alijs litteris expositum est.

XXVI. Hic illud referendum fuit. Tertius nostrorum, qui in patrocinio laudatissimæ Dominæ Cziaki erat, vt etiam è Transiluaniæ finibus extremis omnino se reciperet, in Comitijs Prouinciæ sancito articulo nominatim à Gabriele proscriptus fuit: & erat ei ex illo Euripo abeundum, ni eiusdem Dominæ Cziakinæ frater Catholicus Paulus Veseleni apud Gabrielẽ, cui inter primores est à cubiculis & thesauro, multis egisset, ac tãdem impetrâsset, liceret vel seni Patri apud charissimam sororem saluum in officijs consistere. Is igitur vt ex priori sententia animũ Principis flexit, apud nobiles, quos inter Pater versatur, securam ei mansionem dato diplomate fe-

Digitized by Google

te fecit. Ita factũ est, vt ceteris sacerdotibus vel expulsis vel afflictis, is in statione perseueret, atque in matura senecta in vineâ Dñi opus diligẽter faciat. Loci, in quibus eius opera excurrit, duo sunt illustriores. Vnus Somlio: hic sacris diebus Paschæ anni vndecimi Pœnitentiæ sacramento renouati & sacro epulo refecti sunt circiter quingenti; ex his nunquam cõfessi, & ad Ecclesiam reducti viginti: iurgia coniugum composita. Vnus annos natus viginti quinque sacro fonte ablutus, infantes multi eodem ascripti cœlo. Hæreticus cum morbo & morte colluctans misso nuntio rogauerat Patrem, velit ex Somlio in vicinum pagum ad ipsum excurrere, eiusque animæ suppetias in extremis ferre: sed cum iustæ causæ Patris iter præcluderent, & alia ratio iuuandi deesset, scriptionem misit, qua monuit edocuitque hominem in fide Catholicæ Romanæ Ecclesiæ diem supremum obeat, ac cum proposito ardoréque confitendi dolorem peccatorum in se quam maximum concitet. Ille cum à tabellione institutionem, quam ei detulerat, legi audijt, magno sensu animi se & Catholicum mori & Sacramenta Ecclesiæ suscipere velle professus tranquilliore animo expirauit.

Alter industriæ & virtutis locus est castrum Adorian, quod cum duabus leucis à Varadino absit, tum Catholici Varadinenses, qui bono sunt numero; tum qui in vicinis circumfusi sunt pagis, ad Patrem in Adorian (quando alius nullus est Sacerdos, nec ei Varadinum aliáque loca adire licet) Sacramentorum & Solatij spiritualis re-

Digitized by Google

lis recipiendi causa recurrunt. Cum ad finem anni eiusdem Princeps ex Transiluania Varadinum se contulisset, ex nobilioribus aulæ eius familiaribus ad Natalem Domini cum pietate colendum in Adorian ad Patrem Varadino sexdecim cõfluxêre, & hi pene omnes pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramẽtis admoti. Eodem tẽpore conuersi ad fidem nostram quatuor, quorũ vnus sumæ nobilitatis, duo Caluinianorũ ꝓcaces fuerunt Magistri. Atq; hæc in Trãsiluaniæ partibus.

Porrò ad Zakmariensem missionẽ, quæ Transiluanicæ finitima fuit, veniamus. Est Zakmar vnũ ex primis Vngariæ pręsidijs, loco plano, duplici aqua cinctũ, quinq; summis propugnaculis abunde amplum, re omni bellica & tormentaria instructũ. amplissimus terrarũ tractus, qui ponè fluuios Zomos & Tibiscũ est longè latéq; fusus, ei adiacet. Quod verò dolendum, nullum in his oris est templũ Catholicum, nullus Sacerdos, sed hæresis Caluiniana vbiq; dominatur. Ex hoc prę sidio Zakmariensi Rex Vngariæ dimisso nuper Duce Caluiniano, ei cũ sumã auctoritate ex antiquissimâ Magnatũ Vngarię familia Illustr. Dñm Andream Docy Catholicũ præfecerat: qui vt eò venit, nihil magis in votis habuit, quam aliquẽ è Patribus Societatis à sacris sibi adesse; quod & literis à P. Prouinciale petijt & impetrauit. Quare illorum duorum Patrum, quibus è Transiluania discedendum fuit, alter post longos viæ errores sub autumnum anni decimi Zakmarinum se contulit: quò cum Docius Patrẽ deduci curaret, ne à militibus Haidonibus ad omnẽ licen-

Digitized by Google

licentiam vitæ proiectis, qui circa Zakmar domicilia fixerunt, vitæ discrimen adiret, Pater togâ Vngarica induendus fuit. Nec tamen defuit periculum. Nam ab vno comitum minus fido quibusdam militibus in via proditus est: cui tamen cum illi nocere non possent, eum, qui Patris ductor erat, multum vrgent & promissis onerant, futurum vt liberalem mercedem à Gabriele Batthori sit reportaturus, si modò Patrem influentem aliquem præcipitem ageret, séque in Transiluaniam reciperet: verum ductor quod Catholicus esset, ab hac vesaniâ longè abhorruit. Transmisso igitur Tibisco Zakmarinum, vt Pater venit, ne quid turbarum suâ præsentiâ apud eos homines, quibus vel ipsum nomen Papistæ exosum est, cieret, Docius primos militiæ & loci Duces accersit, eósque commonefacit se Catholicum esse, cui suæ salutis cura incumbat: idcirco aduocauisse Sacerdotem, qui sibi concionibus & sacris adsit, cum liberum ibi Religionis Catholicæ exercitium possit curare. Videant proinde, ne Catholici Sacerdotis præsentia siue apud vulgus siue Prædicantes rixarum & tumultuum fomitem ferat. Illi monitis se morem gesturos promittunt. Quia verò templum deerat, ædes domestica ad rem diuinam agendam adornanda fuit. Hic conciones habitæ ad paucos: quibus cum plerique hæreticorum etiam libenter aures præbuissent, illos tam ab his, quam à familiaribus Patris Colloquijs Caluinianorum Magistri diris terriculamentis coercuerunt: quin ex cathedra vnus grauiter in eos debacchatus est,

qui

Digitized by Google

qui Catholicos peregrè venientes vel hospitio reciperent, vel domi suæ moram trahere sinerent. Aderat in Zakmar à Rege, cui est à consilio, missus Legatus, qui IESV CHRISTI è cruce fix effigiem argenteam in mensa sibi spectandam proponere solebat. Nobiles qui eum adibant, visa ea effigie certo nuntio aperiunt, eam non libenter à se videri; quæ si à mensa remoueretur, forè, vt frequentiores eum accederent. Ita in hac hæresum lerna vel ipsa imago Christi est sudes in oculis. Confessiones auditæ in hoc sterili solo circiter quinquaginta. Vnus supplicio afficiendus propè mortem ad fidem vocatus, & diuinis Sacramentis est munitus. Funus item nobilis iuuenis, qui Nostro præsente piè è viuis excesserat, fuit occasio, vt publico loco verba faceret ad nobilium ciuiúmque multitudinẽ, qui honoris causâ inuitati aderãt, quorum aliqui eo curiosius confluxerant, vt quem cõcionaturum inaudierant, viderent, quale frustum hominis, qualeue mõstrum esset Sacerdos Iesuita. Fuit is, si non alius, eius dictionis fructus, quod ex ijs auditoribus plerisque, qui Catholicum docentẽ nunquam audiuerant, clementius & melius de Catholicis, eorúmque doctrina sentire cœperũt, atque etiam palam iactare, se vel ex vnius cõcione plura, quam ex decem suorum Prædicantium hausisse. Et profectò nisi pedicæ ijs essent iectæ; siue futuri mali nescio quis timor, gloriæ vé caducæ amor, non vsque adeò abhorrerent à diuini verbi seu auditione seu fructu.

Digitized by Google

Leguntur in huius Prouinciæ censu Socij Quadringenti septuaginta. Vnus desideratus. Viginti sex ad Societatem designati.

	Vniuersim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholast.*	*Adiutores.*
Ingolstadij leguntur	CVII.	XXIIX.	V.	LIX.	XV.
Dilingæ	XXXVI.	XXIV.	IV.	II.	VI.
Monachii	LXVI.	XXXV.	V.	XI.	XV.
Augustæ	XXXI.	XIV.	V.	IV.	VIII.
Oeniponti	XXII.	XII.	IV.		VI.

Digitized by Google

	Vniuerſim.	Sacerdotes.	Præcept.	Scholaſt.	Adiutores.
Halæ	XVI.	VIII.	II.		VI.
Lucernæ	XIIX.	XI.	II.		V.
Friburgi	XXIV.	XII.	IV.		VIII.
Ratiſponæ	XX.	XI.	II.		VII.
Bruntruti	XIX.	X.	II.		VII.
Conſtantiæ	XX.	XI.	III.		VI.
In Tiroc. Landſperg.	LVII.	IX.			XIV.
In Sed. Eberſpergæ	X.	V.		I.	IV.
In Sed. Oetingæ	X.	V.			V.
In Sed. Biburgi	VI.	III.			III.

Digitized by Google

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
In Sed. Valeſiæ	VI.	IV.	I.		I.
In Sed. Danowerdæ.	III.	II.			I.

Catholicam fidem, hæreſi poſitâ, edocti trecenti ſexaginta.
Factæ de omni vita confeſſiones ſeptuaginta duæ vltra ſeptingentas.
Aſceticis noſtris vacârunt vnus & triginta.
B. N. Ignatius optatam ſanitatem nouem præſtitit.
Ab immminenti exitio erepti quatuor.

Digitized by Google

COLLEGIVM INGOLSTADIENSE ET RELIQVA cum suis Sedibus & Missionibus.

I.

NVLLO FERE tempore per annum paulò sacratiori ædi nostræ Ingolstadianæ defuit frequentia & cultus. Quindecim Catholicis adscripti sunt, si septem illos annumeres, quos Biburgana Sedes adiecit. Tres à præsenti, quod sibi moliebãtur, exitio salutaribus præsidijs erepti. Ciuis vnus comessationibus in perniciem etiam aliorum deditus ad frugem, Dynasta nobilis ad pacem cum suo Paroeco paulò ante mortem reuocatus est. Disciplina cœtus Mariani inter Sodales maiores periclitata proscriptis factiosis reuiruit: Minorum pietas maior fuit. Henricus Canisius V.C. & iuris diuini, quod vigesimum annum in Academia tractauit, consultissimus, argentea vasa sesquicentum aureis æstimata templo nostro legauit; qui tactus neruorũ

Digitized by Google

stupore in æde nostra, cùm rem diuinam pro more audiret, octiduo pòst expirauit. Idem & Bibliothecam nostram codicibus centum aureorum instruxit; vt meritò vel propter nomen etiam Canisiorum, & communem familiam aliqua mentione fuerit honorandus.

II. DILINGÆ è curriculo Theologiæ, quam audiebat, ad cœlestem metam peruenit Adamus Gentilius, tabe lenta sensim exhaustus. Natus in ferraria officina, & in incudem puer suetus tundere, diem litteris, tenebras foco consecrabat; dum in Societatem admissus ab innocentia & patientia noscí cœpit. Septemdecim hìc sectam peruersæ religionis cum Catholica permutárunt: vno plures de emendanda præteritæ vitæ ratione ad B. IGNATII regulas cogitárunt. Pia ciuium studia auxit hoc anno publica fortè exorta trepidatio, quæ ex militis ingruentis rumore non penitus vano creuit. Accepto enim de hostium aduentu nuncio, tanti repentè ad ædem nostram concursus fieri cœpti sunt, ac si eodem classico ad vltimum tribunal citarentur. Cúmque ciuium maior ac potior pars conuasarent, certatímque demigrarent, passim increbuerat, Nostros vel inter primos stationem deseruisse, aut propediem deserturos. Quos tamen vbi contrà perstare, consuetáque Societatis munera alacriter prosequi viderunt, incredibile dictu est, quàm eà constantiâ omnium nobis studia sint conciliata. Contubernium interim iuuentutis, & Academiam terror ille dissipauit, cùm alij à suis domum

Digitized by Google

mum extra belli aleam auocarentur, alij ab hospitijs præsidiario milite recepto excluderentur. alij vnà cum patribusfamilias fugitarent. Conclamata igitur res de recuperando pristino Academiæ splendore & numero videbatur: auditoria VI. Idûs Octobr. de more clausa, IIX. Calend. Nouembres raris adhuc auditoribus reserata, adeò quidem feliciter, vt intra mensem non solùm iustus numerus censeretur, sed flos ipse iuuentutis omne priorum temporum desiderium extinxerit.

Alicubi S. Benedicti familia à collapsa laborabat disciplina: eò vocatus Noster quoad eius fieri potuit, sarta tecta curauit. Eluangæ quoque præter alia multa laudabiliter gesta, vndecim in fide Catholica instituti sunt. Ad noui templi nostri, quod Dilingæ molimur, exædificationem, extra communem pensionem contulit Episcopus Augustanus aureos mille supra quadringentos: centum ampliùs aliunde collati: materiam copiosam & saxum suis iumentis conditor ædis idem Episcopus per hyemem & æstatem aduehi curauit, cum quo ciues pro sua quisque facultate certare visi; sed quam maximam Antistitis beneuolentiam existimamus, quod cùm hoc anno Augustam Vindelicorum Prouinciale Præsulum & Curionum conuentũ indixisset, Nostros non abesse voluit; quorum consilijs plurimum se confidere declarauit.

III. TRADVCTI Danowerdæ, perturbatis quãnis temporibus, ad Catholicam professionẽ triginta quatuor supra centũ. Copiosa turba, si iniquitatem

Digitized by Google

quitatem temporum consideres. Mendax enim fama non parum conatibus nostris obstitit, quæ sparserat oppidum expignoratum intra quartum mensem ad Democraticam libertatem rediturum; quam vbi tempus vanam esse ostēdit, successit alia, vim parari, armísq; rempublicam hæreticam recuperatum iri. Quibus nuncijs exultare aduersarij, nobísque omnia vltima interminari; ij etiam, qui iam frugi esse cœperant, languere, aliósque, ne meliora consilia capesserent, absterrere. Submissus interim è cœlo, vt videbatur, homo agrestis, & linteo solo tectus, distentis in crucis modum brachijs, vt voti reus aduenerat, in medio foro in genua procumbens, cœpit attonitam plebem obsecrare & obtestari, per quicquid sacrum sanctúmq; haberent, tandem aliquando resipiscerent, DEVMQ; sequerentur, & Magistratibus obtemperarent, priusquam in vltimum exitium raperentur. Ex ijs, qui manus dederūt, fuit quidam opibus & auctoritate pollens, cui de nocte Christus in promissa pellucidáque veste adstare visus est, compellaréque, ecquid tamdiu contra stimulum calcitraret. Id vel somnij vel oculorum ludibrium non fuisse declarauit res ipsa, cùm intempesta adhuc nocte accersitum Nostrum rogauit, vt in censum Catholicorum referretur: relatus proximo statim mense feliciter decessit. Confessio viro cuidam contra furias, feminæ B. IGNATII lipsana contra phrenesin appensa saluti fuêre. Ad CHRISTI Ramalia veteres Ecclesiæ cęremoniæ duobus ferè sæculis hîc intermissæ isto demum anno sunt

resum-

Digitized by Google

resumptæ. Instaurata quoque desita supplicatio Eucharistiæ per templum singulis hebdomadis circumlatæ, quam olim celeberrimam fuisse ex Pontificum & Cardinalium tabulis in Chartophylacio repertis cognouimus.

IV. DEDICATÆ Monachij ac palàm appensæ quatuor in templo nostro tabulæ Bl. IGNATII, Xauerij, Aloysij, & Stanislai pietatem frequētissimi populi alere mirificè solent. Et à B. quidem IGNATIO nostro multa præclara inter ciues patrata perhibētur; vnius vel alterius tantùm meminero. Matrona non obscuro loco nata quater iam mortuos enixa fuerat; cùm quintum parturiret, hydrope corripitur, eóque fœtus suffocatur: alterum iam & ipsa funus, cùm animū subit cogitatio ad sacellum B. Patris proficisci, quod in agro suburbano visitur: quo facto & onere & periculo liberata, votum sana persoluit. Ad eandem ædiculam cùm puella quædam à medicis iam depositа se deuouisset, conualuit.

Cæterum auctores fuêre Nostri hoc anno, vt ob ingruentes belli procellas totâ Boicâ supplicaretur; quæ quidem preces Monachij apud nos cœptæ ac statis deinde interuallis in orbem repetitæ, ducentas horas tenuerunt. Virum nonpium minùs quàm copiosum rogârat fortè Pater, vti duos malè tectos pauperes Christi gratiâ vestiret. Ille vix rogari se passus, ita non abnuit de duobus, vt septuaginta insuper de pauperiore plebe homunciones imperârit de suo vestiēdos. Cerdonis fortè puerum inquietabat præter ceteros haud vani timoris spectrum, eúmque tarta

Digitized by Google

reus hostis aliquoties inuaserat, semel præcipuè, cùm duriusculè à Magistro acceptus perturbatúsque decubuisset: tum enim prope cubantem spectabilis suadere cœpit suæ vitæ compẽdium, vt faceret seu laqueo seu cultro; cùm neq; homines auxilium ipsi præstare possent, nec superi vellent. Exanimatus ferali aspectu puer crucis signo aliquanto se tempore defendit. Et mensem ampliùs durauit ea intemperies, vt nunquã solus noctu esse auderet: donec ad nos perductus, ritéq; expiatus, quietem pristinam recuperauit. Sodalitati Marianæ in duas adhuc classes distributæ, accessit nuper tertia ciuium, cum magno, vti se dant initia, multorum bono: ea censetur hodie capitum nonaginta. Institutum etiam est rogatu Monacensis Cleri, vt è Nostris vnus ad priuatas vrbis scholas diebus Veneris de doctrina Christiana diceret bono successu.

V. EBERSPERGÆ templum detersa vetustate in nouum splendorem vindicatum est. Inibi Serenis. Guilielmus duas spinas coronæ illius, quam Seruatori nostro implexam credimus, dedicauit, rémq; cereis ac tabulis claram reliquit. Ara summa facta atque erecta est aureorum nummũm millibus tribus, pegmate visendo.

VI. OETINGAM velut ad sacrum quendam gratiarum mercatum, ex omni circumfuso orbe cõcurritur. Et cùm domi peregrinorũ multitudine sæpe tantùm non opprimantur Nostri, foris tamen oppida, castra, pagos lustrare indefesso labore non cessant. Operas interea Serenis. Leopoldus

Digitized by Google

poldus Austrius commeatu instruxit, qui vini cados misit quinquaginta.

VII. TRES & triginta Augustæ Vindelicorum ab Hæreticis ad Catholicos secesserunt. Maritus vxori hæreticæ quorūdam improborum familiaritate (quòd feminā in errore confirmarēt) interdixerat; *Caueas*, inquit, *illa & tu tibi à tuis Iesuitis & Capuccinis:* & mox cum dicto exanimatæ similis è subsellio prolapsa concidit, triduúmq; totum muta, ritu feræ fœdum in modū eiulauit. Actum cum Magistratu, vt ergastulariis commodiori loco haberentur: feminæ item, quæ in diuerso carcere impudicitiæ suæ pœnas dāt, omni cura adiutæ: pacta nuptiarum inita contra Ecclesiæ auctoritatem rescissa. Virgo illustris & religiosa medicorum iam desperata ope B. P. IGNATII appensis lipsanis postridie conualuit: vnde & ipsa eidem suam vitam acceptam refert. Ad comitia Pontificis Augustani, quæ III. Nonas Octobres celebrata sunt, dixêre Nostri vernaculâ & latinâ: pari fructu Ecclesiastes Noster religiosam familiam: Andecensem Montis sancti adhortatus est, vt protinus ab omnibus sine sententiarum varietate conuentum sit in eo Præsule eligendo, de cuius prudentia & pietate meritò nunc sibi gratulantur.

IIX. OENIPONTI errores ab Ecclesia damnatos dedocti sunt hoc anno quinq;. Virginis illustris magníque ingenij memorabilis est ad rectam doctrinā reuersio. Capiebatur illa mirâ sciendi cupidine, & in quascumq; chartas seu probas

bas seu improbas incideret, auida lectione deuorabat. Reiecerant incauti parentes codices nonnullos veneno tum Lutheri tum Caluini aspersos in extremum domûs angulum, ad quos tamen curiosa virginis sagacitas indagine peruenit, & velut ingenti thesauro sapientiæ reperto, execratas paginas Catholica puella rapit, voluit, miratur, exosculatur, adeóque mentem sceleratis opinionibus inficit, magis tamen in Caluini dogma propendet. In hoc statu non paucos peregit annos, cùm tandem meliore mente diuinitus iniecta cœpit animaduertere, quàm prope ab inferis abesset. Ad Asylum ergo generis humani DEIPARAM Virginem confugit, sacráque ex officio ipsius preces quotidie per sesquiannum attentè legit. Tum conscientiæ stimulos diutius non ferens aperit propinquo animi sui morbum. Illi Patrem Societatis nominat; cum quo illa dies multos egit, & viginti quinque Catholicæ doctrinæ capita vehementer oppugnauit; tandémque pulsis tenebris illustrata, Fidem Romanam in Principum & illustrium virorum corona publicè recitauit. Hæc ab animi, illa à corporis etiam malo per piacularem confessionem sacrúmque Christi Corpus est curata. Famulam agebat in arce suburbanà, & sub noctis crepusculum nescio à quo laternario mõstro ita occupata constrictáque est, vt sanguinem & naribus & ore reiectaret. Clamantis vox domesticos tum cœnantes aduertit, qui exanimatam protrahunt, & Sacerdotem properè accersunt. Noster ægrè spirantem offendit, sacrum cereum accen-

Digitized by Google

accendit, agnum cœlestem à collo suspendit, signo salutis communit: interim voce sensim redeunte ad confessionem hortatur, audit, & dum synaxis affertur, oleo sacro inungi iubet: omnia fiunt, omnia prosunt: intra paucos enim dies salua & incolumis ad ministeria solita iterum se accinxit.

IX. Hvc pertinet iam expeditio Vinscouiana, in qua multa, quæ ad Sanctorum vsum spectabant, sunt correcta. Exomologeteria ad nostram formam in templis posita. S. Sebastiani Sodalitas dudum desita postliminio instaurata. Viuentes ex S. Dominici legibus Virgines pijs adhortationibus ad religiosam charitatem impulsæ. Nostris etiam suas noxas aperuerunt. Fuit item Episcopus optimo exemplo totam vitam recognoscendo, mox vt dicebat æternitatis viam ingressurus. Desultores religionum ad sua claustra post multos annos remissi.

X. HALENSE nostrum templum Sanctis omnibus postridie Calendas Maias summa celebritate dedicatum est. Festam cæremoniam Principes Austriaci quinq; vnà cum Marchione Burgauiæ eiúsque Illustrissima coniuge auxerunt. Instrumentum ædis sacrum à Sereniſſimis Græcensibus paratum fuit decem millium aureorũ. Contulerunt & alij sua vota aureorum ampliùs octingentorum. Addidit & ipsa DEI bonitas religionem loco, cum ex voto honesta matrona ophthalmiâ laborans, vsum oculorum, quem nullum ferè habebat, recepit. Creuit itaque pietas ciuium hîc cum templo, quando ferijs proximis

mis Pentecostes centum superauêre numerum præteritorũ annorum Cõmunicantes. Proscripti non pauci libri improbi, & Vulcano traditi; cui negotio operam præclaram impẽderunt censores à Pontifice Brixiensi submissi, quos & Noster Ecclesiastes pro concione non parum adiuuit. Nobilis in vrbe femina decennali imbuta odio Germanum fratrem detestabatur, non sine publica offensa: in qua emollienda tam diu laboratum à Nostris frustra est, dum ipsum Numen partes sequestri sibi sumpsit, morbóq; correptã morti destinauit. Cùm itaq; sub testibus iam ignouisset, sensuúmque officio destituta luculentum miseriæ humanæ per aliquot dies spectaculum foret, frater domum interea redux, de omnibus à Nostro certior fit, persuasúsque sororis ædes contra iuramẽtum, quo illas detestatus erat, cum Nostro ingreditur, humíque prouolutus, animam iam agentis manus stringens veniam rogat, morientémque lachrymis charitate plenissimis prosequitur.

XI. MAGNA LVCERNÆ molestiâ liberati sunt Nostri, coẽpta videlicet mille nongentis aureis cauponâ Collegio contiguâ, quæ gemino incommodo nos afficiebat; & quòd spatia domûs proferre non licaret, & quòd aures nostræ perpetuis ebriorum vociferationibus personarent: nunc in religiosiorem vsum destinata patientiæ nostræ fructum persoluet. Quadraginta horarum comprecatio extremis Liberaliorum diebus nunc demum hîc etiam initium sumpsit: quæ ad septingentos sacræ mensæ con-

uiuas

Digitized by Google

uiuas habuit. Sedunense Canonicorum Collegium è D. Mauritij militia sacras aliquot reliquias, & ciuis Lucernensis ex eadem cuiusdam ceruicem templo addixit; quæ Sereniſſimi Boiorum Principes Albertus & Magdalena illustribus thensis vestiêrunt. Ad Orthodoxam Fidem ex hæreticis nouem adduxerunt Lucernenses: qui autem in Valesia Noſtratium versantur, ij per auia & inuia sanæ fidei dogmata vulgant, præcipuéque aduersus Diaboli conatus deuotissimo nomine IESV multùm se posse experiuntur. E rupe se in pagum demiserat quidam empturus vxori puerperæ congium vini: deprehensus ibi à nocte, rogatur à germano suo obnixè, vti ad se diuertat: sed nonnihil potus ille recusat, & iratus se vel mille Diabolis ducibus domum eodem vesperi reuersurum affirmat. Adest igitur repentè procerâ staturâ cornutus vector, & infelicem subit spectante fratre: qui territi cùm aliud non haberent, quo se defenderent, nomen salutis inclamant: ad quod Diabolus, quid, inquit, opus mille, cùm vnus asportare te possim: quo dicto pedibus se atque oculis subduxit.

XII. TRIGESIMVS hic est annus cùm Friburgum Societas ingressa intra modici sacelli angustias se continuit: atque hoc demum ex tenebris illis enixa in templum D. Michaëli sacrum immigrauit. Doctrinæ Christianæ à Noſtris promulgatæ morigeros se præbuerũt ex hæreticis quatuor & viginti. Et mos Friburgi à longa an-

Digitized by Google

ga annorum memoria irroborauerat, vt primâ Cineralium Dominicâ aræ execratæ Baccho ponerentur, quas grauissimum Senatûs decretum hoc anno euertit. Vt haberet tamen populus, quo tam otioso tempore occuparetur, magno apparatu Musæum Gymnasij supremũ, vbi pro auditoribus facere solemus, ad sacras quadraginta horarum preces extruximus. Ingens fuit populi accursus. Et fortè acciderat, vt Duum virûm alter paulò serius à comitijs Badensibus Friburgum rediret, qũi vt suis quoque partibus satisfaceret, relictis ad fores ædium equis cum Senatore natu grandi, vt erat ocreatus ad cõmunia supplicantium studia aduolauit, & finem pompæ, quam concio præcesserat, lætus admodum spectauit. Cæterum B. N. IGNATIVM & Petrum Canisium pari ferè cultu venerantur Friburgenses, non dispari etiam commodo. Hæserat feminæ cuidam, quæ iam antè ægritudinem implorato Canisio depulerat, fragmen ossis in faucibus: quæ cùm nullam mali expediendi viam inueniret, Canisium ingeminans extemplo curata est. Quin ipsa quoque ciuitas tanto Patris huius pignore seruatam hoc anno se putat à circũgrassantis lue pestis. Affixerat lecto vis morbi grauis adolescentem, & mente destituerat, vt aliena & mira deliramenta loqueretur, nisi cùm Confessarius adesset & preces ex formulis P. Canisij recitaret: tum enim collegit se, & precantem secutus quasi per interualla sapiebat. Monitus, vt de peccatis cõfitendis cogitaret, & cum B. IGNATIO Canisium quoque in vota religiosè

voca-

Digitized by Google

vocaret, paruit æger, vota concipit, & confessionem à primis annis repetendam promittit. Nocte, quæ illum diem secuta est, per speciem adolescenti obiecta est Beatissima VIRGO, luce magna coruscans & duobus è Societate Patribus vtrinque stipata, his eum vocibus compellauit; *Nostine adolescens, qui latus meum hinc & inde cingant?* ille verò dum hæret dubius, videt sibi ab altero, quem B. IGNATIVM credidit, vestem detractam induendam offerri. Ad mentem igitur reuersus non multò pòst votum confessionis faciendæ persoluit, rem vt gesta est, Sacerdoti aperit, & ex eò Societatis institutum animo complexus est, in quo constans, adhuc hodie perseuerat.

XIII. FRIBVRGO Ventonâ tres è Nostris Antistitis Sedunensis inuitatu profecti sunt, ibique scholam tam Christianam quàm Latinâ docent: eóque iam progressi sunt, vt ad confinia hæreticorũ penetrauerint: quæ res adeò torsit impios, vt decreuerit vnus, Nostrum è cathedra concionantem pròturbare, eóque fine se clanculum in sacrarij angulum iam conieceràt: sed vindicte DEO priùs ipsemet è vita exturbatus infelicem animã exhalauit, quàm nefarium facinus patraret. In gratiam tamen nobiscum & cum Ecclesia redière ex eo genere quatuor: & ex centum & triginta discipulis, quos tribus scholis erudimus, viginti quatuor sunt è parentibus Hæreticis nati, qui sacram confessionem obière.

Aditus etiam factus Nostris ad oppidum Landeronum, septimo ferè lapide Friburgo distitũ,

primáq; ſtatim concione effectũ, vt quadraginta ad ſacra myſteria percipienda mouerentur. Mox ad Natalem Domini reuerſi Patres duo, audierunt trecẽtos triginta: non ſolùm à legato Principis humaniſſimè excepti, ſed ſub finem à Senatu ad ſolemne epulũ in Curiam vocati cum illuſtri beneuolentiæ teſtificatione, auróque oblato, ſed pro more noſtro repudiato.

XIV. QVADRAGINTA horarum preces per Liberalia Ratiſponæ quoq; hoc anno ſunt inchoatæ, feliciùs quàm ſperabatur. Sub autumnum veſperarum cantus feſtis diebus in ædem noſtrã eſt introductus. Templo ceſſit lampas ex argẽto ducentorum aureorum: Collegio mille ſeptingenti, quibus æs alienum diſſolutum. Foris in Nariſcorum confinio, quarto ab vrbe lapide, mira res euenit, meritóq; literis conſignanda. Puella ruſtica epilepſiæ obnoxia & ob id in vulgus nota, à vicini pagi encænijs reuertens, dum de via choreas ſpectat, offerri ſibi animaduertit virgunculæ ſpeciem (malus Dæmon erat) vultu quàm hóminis auguſtiore, cultu decenti ſed atro, quæ humerum ſpectantis pulſando, *grandi*, inquit, *cum miſeria tu conflictaris: ſed habe bonum animum, ſi me audis, morbum tibi eximo.* Dictum, factum: atque inſuper puella à Genio Virginis, vt dixi, habitu aſſiſtente edocta id genus morbos in alijs quoq; curare: cùm ſcilicet aquã ægris propinaret ex profluẽte alueo hauſtam, & in ædicula proxima dudum deſerta, ſed hac nouitate rurſum celebri, neſcio quibus carminibus incantatam, orbiculiſque à Genio acceptis imbutam.

Quæ

Digitized by Google

Quæ morborum persanationes latè percrebuerunt, & ad vota multos etiam à longinquo, & primarijs hominibus attraxerunt, multóq; magis, quòd certus precationũ numerus & exomologeses imperarentur. Caliuinianæ puellæ hæreseos detestatio præcepta, si morbo liberari vellet: nimirum ad fallendum eò aptior superstitio visa est, quò pietati propinquior. Re igitur ad Boiorum Principem agri Dominum delata, datum est negotium Ecclesiastico Magistratui, qui videret, ne per speciem pietatis impietas coleretur. Missus illuc Ratisponensis Proëpiscopus, qui secum è Nostris Patrem venum abduxit. Aduentum illius anteuertit Genius Puellæ, qui refert eũ in propinquo loco diuertisse, in eius vitã & acta inuestigaturum: *Verũ age*, inquit, *& aude intrepidam te iudicio sistere: tuta eris meo præsidio, à te ego nunquam discedam.* Producta postea in consilium suo testimonio antegressam famam comprobat; præstigias esse & falsam religionem manifestis rationibus Noster deprehendit: nec illa pertinax in superstitione fuit, quam, quia pietatem, & multorum valetudinis caussam credidisset, coluisset. Quin eadem ista suspecta sibi fieri dictitabat, quòd fides illius cõcideret, qui pollicitus erat in iudicio aduocatum, cùm tamen & se & caussam deseruisset. Exempto errore vnà cum parentibus, & aliã rei gestæ conscià, Patri nostro expiandam se dedit; monitáque malè credula plebs tam per Proëpiscopum quàm Sacerdotem nostrum pro concione, ab ea sibi vanitate vt caueret;

Digitized by Google

quod cùm vna aliqua negligeret (ignorans videlicet damnatam superstitionem) pedíque, quem sacer ignis depascebat, remedium ibi quæreret, superato vix sacelli limine, auulsam compage tibiã sibi animaduertit excidere, miraculo multum à diuinis diuerso; quibus pedes non abrumpuntur, sed restituuntur.

XV. PŒNAM in alio genere stultitiæ suæ alius dedit, ísque ex nostra aliquando familia. Profecti erant verno tempore Socij de more in Bauaricam siluam duo, in qua & septem ab erroribus Lutheri in viam reduxerunt. Ibi quidam ex Palatinatu, qui totus tum hæresi inundabat, sexaginta annos natus ad pedes Sacerdotis nostri accidit, & ratione dictorum factorúmque exactè reddita post confessionem rogatur à Nostro, vnde eam confitendi peritiam illo loco profectus haberet: hîc ille ducto ex alto suspirio, *à vobis*, inquit, *Patribus habeo: heu fui apud vos quondam Coadiutor, in Transiluania dimissus, & in Palatinatu nunc vxori illigatus pretium ob stultitiam fero. Adhuc quidem expiationis gratiã huc ire licuit gratis; deinde vereor, ne maior oriatur difficultas.*

XVI. BRVNTRVTI Gymnasium sæua pestilentiæ lues ab vno quodam inuecta, latéque propagata per ciuitatẽ, dissipauit eo ipso tempore, quo vindemia facienda. Primarij ciuitatis, & ipse Pontifex vrbe cessêre: Nostri per agrum Bruntrutanum sparsi, alij castra nobilium lustrauêre, alij Antistitem sequi iussi, alij in prædium suburbanum concessêre. Interim nihilominus Patres complures, & inter hos ipse Rector in vrbe perman-

Digitized by Google

permansère, populóque certatim ad asylum diuinorum mysteriorum confugienti operam cõstantem nullo declinato periculo impenderunt: sic laborem inter se partiti, vt certi ad contactos iam morbo, seiuncti ipsi à ceteris accederẽt; reliqui in ipsâ æde residentes accurrentibus præsto essent. Ita factum, vt operum piorum vberrima messis ex occasione grassantis mali colligeretur. Socij interim alij, vbicumque locorum erant, quotidie septem Dauidis psalmos de pœnitentia recitabant, vnúmque diem ex quauis hebdomada ieiunio consecrabant, flagris ad propitiandum DEVM in sese animaduertebant, nullo eorum communi lue infecto.

Pórrò reliqui anni fructus præter communes fuerunt Hæretici quatuor & Hebreus vnus nobis adiuncti. Excursum frequenter est: & Neoburgi petitum à Nostris, vt in tabulas referrent insigne quoddam DEI Matris beneficium, puero nondum bimulo præstitum. Anno CHRISTI post millesimum sexcentesimum octauo, ex alto præceps in cellam vinariam, viginti pedibus altam ruit, capútque in transuersum lignum pauimenti tanto illisit impetu, vt calua eo se diduceret hiatu, qui duos facilè digitos caperet, & quod mireris, sub illę sa cute sinciput ferè auerterat se in vultum, oculorúmque orbes non sine fœdo spectaculo condebat, adeóque faciem omnem confundebat: accurritur, vocatur chirurgus: actum esse ille conclamat. Duabus ergo à lapsu horis, cùm mortuum domestici arbitrarentur, mauri primùm significant casum.

Digitized by Google

Adest illa, in genua prouoluitur, & ab astantibus vt vel orationē Dominicam secum & salutationem DEIPARÆ precentur, impetrat. Votum deinde concipit; si sospitem filium recuperet, se die Assumptæ in cœlum VIRGINIS cum sex comitibus, sanóque filio in Kirchoffen peregrinaturam, idque se toties repetituram, dum filius semel per ætatem ipsi VIRGINI sistere se posset. Mox voti damnata mater est, & puer, qui secundam inter & tertiam pomeridianam ceciderat, horâ quintâ eâdem die lætus sanúsque cum alijs cœnauit, relicta tantùm tenui macula in imo crure ad accepti beneficij memoriam.

XVII. ET QVONIAM hîc Neoburgensiū mentio facta est, de Missione ad ipsos à Constantiensibus Patribus susceptâ subijciemus. Colunt illi ad Rhenum in Alsatiæ finibus, apud quos triennio antè aliquamdiu versati, sed auocati sumus, antequam ad maturam frugem proficerent. Hoc anno Parochus inualetudine fatigatus, cùm de relinquēdo munere cogitaret, interrogatus in Senatu, quid de re communi iuuanda sentiret, respondit, nullam sibi viam certiorem & meliorem videri, quàm si Societatis IESV Patres accerserent; hos & iuuentuti salutaria viuēdi præcepta tradituros, & populi mores exemplo vitæ & doctrina emendaturos. Decretum illico ex Parochi sententia, & ad Prouincialem nostrum ablegati, qui Senatûs nomine Societatis operam ac subsidium peterent, locum se eis idoneum, victúmque annuum designaturos.

De

De Collegio & perpetua etiam sede negatum, ad certa tantùm tempora opera condicta est. Acceſsêre igitur duo, tẽpore sanè opportuno; cùm scilicet geminus terror & belli & peſtis circumstreperet. Noſter intrepidus & diuino beneficio defensus ad contactos à lue viſebat: tum præter feminam ab hæresi absolutam Catholicos ritus moréſque in populo feliciter docebat. Idem Horbæ (oppidum est, Illuſtriſſimo Carolo Burgouiæ Marchioni hodie subiectum) bis per annum eodem effectu factitatum.

XIIX. IN VRBE verò (Conſtantiæ inquam) Eccleſiaſtes noſter, auditorium habet frequens tam Hæreticorum quàm Catholicorum: permoti ad noſtram fidem sunt quinque & viginti. Apoſtata vnus, qui apud Turcas annos duodecim præconem Alcorani publicum, vnáq; ludimoderatorẽ egerat, Mahometi in Collegio noſtro renunciauit. Catholicus populus tanto ſtudio pietatem colit, vt vir antiqua pietate illuſtris ex agro & arce cum tota familia in vrbem demigraret, quo communi pietate ac feruore frueretur. B. VIRGINIS Sodales officijs ſuis erga ægrotos & defunctos ita mouerunt nobilem virum, natúque grandem, vt vtro in censum eorum venire, inſcribíque voluerit. Cum Religioſis omnibus optimè hic Noſtris conuenit, qui nos ſubinde ad ſuas cathedras inuitant; quod & viciſſim fecimus. Vota alia pro templo ſoluta, alia Collegio oblata. Epiſcopus præter multa alia decem vini plauſtra quingentis aureis æſtimata nobis donauit.

Digitized by Google

Templum geminis aris Dynastarum liberalitate instructum, quartum altera aureis bis mille surrexit: alterius precium non legi: accessit icon B. VIRGINIS ex argento, argenteis ducentis facta.

XIX. CIVIVM Landspergensium denique ardor & hoc anno auctus est. Præter enim quadraginta horarum supplicationem ad Bacchanalia cœptam, decem quoque horarum preces pro laborante imperio toto ieiunio verno festis ac Dominicis diebus, rursúmque à Pentecoste reuocatæ in tertium inde mensem perdurárunt. Sed & qui ad sex ferè millia passuum ab oppido reuersi sunt Kaldenbergenses, supplicationem indixerunt ad B. VIRGINEM Auxiliarem, vt potentiorum dominatu liberati, in nostram ditionem venirent. Empta igitur Præfectura illa geminos prouentus olim nobis pollicetur, bonorum, & animorum.

PRO-

Digitized by Google

PROVINCIA RHENANA,

Vixerunt in hac Prouincia Socij viginti sex supra quingentos. Mortui tres. Ad Societatem admissi quatuor & triginta,

	Vniuersim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholast.*	*Admitores.*
In Coll. Colonien.	XXXIX.	XIX.	IV.	VI	XI.
In Treuirensi { Collegio	XXXIV.	XV.	VI.		XIII.
In Treuirensi { Tirocinio	LXXIV.	VI.			XI.
In Coll. Moguntino	LXI.	XVIII	IV.	XXVI,	XII
In Coll. Herbipolensi	LII.	XVI.	VI.	XVIII.	XII.
In Coll. Spirensi.	XXIX.	XIX.	V.		V.

	Vniuersim.	Sacerdotes.	Precept.	Scholast.	Adiutores.
In Coll. Fuldensi	XXIV.	IX.	VI.		IX.
In Coll. Heiligenstad.	XVII.	VI.	V.		V.
In Coll. Confluentino	XX.	VIII.	V.		VI.
In Coll. Molsheimensi	XV.	VI.	IV.		V.
In Coll. Paderbornensi	XXVII.	IX.	V.	VI.	VI.
In Coll. Monasterieñ	XXIV.	XI.	VII.		VI.
In Coll. Hildesheimensi	XXII.	VII.	V.	V.	V.
In Coll. Embricensi	XXIII.	XII.	IV.		VII.
In Coll. Aquisgranensi	X.	V.	III.		II.
In Resid. Altenensi	XIV.	VI.	III.		V.

Digitized by Google

	Vniuersim.	Sacerdotes.	Precept.	Scholast.	Adiutores.
In Resid Erfordianâ	VI.	IV.			II.
In Resid. Hagenoensi.	VIII.	III.	III.		II
In Resid. Wormatiensi	IV.	III.			I.
In Resid Bonnensi	III.	II.			I.

Hæresin ejurárunt nongenti nonaginta quinque.
Commentationibus sacris eruditi centum & octo.
A pellicatu abstracti quindecim.
Ad B. Ignatij inuocationem beneficia præstita octies.
A violenta nece absterriti quatuor.

Digitized by Google

COLLEGIVM COLONIENSE.

I.



OMNVNEM Domestici Nostri & ciues in hac vrbe operam contulerunt, ad obtinendam cælitum pacem, opémque poscendam, solidum annum precando; & quadraginta horarum orationes etiam in alterum annum trahendo. Fuit Parœcia, in qua corrogato per Sacerdotem nostrum sumptu, quadraginta defectæ ætatis pauperes continens triduum liberali epulo pasti sunt: quibus & pecunia in abitu donata. Nostro lectoris & ministri mensæ munus perfuncto. Hæresin reliquerant quadraginta; è quibus duo nobiles è Germania adolescentes, ceteris memorabiliores. Nam alteri licet hæretico saluti fuit Matrem Dei grauissimo in vitæ periculo imploràsse: qui voti damnatus, primùm ad ædem Lauretanam peregrinatum ijt: exinde redux hinc auitam fidem edoctus ita firmiter amplexus est, vt eam facultatum dispendio anteferret. Nec multo pòst sacris meditationibus

exer-

Digitized by Google

exercitus apud nos, omnes in sui aspectum allectúmque rapuit, vt vix domo nostra digressum alium cilicij sui vsum docuerit, alij exercitiorum vsurpationem persuaserit. Adhæc in album Parthenicorum relatus, nudus pedes pœnitentiæ habitu in supplicationem processit. Tandem etiam abruptis veterum Sodalium commerciis, quod alij tempus inter nugas transigebant, ille magna animi firmitate bonarum rerum cogitationi, lectionique impendit. Gemellus pœnè alter ab vsque mari BALTICO oriundus, cùm biennium ipsum variis disceptationibus extrasset, ecclesiæ eadem veritati, simul per pœnitentiam in gratiam cum DEO repositus fuit. *In veritate*, inquit, *non est salus, nec animi quies extra Ecclesiam Catholicam.* Nuper cùm lachrymans sacro Chrismate cõfirmaretur, ipsi etiam Antistiti lachrymas excussit. In Sodalitatem Partheniam & ipse adlectus, cimelia, quæ vanitati seruierant, VIRGINI MATRI anathema fixit. Quidam alius post longinquos errores ad salutis tramitem reflexit exemplo commemorabili. Postquam enim coniux in marito reducendo nequicquam vota & monita perdidisset, vbi Coloniam appulit, vt erat opum atque agrorum potens, quingentos philippicos in pauperes dispertit: mox biennium ipsum longâ corpus inediâ aliisque id genus afflictationibus atterebat, continentiam cum vxore pactus: quæ tamen illi integritatem animi necdum reddiderunt, donec ad Sacerdotem nostrum, quem pro concione grauiter aduersus flagitiosos detonantem audierat, accessit.

animó-

eoi méque per totius vitæ confessionem defæcato, ac præsidijs SS. Eucharistiæ septo tranquillitatem Dæmone incassum nocturnis spectris obstrepente recuperauit. Idem is ad Domini Natalem ritè celebrãdum pro suo feruore sex ipsos dies omni sibi cibo potúq; interdixerat; tantundem in sequens octiduum conaturus, nisi cõtracta voluntas Sacerdotis nostri interceſſisſet.

§. I. In RELIQVIS nostris conatibus Catechisticæ lectiones omnium animos aduerterunt: quare illas Sereniſſimus Princeps omnibus per vrbem Parœcijs haberi iuſſit: & Nuncius Apostolicus, non tantum coram in rem præſentem veniens illuſtrauit, munuſculis etiam ſua manu in plurimos erogatis, ſed ſtatas quoque à Pontifice Max. Indulgentias tam Catechiſtis, quàm eorum auditoribus exorauit. Sodalitas trium Regum inter ciues inſtituta hoc iam anno bipartita eſt: altera viros cenſet circiter CCC. adoleſcentes altera ferè centum. In aliud municipium idem Sodalitatis ius tranſmiſſum.

§. II. MAXIMA Diſcipulorum noſtrorum laus etiam hîc in Sodales B. VIRGINIS redundat. Vnus eorum magni Ioſephi factũ repudiato ſceleris precio renouauit: alius domandæ carni nodoſum truncum ſubdidit ſibi ad quietem decũbenti: alius item copioſus & locuples certo per hebdomadem die mutato ſub veſpertinum crepuſculum habitu, ſtipem domatim collegit. Illud porrò precium erit adijcere. Sodali è patria Coloniam redeunti, quo tempore militares copiæ omnem prouinciam populabantur, ad ſilua cuiuſ-

Digitized by Google

quinſdam ingreſſum atra ſeſe equitū nubes obiecit: ille turmas prouinciales ratus, deſertâ regiâ via, in penitiores latebras ſe abdere: móxq; aliud ex oppoſito agmē videt, quaqua verſus omnem ſibi exitum præcluſiſſe. Hic in tanto periculo deprehenſus, &, quod res erat, ſupra humanum quiddam ſuſpicatus, implorato DEIPARÆ præſidio, ductáq; per frontē ingenti cruce tartareas illas acies diſſipauit. De B. IGNATII quoq; Noſtri efficaci patrocinio locus hic monet dicere.

IV. AMPLIVS ſeptē, qui ad ipſius preces precibus confugerant, curati ſunt. Puella à medicis depoſita cereo ad templum noſtrum deſtinato cōualuit. Idem ſibi beneficiū contigiſſe duæ aliæ teſtantur. Alia rurſus, quæ contra matris ſententiam nuptiarū illecebris cubiculi ſui ſolitudinem & ſanctorum frequentationē potiorē duxit, cùm ieiunium annuū in Beati honorē vouiſſet, mitiùs à matre haberi cœpta, & in propoſito & pietate ſua relicta eſt. Domi è Sacerdotib' noſtris quidā affirmat anniuerſario ſe grauiſſimóq; ſtomachi dolore eiuſdē Patris ope exemptū, cùm illi calamitatē ſuā ſedulò cōmendāſſet. Eſt in Collegij theſauris vet', detrita, laceráq; talaris veſtis, vſurpata Beato Parenti, cùm olim Romę vixit; quā inde Coloniā P. Leonhardus Keſſeli', qui viuo etiam-num Beato Collegij huius fundamēta primus iecerat, aſportauit: quæ toga non apud domeſticos modò, ſed intimos etiā Societatis amicos eam ad huc venerationē habuit, vt Sereniſ. Bauariæ Dux Guilielmus cùm anno ſuperiore Collegij hoſpitio vteretur, minutulum ex eâ fruſtillū in magni mune-

Digitized by Google

muneris loco à Rectore Collegij acceperit. Ea demum nunc nouo quodam Religionis colore insignita est. Mulierem quandam ciuem Colonien sem non obscuram malus Genius obsederat, quem missus ex nobis Sacerdos repetitis sæpe congressibus vehementer fatigârat, expellere tamen non poterat. Ergo alijs omnibus frustra admotis, quam dixi secum ex Collegio Lacernâ attulit, eâque misellæ circumposita loquax ante & animosus hospes, tanquam in saccum retrusus, obriguit, obmutuitque: domi tamen postea vocem semel misit: sed expertæ iam virtutis vestem reformidans noctu inglorius vltro abscessit. Affine huic argumento est, quod anno superiore diuina bonitas ad B. Aloysij nostri preces Virgini cuidam nobilitatis sanctimoniali indulsit, quódque hoc anno manu sua consignatum Confessario suo ipsa tradidit. Anno enim CIↃ. IↃC. IV. dum suo in Cœnobio Diœcesis Treuirensis matutinis precibus decantandis interesset, caput doloribus subitò stringi primùm, deinde tuber post auriculam permolestũ suppurare cœpit. Antistita varià medicorum curatione necquidquam superinductâ, potestatem triennium amicis fecit, virginem aliò ad peritiores medicos abducendi. Eorum operâ ruptum tandem apostema putrefactam iam diu carnem ita disiecit, vt hiante fœdum in modum vulnere, ceruicis interiora putrescerent, & dum corpus cibo reficeret, è profluente sanie, ipsum capitis velum humectaretur. Biennium ita exegerat, quando Coloniam profecta statuit experientiss-

Digitized by Google

rientissimos Archiatros experiri, quod factum successu nihilo meliore: donec Sacerdotis nostri consilio anno CIↃ. IↃC. IX. pridie Præsentatæ VIRGINIS annum integrum quinquies precationem Dominicam cum salutatione Angelicâ honori B. Aloysij Gonzagæ quotidie persoluturam voto adpromisit: ex quo lacuna illa bimestri spatio nulla medicorum ope ita solidè persanata est, vt iam annum ipsum, & quod excedit, veteris mali nec vestigia senserit.

V. MERVERVNT præterea hoc anno tum alibi, tum in castris quoq; sua stipendia Nostri. Serenissimus enim Leopoldus Austrius vicinum Iuliacense castellum cum prçsidio pro Imperatore tenebat: is qua semper Nostros dignatione amauit, Sacerdotem è Societate datis ad Collegij Rectorem literis ad quotidiana sacra, & detergendas animi labes sub Paschatis ferias postulârat. Missus Noster cum paucis equitibus incerto viarum anfractu per circumfusos prædones in arcem penetrauit. Haud multo pòst Princeps vocatus ad Belgas animando curandóque præsidio, Nostrum arci Prçfecto tantisper commendauit. Interea post exhaustam à præsidiarijs multarum rerum difficultatum, quam augebat inopia & egestas à stipendio, tribus Germanorum, Batauorum, Gallorúmq; iustis castris arcem hostes coronâ amplexi, tormentis muros aggeréśq; verbis promisísíque obsessos quatiebant. Nec feriari Sacerdos Noster. Toto eo tempore ex Dæmonum castris prædas agebat consuetis Societatis armis. Extra vallum etiam quandoque pro-

Digitized by Google

greſſus cęſos in eruptione milites animi integritati reddidit, pellices abegit, quoſdam etiam Eccleſiæ reconciliauit. Tandem cùm certis conditionibus arx atque oppidum hoſti dedendum eſſet, Sacerdotis noſtri ſuaſu de Religione Catholica inibi à ciuibus retinendâ ſingillatim cautum eſt.

COLLEGIVM TREVIRENSE CVM PROBATIONIS DOMO.

VI. EVOCATVS à DEO ad præmia laborum, vti ſperatur, P. Ioannes Macherentinus, quatuor vota profeſſus, ſeptuaginta annorum vir, & multorum in Societate ſtipendiorum; in qua ſeptem ſupra quadraginta annos meruerat. Philoſophiâ ac deinde etiam Theologiam pro ſcholis explicuit: Eccleſiaſten magno animarum prouentu egit; varias expeditiones ſuſcepit; in Aquiſgranenſem maximè vrbem Imperialem, hæreſeon tumultibus variè exercitâ, quæ nunc Collegio locũ dedit. In ipſo laborum curriculo herniæ malo repreſſus DEVM exorâſſe dicitur, non vt morbo defungeretur, ſed ne ex dolorum acerbitate hominum ſalus aliquid detrimenti caperet. Hoc malo identidem laceſſitus quindecim extremos vitæ annos ita collocauit, vt nulli iuuenum in ijs quidquam concederet, quæ Societas præſtare conſueuit. Et domi quidem precibus ad DEVM fundendis, exercitijs tradendis, libris expurgandis, nouiſq; ſcribẽdis (vt quidã in manibus ſunt) dies

Digitized by Google

dies noctésq; transigebat. Ita cùm noxas totius vitæ confessione expiâsset, absumptus, magnam in populo sui reliquit memoriam. Sepulchrum eius toto anno floribus insperſum est: capilli, qui haberi potuerunt, apud multos in veneratione sunt. Reliquorũ Sociorum labor antiquam cõditionẽ habet. Iudæum adolescentẽ domi nostræ Catholicè imbuerũt: nouem alios fidei albo inscripserunt: ad Ordinis deserti disciplinam reduxerunt vnam, Comprecationẽ quadraginta horarum bis in tẽplo nostro turbis Germaniæ placãdis indici voluerunt. Excurrerunt aliquoties. Ad instrumentum ornatúmq; sacrum in Domo præter sex de argento candelabra grandior crux Reuerendiss. Archiepiscopi munificentiâ accessit. Calix item & altera crux argentea aliunde cum vario Sacerdotum ornatu. Domesticum penu annuo octoginta trium modiorum reditu profecit.

COLLEGIA MOGVNTINVM ET HERBIPOLENSE.

VII. BONA MOGVNTIÆ prẽda ex hæreticis acta: eorum sexaginta tres capti præter Iudæũ vnum & Anabaptistam. Villicum Lutheranum fatagebat Caluiniani verbi Minister ad suas partes traducere: ille animi pendens DEVM obnixè rogat, Lutheri an præ illo Caluini placitis assentiendum sibi foret; nam ab Fide Romanâ nimiũ quantum abhorrebat; non irrita tamen vota cecidêre: diuinitus enim vtriusque falsitatem cõdocefactus, patrijs cõmodis laribúsq; relictis,

Digitized by Google

Moguntiam ad Nostros adeóque veræ fidei asylum profugit, resipuitque. Inter ciues promota præcipuè charitas est, qua hoc anno, qui in summâ annonæ caritate fuit, nosodochia liberalissimè adiuuerunt. Quatuor Sodalitatibus addita noua Ecclesiasticorum, caput vt speratur futurũ ceterorũ sub nomine Augustissimi Eucharistiæ Sacramenti: in cuius album Illustrissimus Archiepiscopus nomẽ suum suamet manu retulit, inde alij honestissimi quiq;. De æstate, cùm supra infráque agrum Moguntiacum bello arderent omnia, decreta in dies octo supplicatio est memorabili pietate. Et vt Principis Illustrissimi mentionem denuò faciamus, cõtulit ille in sumptum fabricæ perficiẽdæ nongentos aureos: cuius etiam munificentiâ maximam partẽ, duabus iam amplis & commodis ædibus biennio hoc eductis fruũtur Nostri. Res familiaris censu annuo duodecim aureorum: sacra centum octoginta auxit.

VIII. HERBIPOLIS vni via ad cœlum fuit: P. scilicet Matthiæ Paschasio, vario religiosarum virtutum genere, mansuetudinis, patientiæ, & pietatis exornato. Erat fratrum nostrorum Pater spiritualis: & vt semper bonarum rerum satagens, ita sub finem vitæ quàm maximè. Tumulatus est in D. Stephani Patrum Benedictinorum, nostro templo nondum erecto: quod hoc tamen anno DEO Diuóque Michaëli tutelari ritè consecratum est. Eius Encænijs prandióque religioso interfuêre humanissimi duo Imperij Principes atque Antistites, Bambergensis & Her-

Digitized by Google

& Herbipolenſis; quod conuiuium vario carmine & decem linguarum emblemate condierunt Noſtri. Fuit ſecundùm Principes commemorabilis beneficentia in templo educendo prænobilis Domini Hieronymi Burchardi à Roſwurm Franconicæ militiæ Archiſtrategi. Hoc eodem etiam anno ducta eſt è Collegio iſto Bambergã Sociorum colonia, tot iam olim annos omnium bonorum votis fruſtra optata, quam DEI tandem prouidentiâ Reuerendiſs. atque Illuſtriſs. S. R. I. Princeps & Antiſtes Ioannes Godefridus ab Aſchauſen inſtituit. Die S. Henrico Auguſto Bambergenſium tutelari ſacro, ſenatûsconſultum ab nobilibus Canonicis de nobis aduocandis habitum eſt: in eam rem ſtrenuè & gnauiter nonnulli noſtrâ quondam diſciplinâ vſi deſudârunt: humana conſilia diuinum Numen adiuuiſſe viſum eſt: nam ſub idem tempus femina prædiues, facultates ſuas in res pias ad votũ Principis teſtamento conſignauit: earum ille poſſeſſionem ad nos tranſtulit. Denique cùm miſſi duo Sacerdotes cum fratre Coadiutore Societatis operam vniuerſæ ciuitati probâſſent, Collegium ab Eccleſiaſtico ſenatu decretum eſt. Interea Noſtri ſecundis omnium auribus audiuntur, & priuatum nullum commodum quærentes publicum amorem copiosè referunt. Domi interim in gratiam cum Eccleſia repoſitj ſeptuaginta. Exercitijs Societatis conſuetis exculti ſupra triginta.

Digitized by Google

COLLEGIA SPIRENSE FVLDENSE, HEILIGENSTADIENSE, Confluentinum.

IX. SPIRENSIVM operâ ex varijs hæreson errorúmq; lacunis educti sunt hoc anno quatuordecim supra centum: Fuldenses eius generis pisces ceperunt vndecim: Confluentini viginti duos: Heiligenstadienses verò superauerunt omnes, qui nonaginta tres supra trecentos in rete D. Petri coëgerunt. Reliqua horum quatuor Collegiorum studia parem ferè fructum retulerunt. Qui Spirâ ad exteros missus est, ad vsque Austrasiorum fines penetrauit, vbi magna Præfecti & oppidanorum voluntate acceptus, expiatos per exomologesin militū animos cœlesti epulo refecit. Alius per confinem Dynastę Lutherano prouinciam sacras DEO Virgines, aliquot annis Sacerdote destitutas, noxis pariter ac mœrore leuauit. Magno item Hæreticorum adiacentium dolore nostri Patres, duo etiamnum in agro Danensi septem eóq; amplius pagis partim ad fidē adducendis, partim firmandis allaborant. Duobus in pagis sacelloexc lusus Noster, per quadraginta ieiuniorum dies accitos loci incolas pijs de pœnitentiâ cohortationibus eò perpulit, vt in loco extemporali opera extructo Paschatis ferias Christiano ritu cultúq; exigerent. Idem Pater coëmptis bene multis vasculis, & per singulas septem pagorum domos strenæ loco submissis, obsoletum iam aquæ lustralis vsum innouauit. Sunt iam, qui illam die febri

Digitized by Google

bri condicto epotam, alijs febrium æstus mitigâsse, alijs restinxisse dicant; vt eiusdem acquirendæ etiam Hæreticos incesserit cupido. Et multo magis ab eiusmodi beneficijs DEIPARA Virgo passim celebrata fuit. Vnus, cui in breue tempus mortem vaticinabatur medici, recitatis cum Sacerdote nostro eius Diuorúmq; omnium Litanijs anathema eidē vouit. Quod simul coniunx grandæua ad sacellum VIRGINI sacrū fixit, supra spem humanam sanitatem cum vita recepit. Simulachrum eiusdem VIRGINIS miraculis quondā clarum, de quo an. CIↃ. IↃ. LXXXVII. literis nostris perscriptum est, hoc rursum anno per beneficia cœpit efflorescere. Vxor viri primarij, qui Principi à secretis est, medicorum, quibus multis vtebatur, sententijs deposita, voto DEIPARÆ huc nuncupato conualuit, eiúsque rei memoriæ duos nummos argenteos affabrè sculptos ad statuam appendit; factà deinde confessione, atque vnà cum marito B. Eucharistiâ perceptà prægrandem cereum obtulit. Alia cuius filius pedibus ex vi morbi insistere nequibat, simul duos pro eo pedes cereos ad dictam imaginem ex voto tulit, firmitatem filio obtinuit. Discipulo ex Confluentinis item scholis nulla ars oculorum lippitudinem dispellere poterat, solæ preces ad hanc aram factæ adolescenti collyrion fuêre. Eiusdem denique opem & puerpera cereo huc promisso est in partu experta.

Hîc ibidem vidua erat, quæ per forenses causas grauibus se induerat tricis, adeóque doloris

Digitized by Google

impotens cum stomacho Dæmonem inclamârat. Ecce tibi impiger ille ex Tartaro adest, lectulóque assistens virum ostendit, ignotâ quidē, sed eleganti, vt ipsa narrabat, forma: terreri illa primùm, mox dulcissimo nomine IESV prolato fugare; cúmque rursus deinde sese obiectaret, eodem illa telo importunum hostem abegit.

X. SED. SPIRAM iterum & Heiligenstadium regredior, grates pro muneribus acturus. Hic Iuris Doctor augustam D. VIRGINI aram dedit, dicauit. Alius centum Philippicos in sumptum aræ S. Crucis expendit. Optimus Collegij Spirensis mecœnas ac Princeps Eberhardus à Dienheim V. Idûs Octob. viuere desijt; cuius mœrorem mitigauit nobis Reuerendiss. atq; Illustriss. Dominus Philippus Christophorus à Sœtern successor: is postridie, quàm renunciatus esset, benè manè ad Collegium visit, omnésque ordine consalutauit, quam humanitatem exosculatus Collegij Rector cùm deprecaretur, quod nō prior ipse, vt decebat, Principi gratulabundus occurrisset, subiecit is, supplicantis esse præuenire; *se enim, vt verendum cœlestibus viribus onus sustineat, opem implorare: eam fiduciam in Patribus collocare.* Nec verbis tantùm beneuolus, sed re etiam fuit. Præterquam enim quod eleemosynas Collegio in annos singulos ab Eberhardo piæ memoriæ, quoad viueret, decretas, stabiles esse voluit, duobus vini plaustris penu nostrū locupletauit. Reuerendiss. D. Theobaldus Mansharter Spirensis Proëpiscopus moriens etiam octoginta circiter aureos, vini vecturam vnam, supelle-

supellectilémque centum aureorum æstimatione nobis legauit. Ducentos alius & octoginta cum vno vini plaustro: quinq; insuper plaustra quidam alij. Templum item muneribus suis non caruit.

COLLEGIVM MOLSHEIMENSE.

XI. EXORTVS de repentè belli turbo omnem Molshemiensibus spem vnâ procellâ disturbauit. Sereniſſimus Leopoldus Austrius Iuliacum pro Imperatore occupauerat, eique tuendo militum delectum in Alsatia habuerat: quam rem vicini Principes aduersarij suum periculum interpretati, magnis contrà copijs Alsatiam petiuerunt. P. Prouincialis noster, qui pro officio tum recèns Molshemium aduenerat, à circumfuso milite exitus omnes præcludi conspicatus, & iam obsidione cingi oppidũ, per occulta viarum & nemorum euadens, ad alia Prouinciæ Collegia curas conuertit. Collegij Rector, quod vnũ in desperatissima spe erat super, per Lotharingiam vicinam suorumpleroſq; dimisit, pauculis ad aliquam domi curam, & verò solatia ciuium relictis. Ipse Tabernis à Prouinciæ Cancellario hospitio acceptus, & quoad tempestas detonuisset, magna humanitate habitus est. Dynasta in propinquo parum ratus septem de Nostris excepisse, vniuersos, qui in Collegio fuissent, expectabat. Nostri, quod vnum tali re & tempore poterant, religiosis concionum & con-

Digitized by Google

fessionum obsequijs gratiam amicis redhibere sunt conati. Bruntrutano Societatis Collegio nihil pro meritis refundi potuit, qui quinq; solidos menses quinque exulum Nostratium omnibus charitatis officijs sunt complexi. Interea Molsheimium obsidione cingitur; quam miles præsidiarius magno animo sustinuit, donec per crebras eruptiones centurionum & signiferorum promptissimis ad internecionem datis, ceteriſq; vehementer accisis, ante extremam perniciem bonis conditionibus facta deditio est. Præsidium aliò dimissum, & cum eo quidam de Nostris. Manserat autem in Collegij domo cum duobus ægris Sacerdotibus & Coadiutore P. Minister: quem traditis Prætorij Præfecto domûs claubus, obuiam factum Marchio Brandeburgicus rogauit, ecquid ita solus esset relictus? securum deinde, atque sine metu esse iussit. Ipse Collegium cum omni aula & triginta equitibus subiens pro prætorio habuit, aulicis per cubicula dispositis, in eum finem, vt antea tormentis Collegium quati, ita nunc à quoquam violari grauiter cautum esset. Prædicantium beneuolentia obtineri non potuit: indignabantur tantam Principis aduersus Nostrum humanitatem, quam parati à nobis veneni suspicione interuertere laborabant, sed hoc tantùm impetrârunt, vt ex vasis vinarijs omnibus, quæ domi attinebantur, Pater Minister præguſtare modicum quid iuberetur. Erat inter verbi factores infamis Schmidelini non degener pullus, quem licet plurimis id modis mirè am-

Digitized by Google

rē ambientem in templo nostro pro concione verba facere suus Princeps non est passus: Collegij tamen triclinio pro templo vti datum est, vbi de plano Lutheri an Caluini verbum explanauit, & panem suum fregit, non sine aculeatis in Iesuitas morsicationibus. Tandem positis vtrinque armis, pax in prouinciam reuocatur. Marchio antequam oppido cederet, & suapte sponte & rogatu Decani summæ ædis Argentinensis illæsum nobis Collegium sine dolo malo restituit: multa tamen à petulanti aulâ, & maximè Prædicantibus directa sunt, libri, calices, æs campanum templi, & leuioris precij sacer ornatus, multa aut nostro ære, aut precibus amicorum redempta. Optima quæque hypogæis supposita DEI beneficio sarta tecta recepimus. Neque prædijs nostris per vicinum agrum parcitum est. Vnus sacram ædem miles Sacrilegus violârat, mox numine vindice pediculari morbo ita affligitur, vt dolorum impatiens crebris vociferationibus mortem cruciatuum terminū inuocaret. Palâmq; fassus vermes sacrilegiū vltos esse, animam miserum in modum reliquit. Nostri vt obsessos antea omni officio iuuerant (quātum quidem Sacerdos vnus cōsequi poterat) ita in vrbem regressi, peste iam supra reliquas calamitas afflictam omnibus modis sunt leuare conati. Sub ferias Natalis Dñi quotidiana per oppidum lui auertendæ supplicatio habita est, & valuisse Numini nobis propitiando argumento est, quòd inter tot pestis & Martis pericula nec vnus è Nostris tangeretur.

Pago-

Digitized by Google

Pagorum ſpiritalem inopiam paſtoribus aliò lapſis noſtra induſtria ſubleuauit. Domi ſenſim tabulas ex naufragio colligimus. Kalend. Ianuarij cœptæ haberi ſcholæ; corporum ſubſidia amicorum alij ſubmittunt, alij redemptas precio res noſtras gratis reſtituunt, alij alia ratione iuuant.

COLLEGIVM PADERBORNENSE, CVM MISSIONE RITBERGENSI.

XII. DE SACERDOTIBVS vnus cœlo datus; P. Gebhardus Goch Coadiutor formatus, in Societatem admiſſus anno CIↃ. IↃ. LXXIX. Fuldenſi Seminario præfuit; inde huc miſſus concionibus confeſſionibúſque qua domeſticorum qua externorum excipiendis operam dedit, quoad poſt grauem cum aſthmate luctam ex afflicto corporis domicilio eluctaretur. Vixit annos quinquaginta duos, à prudẽtia, temperatis moribus, animi candore, ardoréque in aliorum ſalute procuranda notiſſimus. Huius aliorúmque Sociorũ virtutes ac labores ciuitati nos cõmendabiles reddidêre. Hinc circulator, qui famosũ in Societatem libellũ diſtraxerat, in vincula cõpactus, & ſolum vertere iuſſus eſt: ſcriptum ipsũ Senatus Vulcano decreuit. Poſſeſſio reddituũ Sacelli D. Bartholomæo ſacri, excluſo Prędicante, qui iniuſtè illos huc vſq; detinuerat, Collegio eſt attributa. Agri cum Buſtorpianis Canonicis certis limitibus dirempti tanto noſtro com-

Digitized by Google

commodo, quanto antea incommodo vtrique communes erant.

XIII. BELGICIS tumultibus qua domi qua foris, quomodo fieri potuit licuitq;, obuiam itum est. Psalmus *Miserere* concentu musico quotidie; Missæ sacrificium diebus Dominicis decătatum. Potissima anni parte Sacerdotes duo inter numerosas militum copias, quas Illustris Comes Rittbergensis Germaniarum turbis opponebat, cum fructu bono versati sunt. Nam diuersis anni temporibus mandato Comitis in vrbe Rittbergensi quatuor templis, quæ sexaginta iam annis Lutherum personuerant, Prædicantes silere & foro cedere sunt iussi. Templa ritu solemni à Collegij Rectore conciliata. Feriâ secundâ post Christi anastasin prima explicatio Catechistica à Nostro inibi haberi cœpta; cui illustres Comites ijdémque coniuges cum prole & lectissimo item comitatu interfuerunt. Centum desertis hæresibus in Ecclesiæ castra recepti sunt. Sacra Hostia celebri apparatu suo die in publicum prolata, magno gaudio & gratulatione Catholicorum animos cõpleuit. Præter statas igitur eo loco instituti nostri functiones etiamnum à Socijs Parochorum vices, quoad de alijs prouisum fuerit, administrantur.

COLLEGIVM MONASTERIENSE ET HILDESHEIMENSE.

XIV. ANNIVERSARIO XI. Millium Martyrum

Digitized by Google

rum die, quarum reliquijs templũ Monasterien-se effulget, puellarum Catechisticarum agmen D. Vrsulam deducentium institutum est. Tota cohors corollis redimita facem manu præferens Angelis latera cingentibus in ædem deueniebat. Ibi musicâ symphoniâ excepta à deductoribus inter Missæ Sacrificium ob Catechismi peritiam collaudabatur. Sub finem post reliquiarũ osculum præmiolis donata domos suas reuerterunt. Ita pietas in puellis creuit. Adolescens è nostra disciplina, quem à Satana insideri creditũ, ad nos adductus, post multa alia exorcismis tandẽ iteratis, mirum quantum ex vno corpore egesserit. Cultrum cum manubrio corneo spithamæ longitudine, latitudine duũm digitorum: plumbi partes selibres, conchyliorum, vitrorum, testarúmque fragmenta; lanæ item, pilorum, lychnorum magnam vim; globos acubus transfixos, claues, clauósq; digitales, ferrea catenarum fragmenta, saxa pugni magnitudine, panem nauticum, carbones, oculos, & capita piscium variorũ, aliáq; id genus. Tertiùm dein adiuratus in sublime raptabatur eâ vi, vt licet fractus membra & debilis, à quatuor validissimis cõtineri ægrè posset: sed mox rigidum & toto corpore immotum repetitis exorcismis malignus tortor omnino deseruit. In Missione Sacerdos vnus duos correxit: quorum alter vtramque Eucharistiæ speciem suopte iudicio cuiuis poscenti præbebat; alter præter Sacrilegas nuptias apud neminem peccata sua detexerat, rátus Sacerdotibus semet expiandi factam esse potestatem.

XV. Hil-

Digitized by Google

XV. HILDESHEMII cum Hæreticis vtiliter pugnatum: eorum tres supra quinquaginta deuicti. Strategematis instar habet, quod adolescens ex Lutheri castris patrauit. Is cognito contribules suos Catholicum sibi nomen vsurpare velle, ac verò etiam solere, rei experiundæ gratiâ ædes aliquot Lutheranorum adit, ab iisque perconctatur, vbinam Catholici habitent, semper ad Orthodoxos, nos inquam, est remissus. Ergo mox Luthero renunciauit, factáque apud Sacerdotem nostrum exomologesi, Ecclesiæ reconciliatus est. Sodalis Marianus monile aureum, quod repererat, vt ad Dominum rediret, inuestigabat: quo non inuento in egenos illud erogauit, Lutheranis admirantibus, & admurmurantibus talem penes se fidem non esse. Duo rei infami ligno addicebantur: post vsurpata more maiorum Sacramenta alter in laqueo placidè vitam posuit: alter verò Catholicam fidem amplecti visus, cùm iam feralem locum ob oculos haberet publicè eam negauit, sed non impunè: mox enim à suspendio horribili omnes facie terrefecit, & post paulùm cùm ad ludæ morem medius crepuisset, effusa eius viscera, infaustæ aues deuorârunt: cornua etiam ex oculorum cauernis visa sunt prominuisse. Quibus prodigijs moti Lutherani palàm dictitabant, nec Catholicum eum, nec, vti seipsos indigetant, Euangelicum, sed Atheum fuisse.

Prædicans erat in vicino oppido magna apud suos auctoritate, quòd Latinam, Græcam, atque

atque adeò Hebraicam callere diceretur, eiúſque iam ſpecimen dediſſet apud ruſticos: hic tam multilinguis Euangelij Præco celebri die Ieſuitas in concione corã intuens, linqui animo, voce ceſpitare, oculis tremere adeò cœpit, vt non modò non tres, ſed ne vnam quidem linguam nôſſe videretur. Bibliothecæ Monaſterienſi duodecim Philippici ad reditum annuum à nobili Eccleſiæ cathedralis canonico ſunt aſſignati. Et fuerunt ibidem, qui D. Nicolai liberalitatem innouárunt, primum pecunia, deinde tribus lodicum paribus clam noctu in domum ingeſtis. Decanus ad S. Crucem Hildeshemij nouam nobis aram extruendam curauit. Hierothecæ curandæ aurei centum & vniones aliquot conſignati.

COLLEGIA EMBRICENSE, AQVISGRANENSE CVM SEDIBVS ALIQVOT.

XVI. REBVS hoc loco admodum turbatis parochíſque fugâ dilapſis Noſtri in partem laborũ alacres îêrunt, & concionibus, lectionibus Catecheticis, ceteríſque id genus officijs amorem Societati conciliárunt. Sacerdotes è Noſtris negotiorum ergo Hollandiam aliquamdiu peragrárunt, & fuit operæ pretium: nam ex occaſione cùm alij adiuti, tum etiam Comiti Catholico ſacramenta præbita: quod cum vicini Batáui iniquè ferrent, Comes inuidiæ à nobis auertendæ poſt idem tẽpus ſacra myſteria acceptu-

rus,

Digitized by Google

tus, ipse ad Collegium nostrum commeauit. Ad Ecclesiam reuerterunt sex supra viginti. Vir erat centum annorum, quem frumenti semodio, vt Caluinianus esse vellet, Caluiniani induxerant: hic pœnitudine ductus, postquam per Sacerdotem nostrum commonefactus est, ex impio illo mercatu se expediuit. Sub æstiuos soles transeunte hac Hollandorum armata manu, magna vbique trepidatio fuit: sed Nostri indictâ horarum quinque quotidie oratione cœleste Numen propitium sensêre, vt inter ipsos hostes res nostræ tutæ essent. Comes Montensis, qui in propinquo est, annuum lignorum prouentum cognitâ Collegij penuriâ indulsit: alij nongentis aureis rem familiarem ampliârunt. Templi etiam supellex argenteo calice inaurato aliisque ad ornatum instrumentis dotata est.

XVII. MISSIONIS Sanctensis anno superiore inchoatæ seges præcipua fuit, cùm vrbem febris acuta exerceret, Parochóq; demortuo, quadrimestre spatium ægris visendis firmandisque, & ad sanos concionibus habendis fuit insumendum. Sacellum cùm alia aliqua, tum maximè sacra è D. Vrsulæ consortio pignora exornârunt. Aquisgrani Gallis, Belgis, aliisque, qui tum in obsidione Iuliacensi fœdam luem contraxerant, subuentum. Ab hæresi octo erepti. Contra Bacchum erecta ara hoc primùm anno: & Psalmus quinquagesimus decantatus.

XIIX. RESTANT Sedes quinque. Altenensis non parum Hæreticos vrit: eò quippe vana eorum spes iam processerat, vt in publica, merca-

Digitized by Google

rorum turba quouis depoſito pignore non citiùs ſe Chriſti naſcentis incunabula ſpectaturos dicerent, quàm nobis amotis Catholicorũ ſubuerſionem. Verùm contrà vertit: in cunis Chriſtus, nóſque contra Herodianas machinas bonorum virorum auctoritate defendit. Ab inimicorum parte duos in noſtram traduximus: quorum vnum cùm Lutheranicus parens importunitate ſua reuocaſſet, pœnam dedit: ſiquidem velificatione in Luſitaniam facta cum alijs nauibus, hæc vna, quæ parentem cum filio apoſtatà vehebat, Oceano intempeſto intercipitur, abripitúrque. Piacularis aquæ virtùs, Agnorum DEI, DEIPARÆ Aſpricollis ligni contra incantatos & Dæmonijs agitatos tantùm valuit, vt Luthero etiam imbuti id genus amuletis expoſcendis Noſtros fatigarint.

XIX. ERFORDI quinq; & viginti deſertis hæreſibus fidem complexi ſunt. Vnus inter hos mortis reus ſalutationem Angelicam canendo quam paulò ante ſententiam decretoriam didicerat, magno ſui ſolatio finiuit.

Reuerendiſs. Princeps Elector publicum à Cæſare diploma pro nobis hoc anno contra aduerſariorum inſultus impetrauit. Idem contra Saxoniæ Ducem Electorem Pragę in Principum conuentu Ieſuitas, qui Erfurti agerent, ſemel iterúmque ſibi opprobrantem egregiè tutatus eſt. Wormatienſi eadem contra Palatinum aduerſus nos ſollicitatum, & audacia fuit & victoria. Interim belli calamitatibus deprecandis quinq; alijs atque alijs temporibus quadraginta horarum

Digitized by Google

rum preces nouo in hac vrbe exemplo institutæ sunt. Mediam item Grammaticæ auspicati hoc anno sumus. Et quamuis explanationem Catechismi ardelliones quidam interturbare sæpius sint conati, ad Ecclesiam tamen redière nihilominus septemdecim, & duodecim rursus Hagenoënsium operâ. Bonnenses Nostri ex aula Sereniſſimi in humiliores quoque suorum laborum deriuant partem. Omni Dominico festóque die sunt qui apud nos diuina mysteria vsurpent".

†

Digitized by Google

Numerati ſunt hac in Prouinciâ Noſtrorum trecenti quadraginta octo. Extremum diem obierunt quatuor. Adlecti ad Societatem triginta & vnus.

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
Cracouiæ In Domo Profeſſâ	XXIV.	XVI.			VIII.
Cracouiæ In Domo Probationis	LVIII.	VIII.		XXIX.	XXI.
In Coll. Poſnanienſi	LVI.	XXII.	V.	XX.	IX.
In Coll. Caliſienſi	LVII.	XVII.	IV.	XXVII.	IX.
In Coll. Lublinenſi	XXXVII.	XIV.	III.	XI.	IX.

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
In Coll. Iaroslauienſi	XXXIII	XX.	*V.*		*VIII.*
In Coll. Leopolienſi	XXXII.	XVI.	II.	*VIII.*	VI.
In Coll. Luceorienſi	XIV.	VII.	IV.		*III.*
In Coll. Camenecenſi	X.	V.	III.		*II.*
In Coll. Gedanenſi	*VII.*	V.			*II.*
In Coll. Torunenſi	*IX.*	*VI.*			*III.*
In Coll. Sendomirienſi	X.	*VI.*		*I.*	*III.*
In Reſid. Præmislienſi.	*II.*	*II.*			

Digitized by Google

A Iudæis, Schismaticis, Arianis, aliisque sectis ad Romanam Ecclesiam adducti quingenti quadraginta duo.

A totius vitæ peccatis eluti trecenti triginta.

Commentationibus sacris B.P.Nostri præter integra duo cœnobia imbuti quadraginta duo.

A turpi vita revocati triginta sex.

Expuncta odia quatuordecim.

Preces ad B. Ignatium fusas efficaces sensêre septem.

DO-

Digitized by Google

DOMVS PROFESSA AD S. BARBARAM CRACOVIÆ & TIROCINIUM.

I.



VOTUM pretio Cracouiæ sit Societas nostra, vel inde apparet, quòd cùm nouus Ecclesiastes pro principe vrbis templo nominandus esset, summo frequentissimi senatûs cõsensu, ea prouincia Nostris delata sit, posthabitis ijs, qui non minore & auctoritate & eruditione ei muneri præesse potuissent. Studuerunt huic beneuolentiæ obuiam venire Socij, & ciues dies noctésque suis officijs in eâ voluntate conseruare. Sacerdos, qui cum Episcopo vrbis Diœcesin lustrabat, Schismaticum vnum Ecclesiæ reddidit: duos ex Ariano Ministro natos baptismo abluit. Similem in segetem & reliqui Nostri falcem miserunt; quando nouitia commẽta spernere quindecim impulerunt: quibus tres adolescentes schisma detestatos annumerabis.

Digitized by Google

In Cœnobio Ordinis S. Claræ quatuordecim Virgines aſceſi B. IGNATII Noſtri inſtitutæ ſunt: quod pietatis genus cùm antea vix de nomine inter Academicam iuuentutem notum eſſet, ita hoc anno inclaruit, vt quindecim ex illa turba ad eum ſe modum exercuerint: fructus quibuſdam religioſæ vitæ profeſſio fuit. Nec minora in Aſſumptæ Virginis Sodalitate didicêre ſtudioſi adoleſcentes. Fuêre aliquot, qui diebus ſingulis in primario vrbis templo horam integram orationi coram Chriſti in cruce fixi imagine darent. Æſtiuo tempore à cœna cùm alij otioſis inambulationibus indulgere ſolent, Sodales aleare DEIPARÆ effigie celebre frequentant: quos & mirati & imitati de Academica iuuentute ſæpe complures. Idem præſtitêre circa venerationem B. Ioannis Cantij S. Theologiæ Doctoris, viri ſanctitate & miraculis hoc loco celeberrimi. Fuit adoleſcens annorum ferè viginti, qui vix cœtui adſcriptus Parthenio ea cõtentione cœpit Patronam ſuam deuenerari, vt pientiſſimos quoſque pietate anteueriteret. Et cùm primus inter æquales cubitu manè ad precandum ſe leuare conſuêſſet; ſingulis noctibus in Sacello ſui contubernij preces coram Virginis imagine funditabat, nihil territus importunis Cacodæmonum ſtrepitibus, quibus cum frequentes ab incœpto auocare cõtendebant. Non ſemel circa matutinum crepuſculum obtulit ſe illi per quietem ſpecies auguſtiſſima DEIPARÆ, in horto quaſi florum mirabili varietate conſito, & aliquamdiu magna cum eius voluptate per-

Digitized by Google

permansit, audita subinde voce cuiusdam eum ad tantæ VIRGINIS venustatem contemp'andam suscitantis. Ex eo tempore Sabbathi diebus in honorem VIRGINIS à cibo terrestri se abstinere, & cœlestem sumere hodiéque perseuerat. Alius eiusdem Patronę cliens, idémque è primarijs in Academia hac Professoribus, magnum etiam aliquid in somno vidit. Cùm enim publicas suas lectiones semper inuocato DEI DEIPARÆq; nomine auspicaretur, laborésque susceptos ad vtriusque gloriam & honorem referret offerrétque, nocte quadam nomen Auctoris illius profani, quem semestri illo auditoribus publicè prælegebat, literis magnis aureisq; expressum atque in altari augusti cuiusdam templi appensum conspexit; quod tum mirificè spectantem recreauit, tum ad pietatem eam fouendam augendámque magis accendit. E Tyronibus nostris non nemo etiam fuit, qui periculosè affectũ genu sui dimittendi causſam fore timebat; sed ad misericordiæ Matrem confugiens & metu illo & periculo liberatus est. Ex dentibus grauiter dolebat alius, præcipuéq; ex vno, quem illi chirurgus sano per errorem euulso confractum reliquerat: qui dens cùm illum aliquando solito vehementiùs affligeret, cepit ex re consilium (erat quippe dies sacer & Dominicus) magnáq; fiducia ad altare cum alijs accedens, panem cœlestem quàm religiosè in os admisit, dentíq; torquenti magno cordis affectu fidéque viua superponens identidem animo & cogitatione dicebat: *Domine, si vis, potes me sanare.* Ex illâ precè

Digitized by Google

derepentè ita conualuit, ac si nullum vnquam defectum aut dolorem in eo dente habuisset. Idem & à B. VIRGINE contra carnis molestias impetrauit auxilium: tres alij B. Patrem nostrum sanè Patrem senserunt, cùm primùm ad eius vel imaginem vel memoriam preces susceperunt. Eleemosyna Tyrocinio facta trecentis aureis æstimatur: septingenti alij censu annuo sunt redituri. Altare nouum D. VIRGINI sacratum: lampas argentea appensa: D. Matthæi Sacellum instructum, Sed & Professorum ædi similis accesa lampas: donatáq; imago TRINITATIS sexcentorum circiter aureorum à Demetrio Magno Moschouiæ Duce per fraudem postea à suis oppresso: altare deniq; cum Tabernaculo erectum mille aureorum opus.

II. TRES præterea hebdomadæ in excursione insumptæ ad confines pagos Sclauonicâ linguâ vtentes, rogatu quorundam in Vngaria magnatum: quod eò libentius fecimus, quò diutius Catholico Pastore carebant miseræ oues.

COLLEGIA POSNANIENSE ET CALISSIENSE.

III. DVO IN HOC Collegio laboribus succubuerunt: ex studiosis Thomas Drosdius ætate florenti probatísque moribus iuuenis. E Coadiutoribus Andreas Vorsta, magno vir animi candore, & antiqua morum simplicitate præditus. Frugem æquis ferè partibus inter se diuisêre reliqui, vt non minima pars eorum laboribus

Digitized by Google

bus debeatur, qui in Missionibus & confinibus Germaniæ versati sunt. Reuertere ad Pontificis clientelam ducenti sexdecim. Vicini oppidi Cœnobium à duobus Nostris per hebdomadem vnam excultum sacris commentationibus est. Apud vnum Sacerdotem totius vitæ peccata recensuerunt amplius centũ: duo Principes, quas temerè susceperè, inimicitias hortatu Nostri posuerunt. Erat in damnatis feroci & præfracto ingenio iuuenis, qui capitis sententiam multo risu & dicterijs accepit, ludibrio etiam Iudices habuit ad inauditam obstupefactos audaciam: quin cùm duceretur, multa in se, in lictorem, in genus supplicij falsè dicebat, mouebátque risum sequentibus. Hunc Noster grauissima aggressus oratione, ita ad modestiam tandem composuit, vt facta exomologesi veri & alti doloris argumenta dederit; nec iam minus precibus & lachrymis ad mœrorem & commiserationem circumstantes mouerit, quàm antè iocis suis ad risum. Pauperum ratio quoad licuit habita magna. Corrogabat è Patribus vnus cum maiorum voluntate pecuniam à multis annis in subsidium indigentium; quæ res nunc optatum finem sortita est. Nam Senatus ipse curam exigendæ annuæ pensionis suscepit ab ijs, inter quos distributa summa est sex millium scilicet sexcentorum sexaginta sex aureorum, vnde pensio quadringentorum redibit. Visúsque est eam charitatem Nostrorum magni feciſſe Senatus, quod eo nomine per virum primæ dignitatis P. Prouinciali gratias

pro-

Digitized by Google

prolixè meminerit; & quando deinde sacra D. Martyrum pignora vrbi illata, & in templo nostro magna cum pompa, populiq; per integram hebdomadam frequenti accursu reposita sunt, ciues quoque benefici fuerunt, qui argenteam lampadem diuis illis suspenderunt, & igni alendo pensionem annuam assignárunt. Quin alijs quoque eleemosynis rei familiaris difficultatem accisis nostris fortunis (quippe lues pecora inuaserat) leuárũt: vt mille septingentos ferè aureos tam Collegio quàm Sacello facta donaria exciperent. Vel præcesserunt, vel secuti sunt ciues in præstandis charitatis, liberalitatísque officijs discipuli nostri, quorum ad mille ducenta capita in scholis censentur. Epulum pauperibus Sodales non dederunt modò, sed etiam ministrárunt.

IV. IDEM præstitère & Calissienses tum viri, tum adolescentes aliquoties in anno; vbi mirum est, quantum solatij fructúsque peperit Iubilæi gratia à Pontifice Max. Serenissimo Poloniæ Regi pro felici successu expeditionis in Moscos susceptæ concessa. Bis supplicatum multis horis eodem fine ab vniuersa plebe: semel à studiosis. Dogmata veritati contraria docti varijs temporibus tredecim. Missionum opera ad duo Cœnobia se extendit, in quibus multa ad religiosam disciplinam renouata sunt.

Processerat alicubi eò impietatis quidam nobili loco natus, vti die in cœlum Ascendentis Domini clientibus suis triturandi frumenti negotium daret, dictitans, *pridem* CHRISTVM è

terrâ

Digitized by Google

terrà in cœlum euasisse, neque porrò res humanas illi curæ esse. Vix dies intercessit, cùm ignis delapsus depastis duobus horreis illius frumento plenis: ostendit Christum etiam in cœlo curare tam eos, quos seruare vellet, quàm quos perdere. In templo domi gemmis pretiosis sacrum ferculum: argentea B. IGNATII nostri effigies dedicata; ad quem non nemo sanitatē expetiuit, impetrauit.

COLLEGIVM LVBLINENSE.

V. INVECTA est laudabilis illa in hanc ciuitatem consuetudo, non minùs ciuibus salutaris, quàm pauperibus vtilis: vt quotiescumque aliquis ex contubernio nomen mali Dæmonis more gentis inueterato vsurpat, toties certam pecuniam in arculam huic rei destinatam imponere cogatur. Quare & maledicta arcentur & pauperes iuuantur, propagata potissimum in potentiorum ciuium ædibus ea consuetudine. Tenuiores verò alia ratione in officio continentur, exemplis videlicet è suggestu subinde propositis, quæ vel domestici aliquando suppeditant ob linguæ suæ petulantem temeritatem diuinitus puniti, Herculeo inquam morbo, membrique alicuius luxatione, repentina morte & similibus. Adolescentes pauperiores, qui literas apud nos discunt, in vnum contubernium recipiūtur; oblato in eum vsum præsidio, ex quo ducentorū eóq; ampliùs aureorum vectigal redit, præter id, quod aliunde corrogatum est.

VI. Mv-

Digitized by Google

VI. MVSÆI pro discipulis nostris extruendi curam totam in se susceperat D. Barbara Comes à Tarnow Cancellaria Zamoscia, & iam duobus millibus ab illa acceptis fundamenta iecceramus: sed ea inopinatò defuncta operis mercedem in cœlo priùs accepit, quàm absoluisset: cui vt cõmuni plurimorum Collegiorum, de quibus bene merita erat, matri, & præcipuè huius, pro quo multa debitorum millia annis superioribus persoluit, hîc etiam solemni luctu lessúque latino parentatum est. Cum qua tamen minimè sepulta nostra spes est, quando in rei domesticæ vsum duæ matronæ tria millia aureorum contulerunt, vt Hierothecam & alia quædam minora taceam. Porrò in scholis non Catholicos tantùm, sed hæreticos etiã & schismaticos erudim⁹; qui adolescentes incredibile dictu est, quantis sæpe victorijs contra parentes & gentiles suos potiantur. Ab ijsdem vniuersáq; simul ciuitate Serenissimo Regi in Moschos ituro felicitas & victoria à DEO multis horis postulata est; quod postremò nunc meminerim, cùm passim in hac prouincia idem fit præstitum. Operæ hîc fuerit narrare miserabilem casum, ex quo intelligi dabitur, quid proferant in quouis genere vitæ & omni euentu semina bonæ institutionis in animos iuuenum iacta, & quàm non impunè religiosæ vitæ propositũ, cùm id DEVS cuipiam insinuat, differatur. Nobilis genere erat adolescens ante quatuor ferè annos ex scholis nostris egressus, satis bono in literis iuxta & pietate profectus; idémq; postea suam in nos obseruantiã sæpe testatus.

ſtatus. Is cùm latũ & lethale vulnus ſecundùm caput nullo ſuo merito, multa iam nocte à graſſatoribus nocturnis in platea accepiſſet, rectà ad Collegium noſtrum cruore proprio perfuſus confeſſionis faciundæ gratia cõtendit, & quibus poterat viribus oſtium & feneſtras tutudit. Sed cùm Noſtri per feneſtras (exire enim ad ſimiles ſtrepitus: tutum ſemper non eſt) quis eſſet, quid vellet, interrogarent, & ille, quòd vocis linguæ vſum iam amiſerat, reſpondere non poſſet, poſtquam iterum atque iterum pulsâſſet, tandem deficientibus viribus ſanguine conſperſo pariete, ad chirurgum ſe contulit, quò mox Noſter vocatus, ſecutus eſt; confeſſionémque eius per nutus primò, poſtea ſcripto accepit. Ægrè dein aliquot verba eluctatus eſt in quibus illa, quibus ſignificabat vehementer ſe dolere, quòd non Religioſus moreretur: quam etiam voluntatem paucis antè diebus in hoſpitio ſuo cuidam declarauerat: bene tamen, quantum in eiuſmodi caſibus fieri poteſt, ad mortem paratus, die octauo ab accepto vulnere deceſſit.

COLLEGIVM IAROSLAVIENSE.

VII. PIETAS in Diuos indigetes, qui noſtro in tẽplo colũtur, pluribus fuit ſaluti. Atq; in primis multũ apud eos viſa eſt potuiſſe Illuſtriſs. Princeps Oſtrogiæ Iaroslauię Dña, quæ duos filios diſciplinâ noſtrâ imbuendos ipſamet adduxit.

Hæc

Digitized by Google

Hæc enim non modò minorem natu filium ad desperationem ferè medicorum decumbentem, sed alium etiam ex honorarijs suis adolescentem omnino depositum votiuo sacrificio restituit. Nuperrimè Causidicus vrbis acerrimo dolore capitis solutus, & nobilis quidam vir cum vxore partûs difficultate laborante ab ijsdē Diuis opem se accepisse confessus est. Idem qui sub B. IGNATII nostri clientelā confugerant ipsius precibus assequuti sunt: vna præcipuè matrona nobilis, & Sacerdos, qui pessima à Diabolo inspirata consilia sola vitæ Ignatianæ lectione dissipauit. Quidam in carcerem coniectus laqueo collum inseruerat, sicque à sensibus ipsaq; adeò vita penè desertus iacebat. Tentata ad reuocandam hominis mentem omnia casso labore; quoad è Nostris Sacerdos, qui foris tum messis faciundæ caussà versabatur, imaginem B. Patris pectori illius admouit, ad cuius attactū miser illico respirans, manu cordi admota suorum peccatorum veniam postulauit. Eodem loco quidam blasphemiæ spiritu agitatus, indignabundus sæpe in Christum, sæpe in innocentissimam ipsius Matrem contumelias euomebat: cúmque plus solito in peruigilio Assumptæ Virginis illa verborum intemperie debaccharetur; ecce tibi derepentè suborta tempestate, in auribus hóminis tinnitus grillorum nescio quid triste & lamentabile strepentium resonat; quo exsibilatus miser fanatico similis huc illuc curs itare, remedia quærere, nihil efficere: donec in se reuersus scelus suum agnouit, cultúmque VIRGINI

GINI læsæ perpetuum voto promisit. Viginti septem denique, qui partim ab Hæreticis, partim à Schismaticis ad nos transierunt, vnius recessus hæc habuit principia. Erat is annorum quinque supra triginta arte medendi insignis: qui cùm adfuisset morituræ virgini annum sexagesimum agenti, illa obnixè petijt, vt cubiculo, quo mori vellet, egrederetur. Causam eiusce postulationis scisciatus medicus, responsum accepit, ne in extrema lucta à Cacodæmone terreretur, præsente hæretico: quippe quem in sua potestate haberet. Perculsus quidem ea virginis voce medicus, non tamen adeò, vt errorem deponeret. Alio deinde tempore cùm ad infirmum Religiosum vocatus eum extremi vitæ termini memorem esse iuberet, audiuit: *Ego verò multo antè mortis memor, quam etiam nunc non expauesco: iuxta instituti mei rationem viuere studui; tu verò potiùs rerum tuarum satage, metámque postremam etiam atque etiam pensa, & ne hæreseos labe immersus defungaris, caue.* Cauit sibi non multo pòst vir prudentissimus, & breui hunc ipsum in cœlum secutus creditur, cui in terra obsecutus credidit.

COLLEGIVM LEOPOLIENSE ET LVCEORIENSE.

VIII. Ex Missione Moschouitica domum reuersus P. Paulus Gaiewski statim ad cœlum se accinxit, aqua intercute laborans, morum suauitate viris illustribus æquè ac obscuris apprimè

Digitized by Google

charus. Hunc Paulus Frachowicz Tiro Societatis secutus est, Religiosæ vitæ studio domesticis omnibus probatissimus. Obijt etiã in expeditione bellica contra Moschos Magnificus Dominus Stanislaus Stadnicki, Castellanus Prœmislienſis, vnus ex Senatoribus Regni, Societatis cõstans amicus, & cùm aliorum Collegiorũ in Polonia, tum huius singularis fautor & promotor. Cui tamen nihil de beneficentia cõcessêre, quos nobis in vita conseruauit DEVS, amici, præcipuéque Illustriss. Archiepiscopus, quo cæremoniam festam administrante, ipso B. IGNATII sacro die primus templi lapis positus est: cui simul Collegióq; ædificando ab Illustriss. item Regni Marschalco est facta potestas, ex monte in sua Præfectura sito lapides exscindendi, centúmq; præterea aurei annui ab eodem assignati pro vectura expendendi. Bibliothecæ augendæ mille aurei donati. Quam amicorum liberalitatem compensare Nostri pro viribus laborârunt. Concionesque Germanicas neglectas antehac ab ijs, quibus eas promouere incumbebat, à Nostris rogatu ciuium Germanorum haberi cœptæ felicem habent progressum. Doctrinæ Christianæ rudimenta in septem locis toto anno magnâ populi frequentiâ traduntur. A vario superstitionum genere deterriti plus quàm viginti: à pellicatu vndecim: hæresis excussa tribus: totidem Iudæi baptizati: plures à Schismate recesserunt. Pauperes emendicatis per nos eleemosynis adiuti: desperationes, iurgia, & alia id genus sexcenta è medio Nostris auctoribus sublata.

IX. Pos-

Digitized by Google

IX. POSSENT eadem de Luceorienſibus ferè omnia dici, ſed non audiri. Id ibi nouum. Ad Grammaticæ ſcholas duæ aliæ hoc anno acceſſêre, poëſis & quæ de conſcientiæ quæſtionibus agit. eæque poſtulatu Reuerendiſs. Antiſtitis, qui diplomate etiam cauit, ne quiſquam alius in vrbe conſcientiæ controuerſias publicè doceret, præter Societatem certas ob cauſſas. Fundamenta Sodalitatis Partheniæ inter iuuentutem ſcholaſticam iacta, firma ſunt; & magnas quidam vtilitates rei Chriſtianæ promittunt. Multorum pacati animi per Confeſſionem, quos vel ſcelerum vermes, vel Cacodæmonum teterrimæ oblatæ ſpecies, tantùm non ad reſtim aut gladium pepulerunt. Fuit Virginis vnius & antiqua ſanè & plus quàm mulieris conſtantia, ita literis meritò ad memoriam & exemplum poſterorum conſignanda. Die ipſo Pentecoſtes perpurgato animo diuinum ferculũ in templo acceperat; indéque domum reuerſa ab impuro homine ad flagitium inuitabatur: ad quod cùm ne per vim quidem adduci poſſet, eo ipſo veſpere crudeliter à nefario illo ſcortatore trucidatur, domóque exanimis eliminatur. Manè ab obuijs in foſsâ reperta duplex vulnus in collo fuſtiúmq; veſtigia in capite oſtendit miſerabile intuentibus ſpectaculum. Diligentia militum, qui ſtatiua in vrbe tum habebant, facinoris auctorem non difficulter deprehendit, faſsúſque ille commiſſum homicidium publicè, ad mortem ſe per exomologeſin diligenter comparauit, iugulúmq; gladio libens volens porrexit.

Digitized by Google

Mirati sunt Catholici constantissimæ Virginis pro castitate occumbendi fortitudinem, Schismatici nostros Sacerdotes, quòd in supplicio tam sceleratis hominibus adessent, contrà quàm eorum Sacrificuli & Popi consuêssent.

X. FEMINAM offenderat excurrendo Sacerdos noster, quæ vnà cum filia veneficijs operam dabat, nec vllo diuinæ animaduersionis metu alia vé ratione ab ea impietate abstterreri poterat. Tandem verò cùm eam rogâsset Noster, quanti ergo illam artem faceret, daretvé, ipsaq; vno aureo se eam æstimare respondisset: *eia*, inquit hic, *pecuniam accipe, & his artibus pòst, vt recepisti, abstine:* ita exiguo pretio anima, omni maior pretio quodammodo redempta. Verbis tamen & adhortationibus apud alios plus effectum. Ab hæresi reductus vnus: à Græcâ religione ad Latinam quinque supra viginti. Collegij dotatio multis difficultatibus adhuc irretita, per Antistitem eiúsq; concilium sacrum hoc anno demum expedita est: prædium item à quodam nobili donatum magnopere nobis inseruiet.

COLLEGIVM CAMENENSE CVM SVIS EXCVRSIONIBVS.

XI. CAMENECI à triginta prope annis Collegium expetitum, hoc tandem inchoatum promouente negotium Illustriss. huius vrbis Præsule Andrea Prochnicki, conspirante in id ipsum vniuersa tum ciuium tum nobilium Podoliæ coro-

Digitized by Google

corona: qui omnes, quo animo essent in Societatem nostram, collatis liberaliter eleemosynis declarauerunt. Et quoniam Collegio ipsi nondum satis à reditibus prouisum intelligunt, hoc Septembri in Prouincialibus comitijs decreuerunt, vt singuli certa facta æstimatione pecuniã tribuerent, qua bona collegis alendis sufficientia coëmerentur. Interea Nostris multa lis est cum Schismaticis: eorum supra triginta Ecclesiæ reddiderunt: Hæreticos quinque. Ferè item quotidiana fuit opera in prædonibus ad supplicium deducendis. Nam cùm hæc Podoliæ pouincia contermina sit Valachiæ & Moldauiæ, imò & ab Vngaria vel ipsa Tartaria non multùm abiuncta, habet inde vt quædam commoda, sic etiam incommoda, & inter alia hoc non minimum, vt latrunculorum incursionibus ex tanta diuersarum gentium colluuie valde sit obnoxia. Atque vagum hoc improbúmque genus hominũ, si quando ante Nostrorum aduẽtum duceretur, vel nullum omnino vel difficulter Sacerdotem Catholicũ obtinebat, cui animi noxas tutò crederet: nunc Patres nostri hæc duo apud Iudices effecerunt, vt in nullum lege agatur priùs, quàm Pater Societatis ad eum admittatur, & vt nunquam Popus Ruthenus, seu Schismaticus ad quemquam etiam petentem deducatur. Neque perdita est opera cum hominibus quantumuis perditis: nam ex triginta admodum supplicio affectis diuerso huius anni tempore nemo fuit, qui non piè mortuus fuerit, cùm impiè vixisset.

Digitized by Google

XII. Ex hoc Collegio duæ præcipui momenti expeditiones sunt institutæ: in Valachiam vna; Vkraniam altera. Abest Cameneco Valachia non amplius duobus milliaribus Germanicis: regio fertilis est admodum, frumenti, vini, ac mellis ferax: pecore abundat vasto & multo: linguam gentis vicinia vel corrupit vel misçuit: Italus latinæ linguæ non ignarus, & græcè vel leuiter eruditus eam facillimo conatu possit condiscere; quòd ex omnibus istis, adeóque pluribus sit conflata. Literarum vix aliquis est Valachis vsus: pauci primates aut mercatores nôrunt legere aut characteres efformare. In sublimioribus verò disciplinis planè nullus est, qui versetur; neque ex ipsis etiam Ecclesiasticis, qui plus non discunt, quàm vt legere possint ea, quæ in templis ad officia diuina spectant: quamuis plurima passim Græcorum Cœnobia sit reperire; præcipuéque Ordinis S. Basilij, in quibus habitant magno numero, vt aliquando ad trecentos vel quingentos vno loco censeantur. Status politicus semper fuit inconstans ac varius. Nam licet huc vsque habuerint Valachi proprios Principes, qui à Polonis dicuntur Vaiuodæ seu Palatini, nihilominus tamen filius patri non succedit in imperio, sed ferè semper audaciissimo cuique in prædam cedit hic principatus, quem aut ipsi indigenæ, Kozacij, Vngari, Poloni, seu etiam Turcæ intruserint: qui tamen Princeps quàm facilè ad fastigium huius dignitatis ascendit, tam facilè

cilè eorum fraudibus inde sæpe deijcitur: contra quas ille aliorúmq; simul hostium insidias cùm sit Regis Poloniæ cliens, semper secũ habet aliquot centurias militis Polonici, cuius præsidio tutus sit. Horum igitur Polonorum, qui in hac vicináq; Moldauiæ prouincia versantur, occasione Nostri in has partes se penetrârunt: missúsq; hoc anno est è Camenecensi Collegio Sacerdos vnus cum tribus nobilibus, qui nomine totius Podoliæ Valachiæ Principi eiúsque Matri Societatis operam obtulerunt, commendârúntque. Ipse Pater per dies octo, quibus ibidem versabatur, aliquos per Confessionis Sacramentum expiauit, non neminem etiam à femina præter fas habita abstraxit. Atque id maximè vtile hac profectione in Valachos effectũ, vt iam melius cõfirmato Societatis nostræ instituto ab illa gente humaniter satis habeamur, expetitíq; simus, p ferijs Natalitijs, quibus & cõparuimus excepti ab ipso Principe, qui nobiscum absque arbitris & interprete, quod non nisi cum amicissimis facit, collocutus est. Illud iam non leue ex eo sermonis commercio ad promouendam Religionem Catholicam iactum fundamẽtum est, quòd ipsemet Princeps & ferè omnes eius proceres fateantur, solam fidem Romanam & Græcam esse veram; reliquas Hæreticorum sectas homine sano indignas; quas proinde omnes infensissimè oderunt: spes igitur multum hîc promitteret, si essent qui laboribus humeros supponerent: sed magna est inopia Sacerdotum, maxima bonorum.

Digitized by Google

XIII. VKRANIA (quò altera missio vt dixi facta est) Regni Poloniæ extrema pars est: tractus ingens, qui per vasta camporum æquora protenditur in longum Germanicis milliaribus ferè octoginta; à Nistro videlicet Valachiæ fluuio ad ipsum Boristhenem, vbi ille ex Moschouia decurrens in Pontum Euxinũ delabitur: latus autem est dimidio ferè minus: magnam partem incultus ob Tartarorum atque Kossakorum frequentissimas ac penè perpetuas depopulationes. In huius igitur oræ partem venêre Nostri, vbi reperêre alios decrepita ætate nunquam de peccatis confessos; alios iniusto quæstu se locupletantes; illicitis alios matrimonij vinculis cõstrictos; vt eius generis supra quadraginta fuerint à Nostris correcta. Confugiunt enim huc ex diuersis prouincijs plurimi homines nauci & nihili, tanquam ad commune perditorum perfugium. Vinnicam (quod oppidum in eodem tractu est, & Comeneco triginta milliaribus abest) exciuit è Nostris etiam vnum sedis collocandę spes, obtulitque ad eam Magnificus D. Præfectus Braslauiensis atque Vinnicensis prædiolum cum quadam aula, qui locus nobis aliquando cõmodam habitationem, Vkraniæ populis multam salutem videtur concessurus.

COLLEGIVM GEDANENSE ET TORVNENSE.

XIV. TAMETSI à publicis concionibus & ceteris Ecclesiasticis exercitijs per senatus hæretici decre-

decretum prohibeantur Nostri, non desunt tamen eis occasiones tam intra quàm extra Gedanum de re Catholica bene merendi. In ipsa ciuitate quindecim ad fidē perducti, plures multo in ea confirmati sunt: quoque vehementiùs sæuiunt Caluinistæ, hoc Catholica plebecula ardētiùs in omne genus pietatis se effundit. Excursores Nostri duo, tres pagos in Ecclesiæ gremium frendentibus Hæreticis reposuerunt, ab vno etiam Parocho adiuti.

XV. TORVNII quinque Sacerdotes nostri contra inueteratum hæreseos malum hoc inuenēre remedium, vti conscriptas de Ecclesia DEI quæstiones consulibus dedicarent, cum graui admonitione, ne beneficia à Catholica Religione accepta (quam annis prope quadringentis hæc ciuitas olim sanctè coluisset) ingrata obliuione negligerent, adeóq; pœnam refractarijs in scriptura decretam incurrerent, néue pluris vnum Apostatam Monachum facerent, aut Ministellum hypocritam quàm ipsam matrem tot filijs sanctissimis, quos Christus genuit, decoratam. Acceptus ab illis libellus perhumaniter, & Patri, cuius opusculum erat, grates actæ. Ministri verò suas in illo fraudes detectas animaduertētes, ad obiecta se responsuros comminati sunt; interim siluerunt: quod populum non parum aduersus ipsum senatum & primarium præconem commouit, adeò vt vi cogitaret agere, & Ministrum illum ex ciuitate exturbare; nec conquiesceret, donec Senatus eum de Caluini doctrina in quæstionem vocaret. Nec defuerunt etiam

Digitized by Google

ſub idem tempus ciues hæretici, qui ad noſtram domum venerunt, teſtati ſe potiùs Catholicos, quàm Caluiniſtas futuros. Et Senatus quidem aliquot ciuium audaciùs locutos, clam ad Curiam acciuit, ſeueriúſque increpitis, *credite*, inquit, *quod vultis & tacete.* Miniſtri cùm apertè hypocriſeos dolíque conuictos ſe viderent, timeréntque ne veritas magis innoteſceret, librum, quem contra noſtrum parauerant, ſuppreſſerunt; ciuibus perſonantibus, Miniſtros ſuos duros oppidò habere ſtomachos, qui obiectam hanc offam deglutire & digerere poſſent. Quare ex eo tempore remiſit nonnihil populus de ſuo erga nos odio, maximéque ciuitatis Præfectus meliùs nobis velle videtur.

Atque in his controuerſijs decem omnino perſuaſimus, vt Catholicorum ſententiæ ſubſcriberent: adeóque nobis deuinximus officijs viciniam, præcipuè Cœnobitas & nobiles, vt Patrocinium noſtri aduerſus aduerſarios, cùm opus eſt, ſeriò & libenter ſuſcipiant: quod vno exemplo clarebit. Auſi erant Hæretici huius ciuitatis templum princeps, quo & Noſtri vtuntur, inuadere, & argentum, quod ab eo tempore, quo hæreſis vrbem ingreſſa eſt, reperiebant, inde depeculari & ſui iuris facere: quæ audacia ita Catholicos & nobilitatem regni primariam commouit, vt literis miniſque tam diu Torunenſes exagitârit, donec omne æs ſublatum eò, vbi acceperunt, repoſuerint. Præter calicem nongentorum ferè aureorum pretium

Digitized by Google

tium est, quod piorum liberalitas pro instrumento sacro designauit.

COLLEGIVM SENDOMIRIENSE ET SEDES PRÆMISLIENSIS.

VXI. OMNIA DEO laus augentur & proficiunt in Sendomirienſi Collegio: Conciones, Catecheſes, Confeſſiones, ipſum ædificium; & hoc ſubſidio Illuſtris D. Ioannis Goſtomski Præfecti Valcenſis, qui parenti ſuo Collegij huius conditori ſucceſſit non tantùm bonorum paternorum hæres, ſed etiam virtutum: : qui mille quotannis aureos in ſeptennium pro conſummanda Collegij fabrica daturum ſe promiſit, fidémque hoc anno liberare cœpit.

XVII. PRÆMISLIA ciuitas regia eſt, & inter primas Ruſſiæ collocanda, Epiſcopi ſede, Iudicijs ac Comitiorum nobilium famâ celebris. Huic ineſacrorum Præſulem hoc anno cùm datus eſſet Illuſtriſs. D. Staniſlaus Siecinski, ſtatim de Patribus Societatis obtinendis laborare cœpit; quibus & domicilium in ſuamet aula, dum commodius apparetur ad templũ cathedrale aſſignauit. Duo igitur Patres ad hanc ciuitatẽ amandati, qui munia noſtra auſpicati ipſum Antiſtitem in prima Catecheſi habuerunt ſuæ doctrinæ & teſtem & approbatorem. Subſecuti illico fructus tam in ijs, qui ſuper tota vita auditi, quàm qui ex Hæreticorum aut Iudæorum naſſa expediti magnam Noſtris ſpem fecerunt maioris aliquando meſſis colligendæ.

MIS-

Digitized by Google

MISSIO MOSCHOVITICA.

XVIII. IN MOSCHOVIAM plures quidem biennij spatio, quo bellum Moschis Sereniss. Rex intulit, decimo nimirum & anno vndecimo expeditiones à Nostris fuêre susceptæ: omissis tamen ceteris, de quibus ob duorum Nostratium interitum minus quid certi habemus, vnam illustriorem in medium proferam; ex quâ de reliquis coniecturam liceat capere. Miles Sereniss. ad arcem Smolenscum obsidendam profecturus, Nostrorum sibi opem depoposcit. Assignati duo Socij eâ industriâ, iuxtà & militū fructu, munere suo sunt perfuncti, vt meritò peculiari DEVS ope affuisse credatur, quando & magnas hostium copias parua Nostrorum manus fugauit, fudit: & ipsam Smolenscum, munitionem, peritorum iudicio, vix vlli totius Europæ secundam, feliciter oppugnauit, expugnauitq; : ipse etiam militiæ Præfectus ad Prouinciæ eius Metropolim, paucis licet comitatus, penetrauit, glorioſæ victoriæ trophæa ibidem collocauit. Isthæc autem operarum Nostratium fuerunt arma, quibus militum, dum hi arcem, ipsi eorum animos impeterent. Ineunte Octobri, cùm ad Smolenscum castra essent fixa, solennem qua draginta horis comprecationem pro secūdo obsidionis successu instituerunt; in quâ cùm sacra sigillaria largis à Sereniss. D. N. indultis locupletata in vulgus partirentur, ita commouerunt ad pie-

Digitized by Google

ad pietatem, & thesaurum hunc lucrifaciendum animos, vt non pauciores quater mille, elutis per exomologesin conscientiæ sordibus, sacram synaxin celebrarent, preces ab ipso matutino crepusculo ad vsque vespertinum maxima turba frequentaret; quam frequentiam ipsius Sereniſſimi præsentia, sacer ornatus, & frequentes de rebus diuinis sermones mirè augebant. Dici vix potest, quantum proximo Dominici Aduentûs tempore studium Nostri incitandis ad pietatem militibus adhibuerint: quantum milites erga rem diuinam animum ostenderint: maximâ hi frequêtiâ sacra fidei mysteria vsurpârunt: rei diuinæ quot diebus astiterunt: ipsi ex ijs nobiliores, depositio militari fastu, sacris inseruierunt: alij diebus sacratioribus cantores egerunt: complures sacrum cultum liberali manu auxerunt: officio interim suo in impugnandâ arce minimè defuerunt. Diebus Baccho dicatis ad compescendam Bacchantium lasciuiam preces quadraginta horarum restauratæ: plurimi reperti sunt, qui precibus mallent, quàm genio vacare: ad mille ferè posthabitis Bacchi sympositis cœleste conuiuium egerunt; quam præclaram militum pietatem vnicum ferè, duodecim vt Catholicæ tum fidei nomen darent, incitamentum fuisse mihi persuaserim. Ad initium magni ieiunij miles ad sacros cineres inuitatus: postero tẽpore singulis diebus sacri de rebus diuinis sermones habiti: preces vespertinæ, Completoriũ, variæq; Litaniæ decantatæ: ad diem Cœnæ Domini-

Digitized by Google

minicæ ſacrum ſupplicatio decreta, peractáque ſplendidè per Caſtrorum plateas: inſequenti biduo agminatim ad magnificum Chriſti Domini ſepulchrum, ac pium Crucifixi oſculum conuolarunt: celebritatem deniq; Paſchæ feſtiuo militarium tormentorum boatu, ac tympanorũ tubarúmq; clangore, non ſine hoſtis terrore, fuêre exorſi: è mille quingentis, qui apud Noſtros tum confeſſi, pleriq; ab vniuerſæ vitæ noxis expiati. Parem reliquo biennij tempore, ſacratioribus præſertim diebus; induſtriam Noſtri, illi pietatem exhibuerunt. Status inſuper Noſtrorum labor erat decumbentes inuiſere, eóſq; ſtipe cõquiſitâ, ſi egerent, ſolatióve adiuuare, moribundos extremè vngere, alijs fidei myſterijs prouidere, ceteráque cùm Sacerdotes deeſſent, parœcorum munia obire.

XIX. RARIORA SVNT HÆC. Lethali quidam febris ardore vſtulabatur; neq; interim de ſacra exomologeſi cogitationẽ animo vllam admiſerat; donec hominem cõuenit Noſter, duriuſculũ pectus emollijt, & ad confeſſionem inſtituendã inflexit: vix expiatus, ſacróq; pane paſtus eſt, & ecce omni febris ardore reſtincto priſtinis ſuis viribus fuit redditus. Plura huiuſmodi præclara ſanè cõfeſſionis effecta narrare poſſem; ſed quia huic non diſſimilia, ipſum reliquorum ſit exemplum. Ab hæreſeos Schiſmatíſq; prauitate, præter duodecim, de quibus paulò ante, ad Catholicam veritatem nonnulli ſunt traducti. Ad ſeſqui mille aureorum iniquo fœnore partorum reſtitutionem quiſpiam inductus.

Duo-

Digitized by Google

Duobus ſica, quà ſe in necem hoſtium ſuorum armârant, è manibus extorta. Quatuor, qui ſacram exomologeſin cane peius & angue oderant, ad frugem ſint traducti. Muliercula, quæ ipſos viginti quatuor annos turpiter corpus ſuum proſtituerat, è cœno libidinis extracta. Homicidij quidã reus ducebatur muſti meríve plenus: ſimul id reſciuit Noſter, accurrit, à lictore inducias obtinuit, dum iudicem ipſe alloqueretur: impetrauit à Iudice, hæretico licet homine, vt ſupplicium militis ad dies aliquot procraſtinaret, quò ritè expiatus felicior poſtliminio ferrum reciperet.

(*†*†*)
†*†

PRO-

Excoluerunt hanc Poruinciam Socij nonaginta duo ſupra ducentos. E viuis exceſsêre quinque. Quatuordecim eorum locum ſapplêrunt Tirones.

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
In Domo Profeſ. Warſauienſi	XII.	VII.			V.
In Collegio Warſauienſi	XXXIII	XIII.	VI.		XIV.
Vilnæ in Dom. Profeſsâ	XL	III.			*VIII.*
Vilnæ in Dom. Probationis	XXXVI.	III.		XXIV.	IX.
In Coll. Brunſpergenſi	XXXI.	XI.	V.	IX.	VI.

	Vniuersim.	Sacerdotes.	Præcept.	Scholast.	Adiutores.
In Coll. Poltouiensi	XL.	XIII.	VI.	XIV.	VII.
In Coll. Niesuesiensi	LXI.	XXI.	IV.	XXVI.	X.
In Coll. Polocensi	XXIX.	IX.	III.	IX.	VIII.
In Coll. Rigensi	XV.	VIII.	II.		V.
In Coll. Derpatensi	V.	II.	I.		II.
In Missione Samogiticâ	III.	III.			
In Resid. Orsensi	IV.	III.			I.
In Miss. Lomzensi	III.	III.			
In Miss. Moscouiticâ	V.	IV.			I.

Digitized by Google

Oues ad caulas veræ Eccleſiæ reductæ quadringentæ ſeptuaginta nouem.

Totius vitæ confeſſiones auditæ bis mille, quadringentæ, quadraginta quinque.

Salutaris lauacri fonte luſtrati adulti centum nonaginta duo.

Inimicitiæ ſublatæ triginta ſex.

A meretricio quæſtu reuocatæ viginti duæ.

Pijs exercitationibus perpoliti triginta.

B. Ignatium propitium experti duodecim.

DO-

Digitized by Google

DOMVS PROFESSÆ VARSAVIENSIS, ET VILnensis cum suo Collegio & Tirocinio.

I.

TRADITÆ B. Parentis nostri cõmentationes eam non nemini mentis tranquillitatem peperêre, vt vltro prædicaret, tũ demum se firmam animo stationẽ reperisse; cæcum ea studia aggressum, porrò videntem absoluisse. Alius autem à Luthero deficiens in pietate ita se obfirmârat, vt vel periculo exhęredationis Sacramẽta ritu nostro cũ hæreseos detestatione intuẽtibus suis popularibus, perceperit. Idem paulò pòst à quodã iniurijs lacessitus, cùm ensem in aduersarium strinxisset, admonitus à Sacerdote repentè cohibuit, uentem in vulnus iracundiã se ipsum commonens his verbis: *Iam de genere Sacerdotum quodammodo te esse memento, postea quam Catholicus factus es.* Illustris Dominus Ioannes de Gostomski, cuius in Sendomirienſi Collegio meminimus, vt vniuersam Societatem singulari affectu com-

Digitized by Google

complecti solet, ita præcipuè vnà cum optima coniuge in Beatum religionis nostræ auctorem fertur, cuius precibus & filium obtinuisse se credit: quem tametsi non diu habuerit, ne tamen ingratus esset, pauimẽtum templi nostri, in quo filium tumulari voluerat, marmore tegendum suscepit; tum etiam altari maximo duo aureorũ millia destinauit, vt de alijs non memoretur, quæ ex apertissima tum ipsius tum coniugis manu quotidie accepimus. Ex hac domo foras ad animarum lucra profecti sunt per interualla tẽporis vniuersi. Oppida quædam pagiq; integri Sacramento Confessionis sunt expiati; nec Iubilæi duntaxat tempore, sed alijs etiam occasionibus sese offerentibus: quòd verò perpaucos ab hæresi reuocârũt, id minimè dolent, sed in summa felicitate ponunt; cùm ea pars regni, Masouia nempe, ab illa hominum peste iam inde ab initio Religionis Christianæ in has oras inuectæ, prope pura sit huc vsque & virgo. Vltra tamen Masouiæ fines nonnulla fuit eius infelicitatis copia.

II. VILNENSIS Professorum Domus decem Ecclesiæ aggregauit, Collegiũ ampliùs quatuordecim. D. Casimiri ædificio ad apicem educendo ipse Vilnensis Antistes aureos mille contulit: totidem supremus Archiui Lithuanici Præfectus D. Leo Sapieha. Vectigal item septenne ducentorum aureorum ferax D. Caroli Chodkiewicij beneuolentiâ concessum est. Imitati exemplum Hexarchæ ac Ducis sui milites stipẽdijs suis sexcentos aureos subtractos ad opus cæmenta-

mentarium & latericium promouendum impẽderunt. Nec defuêre aliorum largitiones, quæ duûm millium quingentorum aureorum ſummam facilè conſtituunt: magna liberalitas, ſi tẽpora attendantur, quibus in fatali vrbis incendio tantam rerum iacturam fecerunt: ſed ea Vilnenſium pietas fuit & religio in DEVM, vt nullis aduerſæ fortunæ limitibus arctari ſe permiſerit: ter quippe Vilna ſatis atrociter ignibus vaſtata eſt, ſeu incuriâ hominum excitatis, ſeu malitiâ ſuppoſitis.

III. Mos eſt huic ciuitati, Frocos (oppidi nomen id eſt) ad Beatæ VIRGINIS aliquando per annum ſupplicatum procedere. Hoc Calendis Iulijs anno præſenti cùm fieret, ventúmque iam eſſet ad ædem D. Stephani Protomartyris extra vrbem ſitam, vbi audito ſacro & concione ad reliquum iter ſe accinxerant, ecce derepentè horâ circiter ante meridiẽ octauâ apparuit ignis proximè murum ciuitatis: qui ſecundo vento toti planè imminebat vrbi: tantáque velocitate diffuſus omnes circa partes inuoluit, vt quãuis properaretur ab omnibus, vix tamen aliquid raptim flammis ſubduci poſſet, aut defendi, quin complures muris ruentibus opprimerentur, aut fumo in cellis vel etiam medijs plateis ſuffocarentur. Prima D. Virginis ædes depaſta, tum Patrũ Franciſcanorum, diuino beneficio ita defenſa, vt pars tãtum Monaſterij abſumeretur. Templum S. Spiritus, turrim & Cœnobium Ordinis Prædicatorũ in ciuitate aggreſſus deinde ignis, duos ſimul religioſos vnà cum artifice in exitiũ traxit.

Digitized by Google

Inde per templum SS. TRINITATIS & Nosocomium grassatus multis pauperibus in eo cõbustis Tirocinij nostri domum ante annos septem magna difficultate & cura exædificatam inuasit, quam ita repentè solo æquauit, vt ne tẽpus quidẽ aliquid efferendi, aut tutiùs recondendi concesserit, Rectore & Tironibus vix euadẽtibus. Duo fratres, qui inibi ad defensionem remanserant, flammâ vndiq; obsessi atq; impediti in subterraneam tandem se cellam abstrudere conati sunt, ibíque aceto corpus perfundentes, & ardorem nonnihil reprimentes vix discrimen vitæ euaserunt. Interim alia parte ciuitatis delatus ignis per medium iam forum ibat, atque obuia quæque etiam solidissimis muris obfirmata vastabat. Videre erat miseros ciues iam non de bonis suis, sed de se sollicitos hac illac ferri, ibíque reperire periculum, vbi asylum quærebant. Spectabat ex arce vrbis calamitatem magno cum mœrore Serenissima Regina: at vbi ignem magis ac magis eò quoq; accedere animaduertit, sese cum tribus Principibus, totáq; sua aula ex arce proripuit, atq; extra suburbia ciuitatis in proximos colles ad quendam nobilem secessit. Venio ad Collegij cladem. Initio exorti incendij, quod satis procul aberat, incolæ certatim ad opẽ alijs ferendam, ignemq; restinguẽdum è Collegio se effuderũt: sed vbiq; iam dominante flamma & progressum impediẽte bene fessi domum rediêre; & quà Collegiũ asserculis tegebatur, totos se ad deijciendã eam partem dedêre: stabulũ quoq; & alia, quæ lignis cõstabant, demoliti sũt.

Tum

Digitized by Google

Tum ad conuasandum versi, quicquid è sacello, bibliotheca, cubiculis rapi poterat, in fornices & subterraneas scrobes conijciebant: sed eâ superueniente flamma, Seminario præsertim & contubernio Pontificio etiam ardente, vitæ consulere relictis omnibus sunt coacti, erumpentes prout periculum quem inuenit, quærentésque è ciuitate exitum, qui iam vnica duntaxat portâ dabatur. Ita fugâ sine pallijs elapsi Nostri in suburbium euasêre. Ibi planè videre fuit, quo amore nos prosequerentur ciues, qui in tantis suis calamitatibus nostras miserabantur. Proxima Collegio erat ædes D. Ioanni Baptistæ dicata, quam ciues, vtpote præcipuam vrbis, non exiguis sumptibus ædificauerant, & tecto lateritio bene muniuerant: hęc partim à nostro Collegio, partim à plateis ignem concepit, sed solo tecto combusto, fornice vim ignis sustinente integra permansit, non sine singulari DEI beneficio. Arx verò, tametsi fluuio intercedente diuisa sit à ciuitate, minimè tamen euasit: sed vnà cum templo, quod nobilissimum illi adiacebat, necquicquam diu defendentibus satellitibus regijs magnam partem conflagrauit; solo penè sacello in, quo D. Casimiri sacra lipsana conduntur, diuinitus conseruato. Iam plures aliæ magnifici operis ædes in busto iacebant; & ignis ad Domum nostram Professam properabat, cùm orta subitò DEO miserante tempestas (hora post meridiem tertia ferè erat) maximum imbrem profudit, qui nisi cecidisset, actum iam fuisset de reliqua eáque exigua parte tantæ ciuitatis.

Digitized by Google

Post imbrem aliqui è Nostris per fumantes vicos penetrârunt ad Collegium, vbi iam ignis omnes officinas cum scholis vastauerat, ita vt ne in cellis quidem tuti libri, qui pauci è Bibliotheca rapi poterant, permanserint. quatuor tantùm fornicibus & totidē hypocaustis ex illa amplitudine Collegij illæsis. Quæ tum vrbis priùs florentissimæ facies fuerit, sibi quisq; facilè imaginabitur, cùm nusquam ferè tutò cōsistere cuiquam liceret; & alibi septem, viginti alibi homines simul improuisis domuum ruinis opprimerentur, ibíque sepelirentur miseri, vbi vitam conseruare se sperabant. Ita profugientibus ex vrbe afflicta operarijs & artificibus, ingens vbique solitudo & vastitas mœrorem augebat, metúmque addebat rumor, qui sparserat abesse non procul collectam bene magnam manum latrūculorum & prædonum, qui ciuitatem portis exustis patentem inuadere, spoliaréque cuperent. Quare multis diebus trepidatum, custodiæque nocturna in statione collocatæ, exonerata tormenta, & quæ alia incutere terrorem hostibus solent. Nostri interim relictis aliquot in Collegio, non absque periculo in prædium suburbanum secessêre; quò & octo post diebus superuenit ex Liuoniâ P. Prouincialis, qui Theologos Niesuesium, Philosophos Pultouium dimisit: reliqui in ipso loco permansêre, vsque ad initiū Octobris; quanquam Calendis Septembribus quinque inferiores scholæ vtcunq; refectæ, suos Magistros iam habuerint, & discipulorum numerum satis magnum. D. Ioannis templo ante hyc-

hyemem tectum impositum: æra duo campana amicorum sumptibus fusa. Tironum verò domus, quæ vnà cum omni supellectili & centum aureis (nam paulò antè Sereniſſima Regina Noſtros inuiſens ducentos donauerat) in fumum abijt, ſex circiter menſium interuallo reſtaurata eſt. Atque in omni hac calamitate ſuis non defuit bonitas diuina: quod vno alterove exemplo licebit declarare. Cùm aliquando illi, quem Diſpenſatorem appellamus, pro coëmendis ad victum neceſſarijs pecunia deeſſet, multúmque animo ſollicitus diſpiceret, quînam domûs neceſſitati eo tempore ſuccurreret, atque in ea ipſa cura & ſollicitudine ad forum varia animo voluens ſe accingeret, mirum dictu, vix domo in publicam plateam pedem extulerat, cùm pecuniam ſacco incluſam reperit, cuius dominus diligenter inueſtigatus perueſtigari non potuit: credo quòd in terra quæreretur, qui in cœlo erat. Quidam è Noſtris ad Paſchatis ferias rei diuinæ faciendæ gratiâ vnà cum Socio ad oppidũ quoddam curru vehebatur. Vix in terrã (qua via erat) aduerſus flumẽ aggeſtam inuecti erant, cùm repentè ingens aquarum illuuies ruptis aggeribus occurrit, ambóſque cum curru ſecum abripit. Socius exiliens celeritate periculum anteuertit: Pater torrentem ſecutus quatuor circiter horas cum vorticibus luctatur ex arbuſto pendulus, quod fors dederat. Et cùm iam deficientibus frigore manibus, ne virgulta quidem illa diutiùs retinere poſſet, adeóque abſorbendus impetu foret, concepto ad Sanctum Caſimirum

Digitized by Google

voto, Diuóque tutelari opitulante, ab accurrentibus quibusdam periculo non sine periculo exemptus est.

COLLEGIVM BRVNSBERGENSE ET PVLTOVIENSE.

IV. BRVNSBERGÆ diem extremum vidit P. Ambrosius Weltherus, innocentiâ vitæ, religiosáque obseruantiâ conspicuus: de cuius virtute cùm multa dici possent, pauca ad exemplum sufficient. Is igitur è superiore Germania in Liuoniam accersitus, eo Religionis Orthodoxæ ad illam partem, quæ Esthonia dicitur, vel tuendæ vel propagandæ studio, eóque animorum fructu versatus est, vt æterna virtutis suæ vestigia apud illam gentem impresserit.

Cùm enim summo labore regionis linguam, alioquin perdifficilem comprehendisset, nihil prius aut potius habuit, quàm populis illis barbarie incultis, & maxima rerum diuinarũ ignorantia laborantibus, qua publicè qua priuatim, cœlestis doctrinæ mel instillare: quin vt non viuus tantùm, sed etiam mortuus, qua liceret, genti illi prospiceret, Sociisque laborem in eo nouali colendo minueret, pios aliquot libellos, qui concionatoribus & Confessarijs vsui essent, in Esthonicam linguam, quæ propter orationis genus minutum & fractum ex difficillimis harũ regionum est, transtulit. Quibus in occupationibus cùm duodeviginti annos indefessus posuisset,

Digitized by Google

fuiſſet, nouiſſimè inuadente Liuoniam Carolo Sudermanno Principe hæretico, captóq; Derpato cum ſex alijs Societatis hominibus in Suetică ſeruitutem abductus, conſpectiora etiam tantarum virtutũ edidit argumenta. Quippe in ſumma rerum omniũ inopia & egeſtate, detritas & laceras Sociorum veſtes reficere, calceaméta conſuere, eorum nuditatem omni ope tegere, ſolatióq; afflictis eſſe ſtuduit. Ille barbaros hæreticorum mores, & inhumanitatẽ ſuauitate ingenij emollire, auerſos animos cùm alijs officiorũ generibus, tum præcipuè horologiorũ Sciothericorum fabricatione ſibi, Sociiſq; conciliare. Tandẽ miſerante DEO è dura illa captiuitate, in qua ad tolerandam vitam, præter arctum panẽ & aquam breuẽ, vix obſonij habebatur aliquid, poſt quinquennium ereptus, & Brunsbergam miſſus eſt: vbi licet ærumnis & miſeria confectus, feſsáque iam ætate eſſet, nequaquã tamen otioſæ & deſidi vitæ ſe permiſit, ſed maiorẽ diei partem animorum ſaluti audiẽdis confeſſionibus impendebat: aliàs doctrinã Chriſtianam rudibus tradebat, & quod his occupationibus ſupererat in cœleſtium rerum contẽplatione, propriíque animi cultura conſumebat. Et quoniam nimis anguſtus hîc virtuti ſuæ campus videbatur, precibus apud Præſides egit, vt liceret ſibi reliquias gentis Eſthonicæ decennali bello afflictæ repetere, & priſtina illa charitatis officia exercere: ſed nimirum DEO aliud placuit, militémque ſuum in optima iſta cogitatione verſantem ad ſtipendium capiendum euocauit.

V. In-

Digitized by Google

V. INTERIM alij Noſtri à Maioribus ad diuerſa loca proficiſcendi poteſtatem acceperunt. Vnus Regiomontum vocatus (emporium Hæreticorum eſt) ibíque Hollandum mercatorem, à quo inuitatus fuerat, de peccatis confitentem audiuit, tréſque alios in gratiam cum DEO reſtituit: totidem ſupra viginti qui domi remanſerant, Catholicâ fide imbuerunt; intérque eos Miniſtrum, qui Caluinianam impietatem annis quindecim docuerat, ad ſacras epulas damnatâ perfidiâ in templo noſtro admiſerunt. Epiſcopus vrbis Synodo ſuæ Diœceſeos, quam hoc anno coëgit, Noſtros adhibuit, eorum conſilijs tum publicè tum priuatim vſus. Templo præter alia donati centum triginta aurei.

VI. AVCTVM eſt Pultouienſe Collegium Socijs decem ex incendio Vilnenſi profugis: duobus rurſus minutum: P. Nicolao Piersko, & P. Martino Rohalinenſi. Ille anno ætatis ſuæ trigeſimo tertio, ab ingreſſu in Societatem duodecimo poſt Philoſophiam & Theologiam abſolutam compendium vitæ fecit, longámque ætatem virtute compenſauit: hic profeſſus quatuor vota ad labores ſtrenuus & indefeſſus, annos natus ſeptem & quinquaginta, poſtquam triginta tres in Societate functus concionatoris munere tam domi quàm in caſtris Sereniſsimæ Reg. Maieſt. fuiſſet. Qui de externis per varios morborum cruciatus & caſus ad terminum vitæ properabant, ijs Noſtri omne genus conſilij & ſolatij pro viribus impenderunt. Pentarchus quidam ſtrenuus, & bello Liuonico contra Suecos inter

Digitized by Google

inter equites clarus, sed ob militarem licentiam exauctoratus & è castris proscriptus Pultouiam venit, vbi rerum omnium desperatione fractus, suíque iam impos ex altiori cuiusdam ædificij fastigio vltro in præceps ruit: sed diuinâ clementiâ seruatus, mortísque metu grauiter perturbatus, vnico comitante puero & commilitone altero, fistulis æneis duabus accinctus, cùm nemini fideret, Collegium adit, nullum sibi locum tutiorem asserens; iuramentum tamen securitatis à Rectore exigit: quod vbi datum vnà cum habitatione commoda, ad horam noctis decimã sermo protrahitur: & multa vltro citróq; de rebus ad conscientiam pertinentibus dicuntur. Digresso Patre ad noctis ferè medium puero mortem minatur, nisi se plumbea glande mori cogeret: puer mori maluit, quàm parere: illucescit interim, & legente S. Guilielmi militis & Martyris vitam P. Rector inuenit: sed eo mox à se itémq; puero & tandem commilitone suo, primum quidem literarum scribendarum, deinde confessionis faciendæ prætextu ablegato, in præcordia sclopetũ explodit, séque grauissimo sauciat vulnere, ex quo & mortuus deinde est. Accurrit Rector cum famulis suspicatus id quod erat, prostratúmque humi reperit, & culpam violentæ mortis conijcientem in puerum acriùs redarguit, ad sceleris commissi agnitionem, scelerúmque pœnitentiam hortatus. Agnoscit ille culpam, & loci violatã tanto facinore sanctitatem voce lachrimabili deprecatur: munitur ter repetito confessionis Sacramento, tum etiam Eucha-

Digitized by Google

Euchariſtiæ & Vnctionis tandem extremæ. Sed paulò ante extremum halitũ terroribus exagitatus quibuſdam, domũ horrendis implet clamoribus, linguam exertans carbonis inſtar nigricãtem: tandem tamen luſtrali aſperſus aquâ, fratribúſque ardentiùs ad preces conuerſis reſtituitur ſibi, ingeminatíſq; idẽtidem ſanctiſſimis nominibus IESV & MARIÆ, defixis in orantes oculis, ſereno lætóq; vultu decedere viſus eſt. Equidem audire tunc licuit & Illuſtriſſimum Antiſtitem Plocenſem & ciuitatem vniuerſam ſumma DEI circa hominem hunc beneficia deprædicantes; quippe cui mori contigiſſet eo loco, in quo cùm vellet, malè tamen mori vix potuerit. Eiuſmodi perturbationibus animi, aut ſpectris nocturnis exagitati plures feliciori euentu curati ſunt. Quibuſdam peractæ Confeſſiones, alij cõmentationes B. IGNATII turbas mentis compeſcuerunt. Adſcripſit eidem Beato puer Parthenius valetudinem ſuam priſtinam, quam ab eo precibus, argenteáq; tabella ad ſepulchrum eius Romanum mittendà impetrauerat. Fuítque ceterorum adoleſcentium, prçcipuè qui in cõmilitio VIRGINIS cenſentur, mirus in pietate profectus. Paſcere pauperes, ſepelire functos, octauo quoq; die conſcientiam emaculare, in neminem niſi in ſemet & tergora propria funiculis ſæuire, illis iam more fit. Diebus vacationum antequam animi relaxandi cauſsà progrediantur ad campos, ſolent illi pro ſcholarum veſtibulo conuenire, factáque ibi arbitraria (prout cuiuſque fert facultas) penſione, coëmptíſq; inde panibus coactos

Digitized by Google

ctos vndique pauperes reficiunt, rudimentis Christianæ doctrinæ priùs imbutos, nec iam pudet sequi ex Clero viros, quà pueros tanta alacritate cernunt præcedere: nec imò ferre posse in sua hac familia degenerem ipsa DEI Mater videtur, quin eum materna, vt solet, castigatione emendet, quod exemplo constat. Quidam ex eo Sodalitio die sacro Assumptę Patronæ eques iret ingressus, negotijs profanis posthabuerat sacrũ Missæ officium, simúlque communionem, ad quam eo die ex legibus & conscientiæ remorsu accedere debebat, neglexerat: qui paulùm à tẽplo profectus repentè quodam quasi fulmine de cœlo ictus prosternitur, grauique adeò casu affligitur, vt mortuo similis, & à mente non minùs quàm equo deiectus, sex integris horis humi aquis pluuijs penè obrutus iacuerit, equo interim fugâ dilapso.

POST tantum temporis interuallum cum se nonnihil collegisset, ad proximam tabernam ambulauit, de fuga equi, cui reculas suas & pecuniolam imposuerat, multum sollicitus.

Tandem subit animum caussa mali, dataque admissæ negligentiæ vindicta: conuersus itaque ad clementiam VIRGINIS veniam rogat; quod dum facit, curriculò ad hospitium venit equus, sed sarcinula atque adeo ipso ephippio leuatus: quasi diceret se fugisse, vt equitem suum omissi officij commonefaceret, redijsse, vt exoratæ VIRGINIS misericordiam demonstraret; sarcinam & pecuniam perdidisse, ne di-

Digitized by Google

ne diuina quisquam sacris diebus impunè se neglecturum speraret.

VII. PRÆTER statas scholas institutæ hoc anno Academiæ pro conscientijs vna, pro controuersijs altera : illa quinta quoque die, hæc Dominicis tantùm exercet suos; ad quas è pagis subindè concurrunt animarum curatores. Ad eos contrà à Nostris excursum trigesies admodum, eo fructu, qui toties euocare poterat. Septingenti ferè aurei templo & Bibliothecæ locupletandæ accesserunt.

COLLEGIVM NIESVESIENSE ET POLOCENSE.

VIII. IN MISSIONE ægrotare cœperat P. Albertus Auianus, indéq; velut ex statione sua strenuus miles in Collegium delatus, vt vixerat, hoc est, religiosissimè decessit. Eòdem & Rectori Niesuesiensi eundum fuit, P. Matthiæ Galminlenta tabe intrinsecus depasto; viro certè quem simplicitas mentis prudentem, rerum contemptus diuitem, animi facilitas æquabilem fecit & constantem. Viginti quinque annos, quos in Societate vixit, magnam partè in scholis triuit. Hos auxit hoc anno Vilnensium infelicitas, vnde nonnulli huc commeârunt. Certamina cum Hæreticis & maximè Ruthenis, qui omni modo iugum excutere, & ad Schismaticos transire moliebantur, huic & Polocensi Collegio fuêre communia. Hæresis exempta tredecim : schisma hominibus ampliùs octoginta; plures si circumia-

Digitized by Google

cumiacentium oppidorum symbolas annumeres. Cenotaphion Christi, tumultuarium quãuis opus, eam non nusquam excitauit in animis hominum pietatem, vt non flagris tãtùm (quod eo loci insolens & inauditum) sed quibus id vel per ætatem vel per sexum publicè non liceret, colaphis etiam in se sæuirent, ne Christi passi cruciatibus nullo modo condolerent. Circumiens fortè Sacerdos noster mapalia rusticanorum eiulantem audit feminam, & lamentabili voce maritum inclamantẽ: sciscitatus causam rogatur supplici voce, vt filioli animam iam iam agẽtis misereatur: consolatus ille parentem positáque supra moribundum manu, votum concipere iubet ad D. Michaëlem, cuius ædicula Niesuesij in suburbano agro sita esset. Fecit hoc consilium, non tantùm vt puer conualesceret, sed vt ipsi etiam parentes, qui antehac de peccatis confessi nunquam fuissent, tam necessario Sacramento expiarentur.

COLLEGIVM RIGENSE.

IX. FABVLÆ argumentum quidam dederat è Sacerdotibus Rigẽsibus cùm minimè vellet, sed quæ fabularum architectis (DEO ita ordinante) nocuit, non illi. Patriâ Rigensis erat, atque ex Hæretico non tãtùm Catholicus, sed etiam Religiosus, tamque acer Hæreticorum hostis dum vixit, vt eum post mortem fulmine sublatum, fabulati sint. Visus illico est iustus DEVS calumniam optimo viro illatam voluisse absterge-

Digitized by Google

re, fulménque sub idipsum tempus iecit in Religionis Catholicæ desertorem Lutheranum, quẽ & extinxit, viuo relicto Catholico, ad cuius ædes colloquebantur: & vt liquidum esset, cuius manu impulsúque id fieret, domus quoque eiusdem Hæretici longè dissita, eodem fulmine cõflagrauit, salua æde Catholici, ad quam Apostata interijt. Similia tela in plurium impiorum capita à vindice DEO contorta: in ebrium inter ceteros, qui ingentia tonitrua audiens, linguam protinus in blasphemias expedierat, monitúsque, vt ad preces potiùs se componeret; *Feriat*, inquit, *Diabolicum fulmen, feriat si potest*: potuit sanè, móxq; horreum ipsius vnà cum duobus equis, & quidquid aliarum rerum in ipso erat, absumpsit. Sequenti pòst die S. Ioanni Baptistæ sacro, eadem sors tetigit domum cuiusdam improbi hominis, qui ad Confessionem adigi nulla ratione poterat. In Ascensione Domini alius, alius item feriato D. Magdalenæ die laboribus contra Ecclesiæ decretum vacabat: non vltra diem dilata vindicta est, & vtriusque in agro frumentum omne grandine comminutum. Duo castigati, sed vnus duntaxat vindictam agnouisse visus instituit Confessionem. Quidam diu Sacerdotis nostri monita surdis auribus transmittens, intempesta nocte à malo Dæmone ex hypocausto protractus carpẽto imponitur; in quo cùm sanctissimum nomen IESV imploraret, à tartareo quidem auriga deseritur, dextra tamen manu pedéque confractis miserè habitus, vt reptans ad Sacerdotem deueniret, auxi-

Digitized by Google

auxilium per Confessionem accepturus. Preces Nostrorum S Casimiri beneuolentiam cuidam promeruisse creditæ sunt. Religiosi duo ex Bernardinorum ordine Sacerdotio alter, alter sola religione initiatus, in Collegium nostrum hospitio excepti mense vno medicorum opera vtebantur; quòd qui Sacerdos non erat, paralysi adeò laboraret, vt vnius brachij vsum omnino haberet nullum. Qui cùm tandem fallente arte medica Nostrorum preces & sacrificia adhibuisset, nocte quadam per quietem sibi videre visus est quendam regio ornatu splendentem, alloquentem se & sanitatem promittentem. Excitatus à viso socium Sacerdotem appellat, & accurrenti se iam persanatum ait, D. Casimiri, quem vidisset, beneficio; quod vsus brachij approbauit.

Conualescere è Nostris vni concessum perinde non erat: P. scilicet Francisco Brandonio, qui octo annorum hæmorrhoide immedicabili extinctus est: is vno ante mortem mense, cùm valetudinis caussà excurrisset, in ambitu primarij templi (quod Hæreticorum iam est) in Ministrum iuuenem superbià tumentem, Herculémque sacrarum literarum scse iactitantem inciderat, quem aggressus ille argumentis & rationibus mirificè pudefecit, vt nisi concurrentium tumultus intercessisset, pennas inflato Ardelioni propiùs accidisset. Viginti sex reliquorum Nostrorum opera fidem Romanam susceperè; baptismum ex adultis octodecim.

Digitized by Google

COLLEGIVM DERPATENSE ET SAMOGITICA MISSIO.

X. DERPATENSI Collegio per Suecos deuastato, duo tantùm Nostrorum opus adhuc faciunt. Polonicâ & Esthonicâ linguâ reliquias Catholicorum confirmantes, & hæreticorum insolentiæ pro ouibus Christi, se fortiter opponentes. Vndecim eorum rationibus conuicerunt, correxerúntque: vnus reliquis præfractior atque impudentior suam vxorem DEI Matri nihil de dignitate concedere non minùs mendaci, quàm impio ore pugnabat: in fũgo fuit vindicta, à quo inter edẽdum suffocatus porrecto cadauere horrendum compransoribus suis exhibuit spectaculum.

XI. QVI IN expeditione Samogitica versati sunt, ij præter familias quasdam nobilium integras Catholicâ disciplinâ imbutas, octo & viginti alios detersо hæreticæ frontis stibio perpurgârunt; alia omnia instituti nostri solertissimè executi. Qui & Curionum partes agere non nusquam baptizando infantes & adultos, ita necessitate iuxta & charitate suadente, compellebantur. Reperti alicubi qui ludibrijs artium operibúsq; manuum suarum Neptuno, Cereri, frugum custodibus, aliísque id genus monstris supplicabant: hi meliora docti ad veri vniúsq; DEI cultum se conuertêre. Et verò tam grata Nostrorum doctrina passim fuit omnibus, vt cùm euocarentur à P. Prouinciali in sacris commentationibus à tot occupationibus nonnihil respiraturi,

Digitized by Google

raturi, qnærerent Samogitici, quid adeò peccâssent, in eos, quòd secum viuere diutius nollent. Quidam certè peccatis suis tribuebant id infortunij, quibus commeruissent tantorum virorum discessum: alij timebant, ne inopiâ rerum ad victum necessariarum coacti abierint; vnde & milites passim incusabant, propter quorum importunas & intolerabiles exactiones commeatui, vt vellent, prouidere nequiuerint. Sed quanto maior fuit luctus abeuntibus Nostris, tanto deinde redeuntibus illis amplior fuit lætitia; ita vt non tantùm omnia ad vitam necessaria abundè subministrarent, sed vnanimi etiam consensu stabilem fixámque sedem expeterent.

ORSENSIS SEDES.

XII. MAIOR quotidie spes religionis Catholicæ in his, licet abstrusis, Russiæ partibus affulget; estque is incolarum in nostros animus, vt nil magis expetant, quàm vt sententia de statuendo Collegio quàm citissimè feratur: soli milites, qui rapinis & prædationibus finitimum agrum infestant, remoram muneribus nostris excursionibúsque identidem obiêcere, sed ij ipsi capti ab ea licentia ad frugem rediêre, & octingenti minimùm de noxis apud nos cõfessi sunt. Alios plerosque omnes à nostris moribus fidéque non multum abhorrere signa multa sunt: concio præsertim frequens eiúsque fructus. Quidam cùm se rationibus dicentis victum, & animo mirificè incensum aduerteret, decreuit à re

Digitized by Google

diuina Sacerdoti ritu Catholico se aperire: sed mox sopitâ flammâ contrarium statuit: mansit tamen in templo eâ mente, vt ad eleuatam hostiâ & calicem genua nollet demittere. Dum ita obfirmato malitiâ animo subsellijs affixus hæret truncus, iámque adorandum ferculum in sublime à sacrificante tollitur, eccè tibi repentina quadam vi lapis ille mouetur, humique se reperit, admirans ipse, qua ratione id fuerit factum.

Scotus homo Caluiniana hæresi infectus, cùm fortè acriùs de fide cum Catholico disceptaret, denique audiuit ab eo, nisi agnito errore peccata per Confessionem deleret, fore, vt Dæmonibus in prædam cederet. Contempsit ille primùm minas: sed cùm post longos sermones flexo in occasũ die quieti se traderet, subitis spectris territus, idiomate suo, *equus niger*, inquit, *me persequitur*. Qui cùm ipsi importunus esse non desisteret, incertis passibus errans in aliam domũ confugit: sed cùm nec ibi quidem aspectum persequentis equi vitare posset, nil supererat, quàm vt non equum, sed alium sub ea forma crederet. Intempesta igitur nocte, vocato Nostro, expiatus, & manè sacra Synaxi pastus, se ab ea molestia penitus expediuit.

MISSIONES LOMSENSIS ET MOSCOVITICA.

XIII. PRIORIS huius Missionis opera etiam in militibus, qui in hiberna huc missi sunt, su-

um

um habuit pretium; quos equidem difficile non fuit nominis nostri per se admodum studiosos intra gyrum rationis & modestiæ continere: & quod eorum frugalitatem commendat, ij ipsi de proprio stipendio eleemosynæ nomine largiti sunt Nostris ducentos aureos, præter commeatum, quem plurimum toto eo tempore, quo in hac ciuitate versabantur, tenuitati subleuandæ ministrárunt. Abituri sacrificio pro felici rerum successu impetrato, auditóque verbo diuino è templo nolebant discedere, quàm Noster illis bene precaretur. Itaque tum his, tum alijs impensa Nostrorum seruitia profuêre ad salutem.

Nullius frugi iuuenis indulgentiâ patris abusus in omne genus licentiæ effundebatur, adeò quidem, nullum vt officium tam sanctum, ius tam integrum esset, quod immoderata libidine non violaret; denique etiam, vt fieri solet, parentibus impias & parricidales manus inferre non vereretur. Fecerat officium suum parens, & filium tam propriâ quàm amicorum operâ adhibitâ conabatur ad modestiam & frugem componere: sed lictori verba; quin imò insolentior inde factus proteruus adolescens, parenti mortẽ & bonis illius minatur incendium. Quod ne designaret aliquãdo, furibundum hominẽ à famulis comprehendi iubet pater: sed ille equum fortuito nactus fugam meditatur ex aulâ parentis. Dum ita properè festinat in ipso tumultu, globo bombardæ traijcitur; euadit tamen equi virtute adiutus: sed viribus tandem ob continuum san-

Digitized by Google

guinis defluxum sensim deficientibus ad nobilem vicinũ defertur, vbi per aliquot dies ex vulnere vtcunque recreatus in paternam denique domum recipitur. Hinc cùm eum magis vtique irritatum parens non immerito metueret, incolumitati patris æquè ac filij prospecturus quispiam amicorum, Nostros euocat. Hi cùm ex vulnere corporis animæ vulnus facilè deprehẽdissent, huius vtique plagam sanandam prius rati, vlceroſæ conscientiæ fomentum applicant. Auditus de peccatis, ad eximendum omnem parentibus timorem & suspicionem veniam eos per Nostrum rogat: quam illi non libenter modo dederunt, sed vnà cum tota familia domestica & aliquot paganis in gratiarum actionem compositæ pacis instituêre exomologesin. Hæc de Lomsensi. De Moscouitica expeditione quæ sequuntur. Oppugnatio Smolensci ter per assultus attentata, ad expugnationem animorum patentem Nostris fecit viam. Ipsis diebus impressionum, multísque antè, cùm in castris, tum sub muris inter tela & glandes plumbeas passim volitantes conscientiarum datæ rationes. Turmæ vnius milites armis iam accincti, oneribus animi deiectis faciliores & animosiores ad impetum faciendum sunt redditi: animaduersúmq; est minori cũ iactura ita paratos decertâsse, quàm vel ipsi sperâssent. Ad eundem finem faciebant solito frequentiores diebus festis conciones sacræ, & preces: quibus in exercitijs ipsemet Serenissimus Rex rara pietate patientíque duratione exemplum fuit. Dies corpori Christi sacer eo

animo-

animorum locorúmque ornatu peractus est, vt quatuor altaria, quæ præ ceteris splẽdebant, iussu Regis delineata ad Sereniſſimam coniugem transmitterentur. Bacchanalia agebantur à militibus non in popinis ſed templis: ad D. Caſimiri & IGNATII noſtri preces conualuêre ſex: totidem beneficio extremæ vnctionis ſenſum vigorẽmque iam oppreſſum recepêre: centum ſeptuaginta in cenſum Catholicorum venerunt. Vnus è Patribus noſtris P. Georgius Szambogen Pruthenus natione, dum Germanorum corporibus animíſque curandis officioſior adeſt, lue contagioſa afflatus, febrire cœpit, eáq; deſæuiente extinctus, monimentum amoris ſui erga miſeros reliquit, nunquam interiturum: tantáq; mutatio morum tum huius tum aliorum Societatis Patrum vigilantiam ſecuta eſt, vt qui adhuc Noſtrorum fugiebant commercia, ipsáſque adeò ſellas, ſcamna, menſas, orbes, & quibus alijs vſi fuiſſemus velut contaminata aut impura abradebant & abluebant, nunc vltro ſeſe in conſortium Noſtrorum ingerant, familiaríque conuictu plurimum afficiuntur.

Digitized by Google

Numerauit Socios decem ſupra quadringentos. Alteram vitam exorſi ſunt duo.

		Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Admitores.*
Valentiæ	Domus Profeſsa	XXXVIII.	XX.			XVIII.
	Collegium	L.	XII.		XXV.	XIII.
Coll. Gandienſe		XXXVIII.	XI.	I.	XV.	XI.
Coll. Cæſarauguſtan.		XLVIII.	XX.	II.	X.	XVI.
Coll. Bilbilitanum		XXIV.	X.	II.	VII.	V.

Digitized by Google

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Precept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
Coll ſuriaſonenſe	XV.	V.	*V.*		V.
Coll. Barcinonenſe	XXXVII.	XIV.		IX.	XIV.
Dom. Prob. Tarraconenſis	XLIII.	V.		*XXXIV.*	IV.
Coll Gerundenſe	XXXIII.	VIII.	II.	XIII.	X.
Coll. Maioricenſe	XXXII.	XII.	II.	*VIII*	*XII.*
Coll. Vrgelenſe	XVI.	VI.	I.	*VI.*	III.
Coll. Ilerdenſe	*XIV.*	*VIII.*	*I.*		*V.*
Coll. Oſcanienſe	*VI.*	III.			III.
Reſid. Perpinianenſis.	XIII.	VIII.			*V.*

Digitized by Google

Infames mulierculæ ad meliorem vitæ frugem traductæ quinque.

B. P. Ignatij ope à varijs morbis erepti duodecim.

Sacris eiusdem Beati commentationibus exculti sex.

DO-

Digitized by Google

DOMVS PROFESSA VALENTINA, CVM COLLEGIJS & Sedibus reliquis.

I.



CONGREGATIONES equitum, aliorúmque ordinum, quæ à Domo Professâ suum accipiunt vigorem & succum, meliùs nullo anno habuêre. Harum cura & pietate è vinculis & ergastulis educti non pauci: aliquando vnius mensis spatio ad octoginta.

II. GANDIÆ narratio exemplorum sacrorum, per Nostros diebus festis inducta, & à bonorum morum Sacerdote propagata cum vtilitate procedit: cuius finem voluntarius plagarum vsus comitari plerumq; solet. Iuuentutis contubernium recèns erectum floret, & non tantùm numero aduentantium discipulorum aliquam facit accessionem, sed etiam pietati. E Nostris hinc emigrauêre duo: P. Franciscus Icart professis adscriptus & tres supra viginti annos in Societate

tate versatus, tantâ virtutum omnium laude, quantam quis ab integerrimo quoq; possit sperare. Amisimus sanè virum modestum, laboriosum, sui despicientem, muneribus Societatis aptissimum: qui pueros rudimentis Christianis summa cura & voluptate imbuebat, Tirones nostros exemplo suo & pietate ad virtutem inuitabat, bellum secum & cum animi sui hostibus continuum non sine magnis victorijs gerebat: cuius virtus non minus externorum quàm domesticorũ testimonium habet: nam posteaquã eum vixisse intellexerunt, mirus populi fuit accursus & certamẽ, vt qualecumq; pignus de tanti viri relictis exuuijs auferrent, dum iusta fierẽt. Comitatus est Patrẽ Coadiutor Antonius Serranus, quadragesimo inter Socios peracto anno: ea prudentia vir, vt in Domo Professa Valentina Subministri munus cum laude administraret; ea animi tranquillitate, quæ nullis procellis aut rerum derepentè incidentium oborta tempestate posset euerti: ea denique humanitate, qua ad sẽ omnium animos oculósque facilè conuertebat: quæ omnia ex cœlestibus thesauris per continuam optimarum rerum contemplationem hausta sibi comparuit.

III. CÆSARAVGVSTÆ tribus cœtibus, qui DEI Matrem in suis præsidijs habere volunt, se adjunxit hoc anno quartus Theologorum & Philosophorũ. Sodali nobili ex Rhetorices palæstra colaphum quidam inflixerat; à quo nil aliud injuriarum vel accepit vel audiuit, quàm illa Christiano homine dignissima verba: *Inter Sodales Maria-*

Marianos numeror; vnde hoc mihi & quidnis aliud æquo est animo perferendum. Publicæ pietati promouendæ hoc accessit, vt tempore Quadragesimæ tribus diebus quaque hebdomade sub vesperum de Sanctorum rebus gestis aliquid ad populum dicatur, eo accursu audientium fructúque, quem iustis concionibus æquare possis. B. N. IGNATII Sacellum celebre reddunt obtenta in eo subsidia: Fuisse memorant, cuius vitam ingens reuoluta carri rota in discrimine posuerat, qui implorata IGNATII ope sit conseruatus. Ex febri, ex ipsis adeò mortis faucibus eiusdem auxilio ereptum alium testantur. Dati à ciuibus pro ædificio nostro aureorum quinq; millia; ab alio numi argentei ter mille supra quingentos. Duo è Nostris etiam digressi in Pyrenæos montes magnum Societatis retinendæ desiderium intulerunt: & quod primarij viri efficere diu non poterant, vt quidam illatam affini necem condonaret, adhibiti Nostri DEO Duce omnem ex animo illius iniuriæ memoriam exemerunt.

IV. BILBILI in Sodalitatibus DEI Matris, quanta ad Sodalium numerum, tanta ad virtutis cõmendationem accessio facta est. Eorũ in omni genere non vulgaris laus, sed præcipuè in tuenda castimonia: vt ne sollicitati quidem impudẽter, aliquid contra pudorem designent, ne integerrimæ Patronæ suæ clientelâ excidant. Beati Auctoris & Parentis nostri IGNATII honorem alij cordi habuêre: Inter cæteros pecuniosus mercator in morbo illi piè supplicauerat, manúque eius cũ osculo salutata, postquã se cõualuisse

anim-

Digitized by Google

animaduertit, ad Sacellum sui medici aureos transmisit quinquaginta, ne ingratus esset: quingentorum etiam aureorum pretio ornatus ab alio Nostri studio eòdem collatus.

V. IN IVRIASONENSI Collegio tres opportunis temporibus excursiones factæ, & odiorum causæ sublatæ plurimæ. Quendam B. VIRGINIS veneratio & piacularium globulorum vsus à magno malo retraxit. Agebatur ille in vxorem de adulterio suspectam multis intemperijs, cùm aliàs sclopo, aliàs ferro eam de medio sublatum iret: sed ita res semper (occulta haud dubiè cœlesti vi) cecidit, vti vel silex tormentariæ rotæ ignem negaret, vel gladius è manibus ad cædem paratis fortuitò excussus rumperetur. Cùm ita diu his animi motibus fluctuaret miser, ei tandem VIRGO, quam adeò colebat, auro gemmisque conspicua apparuit, quæ memor exhibitorum sibi officiorum, & sanitatem ei restituit (quòd tum ęgrotaret ex poculo ab vxore mixto) & pacem reddituram se promisit per duos Religiosos viros ei submittendos. Absterso igitur per hoc visum morbo, expectabat iam alteram beneficij promissi partem; cúmque in Sacello quodam extra oppidum sito pernoctaret, excitatus è somno, eos ipsos vidit ingredientes, de quibus B. VIRGO promiserat; canescentem vnũ, floridæ ætatis alterum, infuscata paululum facie, quam circumfusus splẽdor venustiorem reddebat. Hi se esse aiebant illos, qui trium dierum spatio ad ipsum forent accessuri. Stetère promissis, quos & vir optimus licet nominis nostri vix

Digitized by Google

vix vllam antea notionem haberet, statim agnouit, peccata illis, rémque omnem, vt gestam commemorauimus, recensuit.

VI. BARCINONÆ non pauci ad formam à B. IGNATIO præscriptam in suos mores inquisiuerũt: nec animi solùm præsidia ab eodem Beato collata sunt, sed corporis etiam: quod in duabus feminis & vno puero animaduersum, quem rota currûs inuoluisset, nisi priùs aliquis Sacerdos in genua prouolutus, preces suas interposuisset. Itum Minoresam & aliò à Nostris, quò & pacem animorum & Christianæ doctrinæ cognitionẽ detulerunt. Collegij rem auctiorem fecêre amici quingentis ferè aureis: peristromate serico, candelabris argenteis, alijs Dux à Monteleon.

VII. Ex DOMO Probationis Tarraconensis in oppidum delati sunt Nostri, in quod ciuium inter se exacerbati animi nihil ferè scelerum non inuexerant: adeò omnia ardebant odio seu profanam seu sacram spectares rempublicam, vt nouem annorum spatio ex duplici factione, ducenti miserrimè occubuerint. Huic hominum lanienæ opportunis modis Nostrorum se opposuit charitas, & ad sex millia ferè auditorum ita dixêre, vt millia quatuor accepto pacis Sacraméto renouatum amicitiæ charitatisq; fœdus confirmârint, mirifica omnium voluntate & gratulatione. Fuisse memorant ex ea turba, qui audito cõcionatore triginta horas nec buccella sumpta lachrimando insumpserit, nec ab eo consilio destitisse, donec omnium peccatorum enarrata serie cum DEO se in gratiam reposuisset.

Digitized by Google

VIII. INFAMES duæ à quæstu & turpitudine mulieres, quæ nullis vel minis vel præmijs ad munditiem reuocari poterant, Gerundæ se in concionem nostri Ecclesiastæ ingesserant, magis quidem nouitatis alicuius quàm pietatis studio: sed eas locus, vultus audientium, & dicentis ardor ita permouit, vt iam essent quod priùs nolebant.

IX. CIVES Maioricenses officia nostra amant, quod magno nobis est incitamento ad contentiùs ea prosequenda. Literæ humaniores ita creuêre, vt Philosophiæ curriculum potuerit hoc anno adiungi. Qui in agris versantur, didicêre à nobis priùs diuinæ rei interesse, quàm ad opus eant: piaculares sphærulas, cùm inde redeunt, percurrere.

X. VRGELITANIS perquam fauit B. IGNATIVS: equitem clarissimum rogatus, in vita retinuit: Chirurgo chirurgus fuit, eúmque ex digito laborantem persanauit.

XI. NEC minus bene voluit fecítq; Ilerdensibus: herniæ dolores adolescens quidam argentea tabella sacello ipsius illata oppressit: mulier oculorum aciem, quam ferè omnem amiserat, voto nuncupato recepit.

XII. OSCANII Collegij nota sunt studia. Perpinianensem sedem satis occupant milites, qui totius regni præsidium arcémque defendunt: tametsi vicinis oppidis laborantibus non rarò porrigant manum nostri Sacerdotes, quorum charitas maior est, quàm vt vno muro aut loco possit includi.

PRO-

Digitized by Google

Aluit Bætica Socios ad quingentos quadraginta sex. Decem & septem ad meliorem vitam decesserunt. Duo & triginta se Societati adiunxerunt.

		Vniuersim.	Sacerdotes.	Præcept.	Scholast.	Adiutores.
Hispali	Domus Professa	LXVI.	XXX.		·	XXXVI.
	Collegium	LXII.	XX.		XXX.	XII.
	Sem. Anglicanum.	X.	V.			V.
	Domus Probationis	XXXVII.	III.	·		XI.
Coll. Cordubense		L.	XVII.		XVI.	XVII.

	Vniuersim.	Sacerdotes.	Præcept.	Scholast.	Adiutores.
Coll. Granatense	LXXX.	XX.		XXVIII.	XXXII.
Coll. Montellanum	XLIV.	VII.		XXIV.	XIII.
Coll. Baëzanum	XII.	IV.			VIII.
Coll. Malacense	XXXVI.	X.		XV.	XI.
Coll. Gadense	XIV.	VII.			VII.
Coll. Xerense	XII.	VI.		I.	V.
Coll. Marcenense	XVIII.	IX.			IX.
Coll. Triguerense	XIX.	VII.			XII.
Coll. Astigitanum	XXII.	IX.		VII.	VI.
Coll. Cazorlanum.	XIV.	V.			IX.

Digitized by Google

	Vniuerſim.	Sacerdotes.	Præcept.	Scholaſt.	Adiutores.
Coll. Vbedannm	VII.	III.			IV.
Coll. Frexenalenſe	XV.	VII.		III.	V.
Coll. Guadixenſe	XII.	IV.		I.	VII.
Coll. Antiqueranum.	X.	V.			V.

Sedatæ iræ decies quater.
A meretricio quæſtu abductæ decem.
A nece ſeruati duo.

Digitized by Google

DOMVS PROFESSA HISPALENSIS CVM COLlegio, Seminario, & Tirocinio ibidem.

I.

EXHAVSTOS laboribus optimèque meritos de Instituto nostro Socios mors, quæ nemini pareit, extinxit sex: è domo quatuor; P. Iacobum de Herrera, summa vota dudum antè professum, annos vndetriginta Societatis alumnum. Sustinuerat ille concionatoris æquè ac confessarij partes egregiè domi, forísque: dum magnis tandem doloribus confectus eam tolerantiam ostendit, qua maior etiam ab integerrimo desiderari non poterat. In P. Hieronymo Ortizio eiusdem in Societate meriti & professionis prudentia eluxit & longè abhorrens à vitio cognationis affectus. Quas ille virtutes tum totis nouendecim annis, quos inter nos egit, tum præcipuè in munere instituendi Tirones, quod aliquamdiu exercuerat, præ se tulit.

Pau-

Digitized by Google

Paupertatem suíque despicientiam P. Melchior Valledolidus tria vota professus singulari conatu sectari visus est, annis quadraginta sex: nec ita facilè ambitiosus aliquis popularisue aurę captator, speciosis & honorificis muneribus se obtrudere solet, quàm ille abjectis, obscuris hominibus delectari. P. Bartholomæo Hurtado quatuor etiam votis obligato austera corporis disciplina familiaris fuit, quam octo & viginti annos ita cum silentio assiduóque secessu inter Socios cõtinuauit, alijs vt admirationi esset, alijs exemplo. E Fratribus duos amisit Collegium: Iacobum de Castello, qui cùm quinto & vigesimo ætatis anno vltimam iam studiorum suorum metam attigisset, eandem & vitæ expertus est: notus animi candore & aduersus Maiores obseruantiâ: qua in virtute nihil omnino cessit, qui eum deinde secutus est, Gonsaluus Marquesius, sexagenario maior, & rei familiaris administrator vigilantissimus. His igitur, quorum iam feliciter peracta fortuna & vita est, bene precemur, & reliqua videamus.

II. REPERTVS hoc anno modus est, vt Tirones nostri, qui in Professorum domo commorari solent, abiuncti omnino viuant ab omni cum veteranis consortio: quod plurimùm referre iudicatum est. Externis deinde, & præcipuâ curâ Mahometanis, quos recentes Christianos vocãt, consultũ. Inter eos, qui ob factã coniurationem è regno pellebantur (vt insontes aliquãdo à sontium fortuna trahi necesse est) vnus fuit, qui diceret: Regem quidem Philippum agere, vt

Digitized by Google

Christianum maximè Principem deceret atque oporteret: se tamen, quæcumq; fortuna subeunda foret, vnà cum vxore & liberis nullo vnquam tempore aut loco religionem Catholicam mutaturum: sed apud quos Nostrorū consilia præcipuè valebant, magistratus erant, tam Ecclesiastici quàm ciuiles, qui vt plurimum nobis fidūt, sicq; data à Nostris opera, ne quid minùs prudēter vtilitérque suggereretur. Ad priuatos iuuandos id curatum, vt ante piam diuerberationem (quæ in templo nostro ter singulis Aduentūs & Quadragesimæ hebdomadis, in reliquis bis tantum à populo suscipi solet) exhortatiuncula sanctioribus temporibus haberetur. Vnum nobiscum funem trahunt & Sodales, quiomnes partes sui instituti absoluunt. E Clericorum Sodalitio obtinuit à Rege Philippo vnus, vt publicū ergastulum (triremem appellant) ædificaretur, in quod flagitiosæ mulierculæ, scelerúmq; conuictæ conijcerentur, quibus ex Sodalium liberalitate necessarius victus tribueretur. Quare tantum timoris iniectum est illi hominum pesti, vt mulierculæ cōplures collectis vasis Hispali excesserint. Quæ remanent & ad frugem se omissa libidine recipiunt, patronum ex ijsdem Sodalibus habent, qui inclusas corrogata stipe sustentet, curétque de cetero, ne quid vel animæ desit, vel corpori. Quibus pietatis studijs cùm Sodales istos maximè delectari intelligeret Archiepiscopus, nō alios magnæ illi pecuniæ summæ præficere voluit, quam pauperibus occultioribus & stipem petere erubescentibus assignauit.

Digitized by Google

nit distribuendam. Æmuli istorum viri nobiles, qui diuersum cœtum constituunt, quaque Dominicâ binos in orbẽ nominant, qui per eam hebdomadem patrocinium pauperũ suscipiant, captos pretio redimant: fitque nonnunquam vocato dierum spatio ampliùs quatuordecim horum Sodalium operâ liberentur. Iuuentus, quæ à Nostris eruditur, numerosa sanè, mille circiter capitum, contendit magnis passibus ad laudem virorum. Centum aureis æstimatum donarium sacello ibidem vnus dedit: sacrario domûs sexcenti à ciuiũ manibus oblati. Coëmpta domus aureis mille ducentis ad Seminarium Anglicanum pertinet, cui præter alia multa sacro vsui ab alijs confecta, D. Doctor Petrus Verdugus testamento reliquit aureos quingentos. Octingentis Probationis domus, in quam hoc anno migrârant Tirones, subleuata est: certante videlicet nobiscum DEI misericordia, quæ opera hominum exigua magnis beneficijs solet remunerari.

COLLEGIVM GRANATENSE.

III. ETSI GRANATÆ hoc anno decem & octo sint in Societatem admissi, nulla tamen ex parte compensari iactura videbatur, quæ trium è Nostris morte accepta est: P. Thomæ Sanctij quatuor vota professi & symptomate lethargico absumpti: Baptistæ N. curatoris domestici & in suburbano prædio cùm fructus in laboribus le-

gereẽ casũ fortuito extincti: P. Ioan. Turrij multis annis in Societate Rectoris & Ministri munere ritè perfuncti. De singulis eo ordine dicemus, vt ab vltimo ad primum eamus. Vixit itaq; P. Turrius apud nos annos viginti nouem, cùm non plures quadraginta quinque à vitæ largitore accepisset. A puero sẽ pijs contemplationibus assuefecit, vt nonnunquam illis noctes integras insomnis daret. Beatissimam VIRGINEM, D. Agnetem, alióſq; cõplures è cœlitũ turba dulcissimo pietatis affectu varijſq; obsequijs assiduè colebat, & in eundem eorum cultum alios, quibuscum agebat, qua exemplo, qua verbo inuitabat. Animarum salutem ita cordi habuit, vt eam valetudini corporis, alijs quibuſcunque negotijs anteferret, totis diebus subsellijs confitẽtium affixus. His virtutum ornamentis insignis, nuncium mortis eo vultu excepit, quo alij vitæ, in illa Regij Psaltæ verba effusus: *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.* De sanctitate ac beatitudine Baptistæ illud primum pignus quodãmodo accepimus: quod Societatẽ amplexus & quinquagesimũ iam diem primæ probationis agens (nam hæc illis tẽporibus eo vsq; protrahi solebat) grauissimo Dæmonis impulsu fugam per solitudinẽ meditatus, cùm respexisset, adesse sibi vidit Beatiſs. Virginem MARIAM, hinc Apostolo Petro, inde D. Barbara, quibus ille iam pridẽ erat addictus, stipatã; benignóq; vultu hortantẽ, vt ea sorte statúq; contentus perseueraret, in quo vitam esset cõsecuturus æternam. Quo ille solatio confirmatus, cœptis insistere, quan-

quanta posset contentione corporis & animi, decreuit. Fruebatur inter ipsa domûs opera assidua quadam Numinis familiaritate, cum tanta mentis dulcedine, vt non solùm ad sacratissimæ Eucharistiæ perceptionem, sed ad quãuis etiam de rebus diuinis factam mentionẽ lachrimis vberrim perfunderetur. Et fortè accidit, vt agnos à matribus depelleret, nolentésq; separaret; quod factum cùm ipsi nouissimã illam iustorũ à malis separationem in memoriam reuocàsset, tãtisper lachrimas cohibere non potuit, donec ab ea cogitatione mentem cõsultò auertisset. Cùm Granatensi cuidam olim Rectori grauissimum falsò crimen fuisset impositũ, atq; obid Hispalim, vt caussam apud Prouincialẽ diceret, fuisset euocatus, Baptista de suo capite sollicit' se ante DEVM in genua proijcit, suppléxq; rogat, vt Rectorem defensum atq; incolumem breui ad suos redire permittat. Precanti assensit vox repentè ad aures illapsa, quæ iussit eum securo esse animo, & prædicere, Rectorem breui in vrbem sine vlla culpæ aut infamiæ nota rediturum: quod & factum est. Qui familiaris Baptistæ cum DEO agendi modus cùm Dæmoni ægrè faceret', ire contra voluit, sæpiúsque illi horribili forma obiectus, vngues, fauces, ipsúmque adeò interitum minatus est: sed implorato IESV CHRISTI auxilio semper repulsus. Sui suarúmque commoditatum contemptor Ioannes fuit maximus, & P. Thomæ Sanctio, quicum veterem religiosámque habuit amicitiam, omnino geminus.

Ad

Ad cibos condiendos dum ruri fuit, (fuit autem ferè semper) piper aliud vè aroma nunquam postulauit: rosas oblatas amouit, dictitans; se nunquam florum odore fuisse pastum. Lectum sindone nunquam strauit, quoad his vltimis vitæ annis præsidum iussu coactus simplicem tantùm abhibuit. Verberibus in se ab ipso Tirocinio sæuire solitus est atrociter; adeò quidem, vt Thomas, qui cum eo tironē tum agebat, prope hominem de Magistri iussu collocaretur, qui signo dato modum verberibus poneret, quamuis ijsdem frenis hic quoque indigeret: ita enim conuenerat inter vtrumque, vt pio quodam certamine per diem inuicē sibi molesti essent, mutuáque pro libitu pœnas imperarent: affirmabátque pòst Baptista, tam acrem se, durum atq; asperum Thomam in imponendis pœnis reddidisse, vt timeret iam, cum tam robusto Athleta pedem conferre. Ex his initijs illa dein extitêre in Baptista præcipua ornamenta; Propinquorū, omníque humani consortij fuga: vt quamuis scribere didicisset, quamdiu tamen in Societate vixit, non ad Nostros, non ad suos vnquam litteras dederit: Obedientia singularis, quæ se ad Procuratoris etiam domûs iussa facienda extendebat; nam parere illis, quibus obsequium iurauerat, nimis quàm facilè ipsi fuit & promptum: Amor Societatis, adeò, vt doleret gemerétque ex animo, si quid accidisset, quod nomini nostro aut famæ posset officere: Charitas in omnes, cuius instinctu à Deo postulâsse fertur, vt subitaneo morbo ex hac vita auferretur, ne Socijs sibi

inseruí-

inseruituris molestiam crearet: quas quidem illius preces sapientissimus DEVS videtur audiuisse, qui illum non integrum à lapsu ex arbore diè permisit cruciari, quin cœlesti viatico refectum in cœlum auocârit. Sed venio ad eius colluctatorem P. Thomam Sanctium, de cuius virtutibus cùm multa dicenda sint, debent tamen pro literarum istarum breuitate non pauca omitti.

IV. FVIT is magnum omnino Societatis lumen, seu radios virtutis, seu doctrinæ inspicias; vt difficile sit diiudicare, vtrâ magis claruerit. Natus Cordubæ cùm ab infantia balbutiret, atque ob id linguæ vitium à Societate, quam ardentissimis votis ambiebat, repelleretur, ad aram DEIPARÆ, quæ sancti fontis nomine extra pomœria magna veneratione colitur, confugit, genibúsque flexis & defluentibus in faciem lachrimis testatus, non se priùs inde recessurum, quàm fandi facultatem expeditam impetrâsset. Mouit pertinax pietas adolescentis Misericordiæ Matrem, quæ statim hæsitationis deformitatem in illo sic correxit, plus vt non relinqueret antiqui mali, quàm quod satis esset ad memoriam collati beneficij; quod quidem deinde ita perpetuò recoluit, vt quoties Cordubam proficiscebatur, priùs salutaret VIRGINEM quàm Collegium, ac proximum quemque diem in sacello fontis sancti totum meditando transigeret.

HIS auspicijs ingressus Societatem altissimos virtutum fines, in quos toto animo cõtenderet, sibi proposuit, & secundùm Ephemeridem relatos ad

ros ad memoriam, rectiùs, quàm proposuerat, est assecutus.

2. Statuit (vt ex illo codice patet) in sacrarum rerum quæstum non secus inhiare, quàm solet mercator aliquis auidissimus rei faciundæ.

3. In opera charitatis ita incumbere, vt proprium bonum aliorum commodis semper posthaberet: & rumpi citius, quàm vel leuissimum aliorum defectum seriò iocóue in vulgus spargeret: quin potiùs nihil non facere, quo omnes magni apud se æstimaret, idem verbis præ se ferret.

3. Patientiam colere ad ferrariæ incudis duritiem: è cubiculo eo animo semper egredi, vt impatiendi occasiones plurimas incurreret: enixè à DEO contendere, vt, quæ ab alijs petiturus esset, nunquam concederentur.

4. Satagere ad necem vsque, vt ijs, qui maiorem sibi molestiam intulissent, maiorem gratiam haberet.

5. Carnis blanditijs tàm acrem fore hostē, quàm Diaboli: sensibúsq; omnibus bellum inferre: in hortis suaue nil olfacere: oculos sic demittere, vt obuios non nisi salutandi gratiā posset cernere; in triclinio verò ne lancem quidem appositam, donec eam ipse admouisset: cibos verò sine vllo condimento sumere, oleo videlicet, aceto, sale & huiusmodi: ab illis se abstinere omnino, qui palato maximè saperent, aut religiosum dedecerent: siti etiam iustæ non satisfacere: in mensa orare DEVM, vt per obliuionem

nem miniſtrorum incænatus aut impranſus relinqueretur.

6. Silentium ſanctiſſimè ſeruare, colloquijs omnibus diuinum ſemper aliquid immiſcere, nec externum vnquam ſine eiuſmodi paſtu dimittere.

7. Paupertatem amare intimè: veſtem viliorem ſemper, & quoad fieri poſſet, recentem nunquam induere: iter agere ſine vllo alleuamento.

8. Se pro vnius anni Tirone perpetuò habere: cauere, ne quid excideret vnquam, quo ſe vel doctiorem alijs, vel etiam literatum oſtenderet: inferiorem locum vbique, citra tamen aliorum offenſionem, quærere.

9. Regulas vel ad vltimum apicem ſeruare, ne aciculam quidem ſine facultate ſibi vſurpare, aut folium arboris tangere.

10. Ad communem Meditationis horam quotidie alteram adijcere, nec eam conſuetudinem vllo vnquam negotio præpeditum omittere.

Hæc tam ardua perfectæ vitæ faſtigia, aliáque id genus multa ſibi propoſuit Thomas, nec præſtitit inferiora aut pauciora. Nam quod charitatis erat & primâ curâ ab ipſo obſeruatum, nemo quidquam eum rogauit vnquam, quantumuis magnum, quod, ſi penes ipſum foret, non liberalitate ſumma amoréque pleniſſima conceſſerit. Dolebat intimis medullis vicem miſerorum, & eorum maximè, qui à Societate noſtra deficerent, quod peruideret animo,

Digitized by Google

animo, & bona quæ amitterent, & infinita quodammodo, in quæ præcipitarent, mala: adeóque, quo tempore Magister Tironum fuit, vnius casus eum torsit, vt præ animi corporisque sensu acerbissimo continere se nequiuerit, quin magnos primùm ederet clamores; animo deinde omnino linqueretur. Quoties autem in reliquo vitæ decursu ad Tirocinium diuertere ipsum cõtingebat, singulos ibi in Societatis propositò cõfirmabat; & si aliquando, (vt homines sumus,) duriusculè aliquem allocutus sibi videretur, noctem ipsam insequentem dolendo transigebat insomnem.

Quæ autem viri patientia? Reprehensus fortè publico in triclinio, mox ad Eucharistiam flexis genibus reprehendenti & ijs, qui reprehensionem conflarant, mille bona precabatur: in quo singulare exemplum illud fuit. Nam cùm Collegij Minister aliquando malè de re aliqua edoctus Rectore inscio ipsum publicè grauissimè increpuisset, mox ille coram Christi Corpore vouit rem perpetuò tacere, nec se de ipsa vnquam purgare: sed nec factum illud latere diu potuit, nec Minister in Societate permanere. Quæ hominis infelicitas tantùm abfuit, vt Thomæ non displiceret, vt doluerit etiam, dimissúmque magna charitate prosecutus fuerit. Sed enim quid non faceret ille, qui læsus ab aliquo varias corporis acerbitates ex iniuriæ grauitate maiores aut minores, pro eo, qui læserat, vltro susceipere consueuit?

Corpus sensúsque eà disciplinâ coërcuit, vti florem

Digitized by Google

florem naribus nunquam admoueret; noua nunquam inuestigaret; hospites qui, vnde, quove tenderent, nunquam examinaret: quorum omniū luculenti testes sunt, qui cum eo versabantur. Ita dominatum esse oculis aiunt, vt ne ministrātem vnquam ad mensam, nec sibi assidentem, nisi voce se ipsi prodidissent, agnôrit: de feminarum fuga nil attinet dicere. Tribus vltimis hebdomadæ diebus cilicio & flagellis se emacerabat; præter alia anni tempora, quibus multus & frequens in ea pietate fuit. Accumbebat non nisi alternis pedibus à terra sublatis; prandere solitus nunquam, cœnare semel: & ante vltimos vitæ annos cœperat altero quoque die oleribus tantùm aut fructibus victitare: multísque hebdomadibus ternos aut quaternos dies continentes oluscula tantummodo gustabat, cùm clepsydras interim decem aut duodecim studendo quotidie exhauriret. Quamuis autem in hoc ille malignitatem stomachi causaretur, satis tamen intelligi dabatur, id eum studio virtutis fecisse, cùm dolo sæpe bono circumuētus duplicatam triplicatamvé cibi portionē facilè concoqueret. Ad hæc per dies, qui Christi Domini & DEIPARÆ festos proximè antecedunt, pane & aqua solùm reficiebatur: per Aduentûs & Quadragesimæ totius tempora, legumine aut fructu hortensi: vt mirum planè ac supra naturæ modum videri debeat, potuisse illum tantis negotijs & laboribus tam diu esse parem. Reliquit lōgum ipsemet catalogum rerum suo palato maximè dulcium, à quibus vt sibi tēperare

Digitized by Google

ſemper propoſuerat, ita & temperauit: adeo, vt quoties oryza ſaccharo aut cinnamomo cõſperſa apponebatur, oryzam interciperet, ſaccharum ſecerneret ac ſemoueret.

Paupertatis amor tantus in eo fuit, vt non tantum volucre, leucophagum, bellaria & id genus cibos non tangeret, ſed ne in itineribus quidem neceſſaria admitteret: togas, quas illi Archiepiſcopus Granatenſis quotannis donauit, nunquam induit, quòd voto ſe obſtrinxiſſet nouis veſtibus nunquam vtendi. Iuſſus aliquando petaſum deponere, quòd vſu ſitúque decolor ac detritus foret, tam diu difficilem ſe præbuit, dum illi P. Franciſcus Porreſius, qui tum Prouinciam cum poteſtate obibat, conceſſit, illum alio ſaltem colore tinctum retinere: adijt igitur Thomas noſter virum quendam pium, ſibíque familiarem, cui re expoſita galerum tradidit ea lege, vt quàm deterrimo poſſet, atramento ipſum inficeret. Promptum habuit fullonem ea petitio, breuíque petaſum ſuum turpiſſimè decoloratum recepit Pater, in quo non ſecus quàm olim D. Antonius in Pauli Eremitæ tunica geſtiebat & triumphabat.

Iam demiſſionis eius ſplendor nonne clarè ſatis ex reconditiſſima illius rerum tam diuinarum quàm humanarum, iuris tam ſacri quàm ciuilis cognitione emicat? Vixerat Granatæ ferè ab ipſo in Societatem ingreſſu: & annos abhinc triginta velut oraculum eſſe cœperat, non Archiepiſcopi tantùm Granatenſis, cui à Confeſſionibus erat, ſed aliorum Antiſtitum ac Principum

tipum etiam virorum, qui è remotissimis orbis partibus illum vel arcessebant, vel literis consulebant. Quin Summus ipse Pontifex Clemens VIII. vbi libros eius de Matrimonio perlegit, tantam concepisse animo opinionem dicitur, vt nullum vnquam è Societate de simili argumento ita scripsisse iudicaret. Qui cùm apud tantos tantus esset, se tamen infra omnes abijciebat, quod exemplis inde ab vsque pueritia illius petitis demonstrari potest. Nam cùm sexto decimo ætatis anno in Societatem fuerit adscriptus, iam antè in patria sua in oculis parentum, quos copiosos satis atque honestos habuit, inuerso ad ludibrium pileo per publicas plateas incedebat, reiectóque pallio humeris aquam in ergastula deportabat. Post aditam Societatem comites suos, qui ipsi vel in prædio, vbi plurimum agebat, vel itineribus adiungebantur, summa veneratione coluit, obseruauitque, non vt Socios, sed vt præfectos aut heros, seséque ad ipsa adeò calcaria illis detrahenda submisit. Ingeniosus præcipuè fuit in excusationibus etiam iustis præcidendis. Accesserat fortè aliquando, dum Theologiæ operam dabat, ad fores cubiculi cuiusdam iusta nescio qua de caussa: speculabatur Minister, qui, quòd cœcutiret, putabat Thomam introgressum, qui foris stabat; & indecora nescio quæ actitare: iubet ergo eum publicè dicere culpam, & caussam: ad quod imperium cùm se per præcipitationē animi repentè excusâsset, adeo ipsum facti deinde

pœnituit, vt lachrimis suffusus literas ad Prouincialem daret, quibus se non Societatis alumnum, non religiosum, sed profanum aliquem hominẽ & perditum nominabat, precabatúrq;, vt quàm ocyssimè ad Tirocinium remitteretur, vbi collapsa virtutis rudera colligeret, & damna resarciret. Quod sanè ille tam multis támque enixè contendit, vt Prouincialis superiore aliquo impulsu id fieri ratus petitioni concedendum existimârit. Rara igitur tunc in Tirocinio disciplinę edidit documenta, proposuítque firmiter, quod & præstitit, tertio quoq; anno pro eodem beneficio supplicare, quod animæ suæ tam salutare fuisset expertus.

Porrò obsequium facilè quilibet ab ipso obtinuit, non tantùm qui præerant, sed qui suberant etiam. Nola, vox, nutus, Thomam ad omnia præsentem actutum promptúmque habuêre: hæc mentem illi à cogitatione, manum à charta vel imperfecto opere reuulsère. Negotium tam serium aut necessarium fuit nullum, quod obedientiæ iudicaret esse præferendum.

Quæ tot tamque præclara optimi huius Patris gesta minùs fortasse quis mirabitur, si eius in rebus diuinis vsum, contemplandíque familiarem consuetudinem considerârit. Ex hoc enim fonte non illa solùm, quæ ad voluntatem perficiendam valent, hauriebat, sed lumen etiam clarissimum accepit, quo rerum difficiliorum quæstiones enucleabat. Quoties inter scribendum dictandumvé dubium aliquod maioris momẽti occurrisset, illo, quem à manu habebat, cessare iusso,

Digitized by Google

iussō, rem in diem posterum reijciebat: manéq;, vbi à precibus surrexerat, nodum difficultatis iam expeditum exhibens, scribere librarium iubebat. Incidit, dum de Matrimonio scriberet, in cœcos cuiusdam Labyrinthi anfractus, vnde extricare se diu non potuit. Consulit de more DEVM, idq; sæpius: sed filum nihilominus nullum reperit. Ita cogitabundo & sollicito domi fit obuius frater ex Seminario, cuius ille virtuti multum tribuebat: & quid, inquit, Pater Thoma sibi vult iste subtristis tuus nec non meditabundus aspectus & incessus? Cui ille, vt erat omnibus apertus & affabilis, cùm causſam exposuisset: quid ita? subiungit frater: nodum mihi in scirpo quærere videris. Nonne illa est (explicata simul quæstione) tuæ istius Sphingis expeditio? Tulit responsum Thomas non secus ac diuinum: atque simul etiam intellexit, illo se omine de submissione diuinitus admoneri, qui per illiteratum & indoctum tam doctè dirigeretur.

Verùm preces Thomæ non fuêre ipsi modò, sed alijs etiam salutares, quibus ægros duos medicorum testimonio in vita seruauit. Sanctissimis nominibus, Eucharistiæ, IESV & MARIÆ vel tergemino telo in omne periculum & hostē quemuis tam feliciter vtebatur, vt ipsa etiam somnia iugularet. Ad eorundem nominum piam inclamationem mulam quoque effrenem stitit, quæ cum ipso in præcipitium iam & interitum ibat. Et quo suo in diuinissimum illud Sacramentum affectui magis faceret satis, diebus

Digitized by Google

singulis quinquies ad illud visebat: quintâ verò quaque feriâ octies, addita diuerberatione, cilicio, continuâq; per solidum diem illius mysterij memoria. Id ipsum factitabat octonis quibusq; diebus, qui Eucharistiæ solemnia præcedunt ac sequuntur: nisi quod his vltimis Litanias Eucharisticas quoque & duabus consuetis meditationis horis duas alias adijceret: & vt diem Iouis Eucharistiæ, sic sequentem Christo patienti, perendinum D. VIRGINI consecrabat. Sub vniuscuiusque mensis initium ternas virtutes peculiari studio sibi colendas proposuit, & singulis hebdomadibus accepti expensiq; quodammodo rationes consignauit. Mensis nouissimi tabulas (quo exemplo de ceteris fiet iudicium.) sic confecerat, vt in accepti quasi paginam referret, mense Aprili suscipere se sacram synaxin multa charitate colendam., IESVM cruci affixum multâ tolerantiâ, VIRGINEM sanctissimam silentio. Deinde in expensi libellum retulerat; primâ quidem septimanâ soluisse se vniuersum debitum: secundâ paruum duntaxat impatientiæ nomen esse relictum: tertiâ tria item eiusdem monetæ exigua nomina: quartâ deniq; duo remansisse tantùm. Ouerè impigrum mercatorem atq; indefessum! de genere illorum seruorum, quibus peregrè profecturus ille Dominus talenta sua commiserat, cúmque redijsset, & & exactis rationibus creditam summam cum æquali fœnore recepisset, dixerat: *Euge serue bone & fidelis supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui.*

Intra-

Digitized by Google

Intrauit vtique bonus Pater, qui tres & quadraginta annos in Societate negotiatus à laboribus respirare ac quiescere nunquam voluit, donec æternùm liceret. Magna funeris eius pompa fuit, in quam prodière cum ingenti ciuium accursu non Religiosi modò diuersorum Ordinum, sed ipse etiam Archiepiscopus, & regius item senatus: fuitque certatum à nobilissimis quibusque, vt vel fimbriam illius possent tangere, vel flosculum aliquem, quibus inspergebatur cadauer, pietatis gratiâ auferre. Hæc igitur Christus lucra fecit inter Granatenses: ipsorum ista ferè fuêre, quæ cùm eidem Domino, vt par est, etiam adscribant, aliquo tamen modo suam industriam adiunxêre.

V. AVCTORIBVS Spiritus S. Sodalibus tum alia multa inter ciues vtiliter fiunt, tum regia lata sanctio est, quâ in toto Granatæ regno, festis omnibus, ieiunij & Quadragesimæ diebus lupanaria aperiri prohibetur. Literarum apud nos alumnus, qui Ioanni Turrio, de quo diximus, confiteri solebat, & ex cuius præscripto vitam morato adolescente dignam ducebat, fic à malo Dæmone dies noctésque infestari cœpit, ab eo vt obsessus crederetur. Et exprobrare illi improbus hospes ausus, quod Societati se in disciplinam daret, hominibus tam sibi inuisis, Ioannellóque (sic Turrium contèptim notabat) se committeret. Admotæ huic primò imagines B. P. IGNATII magna doloris indicia expressêre: tum e iusdem chirographum vel eminus conspectũ ita penitus cõpescuit hominem, vt à molestia pòst

Digitized by Google

omnino immunis esset. Sed & aliûs hospitium idem Orci Tyrannus æquiori quidem iure sibi vendicauerat. Carcere claudebatur vir, cui Michaëli nomen: qui quòd alea secus quàm sperauerat, cecidisset, illóque genere ludi infelix prorsus & infortunatus rem confeciſſet, iurare cœpit, conuitia in Diuos & blasphemias temerario modo iacere tam diu, donec infestũ eum Diabolus tumefactâ deformiter linguâ mutum humi afflixit. Ibi cùm diu in terram vnguibus atque in se furiosa corporis iactatione sæuisset, semianimis in lecto decumbit, in quo per semestre spatium, eodem latere quo deciderat, iacuit immotus, nec vllum eo tempore vitæ dedit indicium, nisi quòd dilutos cibos, immissos infundibulo in os vi maximâ diductum transmitteret. Affulsit interea dies, qui D. Michaëlis Archangeli festũ antecedit, cùm Sodales ægroti ex Archangeli nomine memores, eum diem maiore pietate agere instituunt, vt decumbenti opem, salutémque à Diuo consequantur. Nec vanus labor. Nam ad festum æris campani pulsum, qui eiusmodi celebritatibus pomeridiano tempore prœmitti solet, ægrotus velut ex grauissimo excitatus veterno loqui cœpit, & læti pulsûs causâ cognitâ, Societatis nostræ hominem flagitare, cui peccata diceret. Dixit, & salute corporis animíque receptâ, grandi licet malo suo doctus & sapuit, & ab eiusmodi temeraria peierandi conuitiandíq; consuetudine in posterum sibi cauit. In excursionibus ex vrbe factis communia sunt, ideóque prætereunda: Collegij cõmodo

Digitized by Google

modo vnum tandem & viginti millia aureorum numerata B. IGNATII nostri celebritatem fecêre augustiorem, cuius honori aræ principis frons quadringentis adornata fuit.

COLLEGIVM CORDVBENSE ET MONTELLANVM.

VI. CERTANT Cordubenses nostri ciuitati optimè in nos animatæ pares esse: quin consilijs iuuare non vrbanos modò, sed exteros etiam, illustres viros & matronas, ad quos identidem euocantur, expiandos. Quæ Nostrorum studia imitari Sodalitia quoq; incipiunt, tum viciniam nostro more excolendo, tum domesticos pauperes quâ facultatibus, quâ alijs modis, quod superiorum annorum literis perscriptum, subleuando. Audierat è Nostris narrantem Sodalis; ad corporis lasciuiam compescendam præcipuè valere annulum litteris AVE MARIA inscriptum, si eodem quis VIRGINI se quodammodo desponsaret: id quod exemplo demonstrabatur: voluit ergo & ipse experimentum huius rei facere, & contra easdem molestias eodem remedio vti; quod ita successit, vt hominis naturam ea in parte prorsus exuisse sibi videretur. Clementissimæ huius Matris operâ sensit alius etiã, qui à spe nescio cuius boni deiectus, cum eâdem spem vitæ decreuit abijcere. Ita mœstus in suburbano agro cum facinus meditaretur, in ea verba prorupit: *Vsque adeò miser ego ab omnibus rebus*

Digitized by Google

deſtituor, vt ne Diabolus aliquis præſto ſit, qui laqueum miniſtret interituro? Vix ille hæc abſoluit, & iam collo in laqueum inſerto in ſuſpendium trahitur nemine vſpiam parente. Sed ille cùm rem ſerio iam agi ſentiret, tum primum dirorum verborum cœpit pœnitere, & fidem Beatiſſimæ VIRGINIS toto mentis affectu inclamare. Nec fruſtra fuit. Nam conſtringentis laquei nodus illico laxatus liberum eum permiſit abire: qui rectà ad Noſtrũ ſe contulit, rem omnẽ cum peccatis detexit; ac ne delirãtis ſomniũ putares, laqueũ ipſum oſtendit. Non ita felici exitu Religioſus quidam Laicus, vt vocant, impiæ ſuę temeritatis pœnam dedit. Multa in Fratrem noſtri Ordinis, multa in inſtitutum, multa in ipſum B. IGNATIVM noſtrum maledicta congeſſerat ad molas quaſdam aquarias, vbi farinæ faciundæ conueniebatur. Cui ſuo conuitiandi deſiderio cùm vtcunque ſatisfeciſſet, exutà demum vnà cum religioſa veſte modeſtiâ ſe proijcit in flumen lauandi gratiâ: vbi dum fretus natandi arte, qua præſtabat, liberè corpus huc, illuc agit, liberiùs linguam quoque mouet, conuerſúſq; ad noſtrum Fratrem; *O ſi*, inquit, *veſtrum hîc haberẽ* IGNATIVM, *quem hoc flumine merſarem.* Dixiſſes impium hominem non Beato, ſed ſibimet ipſi imprecatum malum, adeò repentè deſertus ab omnibus & à ſua natandi peritia derelictus in fundo hæſit, aquis miſerrimè exhauſtus: cui tamen Noſter pro mala gratia eam meliorem retulit, vt Socius eſſet eorum, qui hominem, vt ſepeliretur, ſuis reddiderunt.

VII. Mi-

Digitized by Google

VII. MELIOREM pro suo merito experti B. IGNATIVM Montellani, quorum alios ab oculorum vitio, & periculosa epiphora liberauit; alios à Cacodæmonis infestatione defendit. Cœptæ sunt vtiliter adiri à Clero disputationes, quæ singulis hebdomadibus à Nostro de conscientia, & Sacramentis ritè administrandis proponuntur. Acceptum diploma à Romanis, quo illis hoc anno associata est S. Spiritûs Congregatio, mirificè excitauit Sodales, qui æquali omnes conatu (quadringenti autem sunt) ad palmam virtutis contendunt. Operi succubuêre è Nostris duo: Alphonsus Leonius administer familiaris; iuuenis vt laborum amans, ita omnibus gratus: qui cum quatuor non amplius annos Societati inseruisset, marasmo confectus decessit. Eiusdem conditionis & virtutis alter Melchior Perezius non diu pòst secutus decennalis operæ mercedem, vt speramus, in cœlo recepit.

BAEZANVM, MALACITANVM, GADITANVM.

VIII. QVATVOR cœtibus, qui ex adultiorum Sodalium frequentia constant, quintus Baëzæ hoc anno adiungendus fuit, qui minores tantummodo studiosos contineret, eósq; loco & exercitio secerneret: quamuis ea omnium honesti sit æmulatio, vt nomen ætatis solùm discrimen faciat, non virtutis.

IX. MA-

Digitized by Google

IX. MALACÆ cœptum est, vt Seminarij Clericorum collegæ octauo quoq; die à Nostris expientur, certísque temporibus pro concione instituantur: quo nomine Rector illorum, Episcopúsque ipse magnas nobis habent, agúntq; gratias. Sed insignis maximè iudicatus est labor in eos collatus, qui hoc anno ad vnum omnes ex vniuersa Hispania à Rege Philippo exulare iussi sunt; quorum ad duodecim millia in hanc vrbẽ, vt inde in Africã traijcerent, conuenerunt. Hortati eos primò sunt Nostri, vt depósita Africæ cogitatione in terras Christianorum se conferrẽt, ne fidei Christianæ (si quà illis esset reliqua) desertores esse velle viderentur. Persuasi multi ex ea turba, qui parentes, vxores, liberos fidei salutíque posthabuêre. Sed cùm plures nihilominus ad Mahometanos inclinarent, edicto regis, (quod paruulos à parentibus ad Africanos deficientibus abstrahi iubebat,) factum est, vt Nostrorum labores ad sesquimensem duplicarentur. Nam cùm naues ea hominum multitudine oneratæ ita impedirentur, morbus passim & fames grassata negotium Nostris ingens facessiuêre: sed operæ fuit pretium, cùm sic mĩseri illi & corporis subsidia acciperent, & in fide retinenda non parum confirmarentur. Itum Malacã in vicinos agros diuersis anni temporibus, ter reditum cum bona messe. Ad Nostrorũ sustentationem tum híc tum Gadibus multùm cõtulêre amici: & quòd antè in ludos & spectacula profundebant, nunc promouendo DEI, Diuorúmque & præcipuè B. Nostri Parẽtis honori offerre

Digitized by Google

offerre solent. Quæ res cùm animis profit semper, corporibus aliquando etiam suam attulit salutem.

COLLEGIVM XEREZANVM, MARCENENSE, TRIGVERENSE, Astigitanum.

X. MVLTI his locis quotidie reducti ad frugẽ: multa vitia curata: sed commemoratione quod iam sint trita, non egent. Spiritûs S. Congregatio Marcenensibus & Astigitanis noua est: Triguerensibus cum hac preces etiam quadraginta horarum ante cineralia: vbi & tres vitam alteram exorsi sunt. P. Alphonsus de Nirâ, Ioannes de Vergarâ, Ferdinandus de Escalonâ: primi duo ad quatuor vota in Societate admissi sunt: tertius tribus contentus fuit. Ex Astigitanis duo cum his profecti. P. Ioannes Maduennus de animorum salute, quamdiu inter nos vixit, (vixit autem tres & viginti annos) mirè sollicitus, & Rectoris munere, quod administrabat, non indignus: alter P. Paulus Nauarrus, qui octo annorum spatio religiosus ea nobis reliquit submissionis, patientiæ, obedientiæ aliarúmque actionum pulcherrimarum exempla, quæ pluriũ annorum imitatione sint dignissima. Vnum nõ omitto. Accesserat quidam in loco Trigueris longè remoto ad Societatis Sacerdotem pacem animo per confessionem reperturus: sed quòd subacerbè aliquantulũ excipi sibi videretur, desperatis rebus ita statuit, vt iuraret, nulli ampliùs morta-

Digitized by Google

mortalium conſcientiæ ſuæ arcana crediturum. Ita conſtitutus in Gallias proficiſcitur, vbi negata Catholica fide Lutheranis adhæret. Nec iam procul aberat ab Hæreticorum oppido, minùs ab interitu, cùm repentè pectus ictu graui percuſſum ſenſit; quo malo perculſus & pedem retulit, & inuocata Beatiſſimæ VIRGINIS ope in ſe redijt, Triguerósque tandem perueniens ad vnum è Noſtris iterum acceſſit, apud quem facta confeſſione fluctuanti nauiculæ portum inuenit.

COLLEGIVM CAZORLANVM ET RELIQVA.

XI. CAZORLÆ frequentia confitentium aucta eſt auctis concionibus, quæ hoc anno diebus Dominicis poſt meridiem etiam cœptæ ſunt haberi. Tres Vbedani Collegij Patres (nam plures hic non fuerunt) multorum labores exæquârunt: nam vt aliud non feciſſent, duas Sodalitates ad omnia Chriſtiani hominis officia cum fructu erudierunt, vt ipſi ciues æſtimarent operam, quando ad ſacrum inſtrumentum non pauca, ad victum verò Noſtrorum triticum & octingentos argenteos ſuppeditauerunt.

XII. FREGENALENSIBVS contigit ſepelire virum de Societate noſtra quàm qui optimè meritum: P. Ildefonſum de Caſtro. Accerſitus enim grauiſſimis de rebus conſulendus ab Illuſtriſſimo Epiſcopo Pacis Iuliæ ex domo Profeſſa Hiſpalenſi, morbum in via contraxit, cùm non

non multo antè Prouinciæ Mexicanæ, quam administrauerat, onus deposuisset. Obdormiuit summa animi tranquillitate, vt qui non tam pœnas metueret indiligentiæ alicui aut desidiæ debitas, quàm qui speraret gnauiter partis aliquando se fruiturum. Seruiuit omnium hominum generi mira charitate, sed in ægrotos præcipuè & ab humano fauore nudos peraffabilem se exhibuit: vir clarus, si quis alius nostræ Societatis literis & virtute propria; quæ eò minùs latere potuit, quo illustriora munia tot annis gessit.

XIII. ANTIQVARII Collegij hodie tandem stabilita fortuna est. Nam cùm decimus hic annus esset ab nostro in Antiquariam accessu, ostiatimque per id tempus victus corrogandus, iam singulari DEI beneficio euenit, vt pij coniuges Philippus Martinus Albarezius, ac domina Luisia de Medina ex æquo triginta aureorum millia conferrent, quò iustum Collegium additis aliorum sat copiosis eleemosynis dotari posset.

†*†

PRO-

Digitized by Google

Hanc Prouinciam incolunt Socij ſupra quadraginta duos trecenti. E viuis exceſsêre tredecim. His ſuffecti viginti octo.

		Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
Limæ	Coll. Limanũ incolunt	CXXXIII.	*XLIV.*	VI.	XLV.	XXXVIII.
	Domum Probat.	LVII.	XI.		XXII.	XXIV.
	Seminarium	XIII.	III.		V.	V.
	Sedem S. Iacobi	III.	*II.*			I.
Coll. Cuzchenſe		XXVII.	XII.		V.	IX.

	Vniuerſim.	Sacerdotes.	Præcept.	Scholaſt.	Adiutores.
Coll. Arequipenſe	XV.	V.	I.		IX.
Coll Cuiquiabenſe	XIII.	V.	I.		VII.
Coll. Potoſinum	XX.	X.			X.
Coll. Platenſe	XVIII.	VII.	II.		IX.
Coll. Quitenſe	XXVIII.	XI.	II.	II.	XIII.
Coll. Guamanganum	XI.	V.	I.		V.
Sedem Iulidenſem	XI.	VIII.			III.
Sedem ad S. Crucem.	V.	III.			II.

Digitized by Google

Salutaribus vndis abluti quadringenti vndetriginta.

Vniuersæ vitæ peccata recensuerunt decem.

Pijs commentationibus exerciti sex.

Simultates depositæ sex.

Ex varijs periculis interuentu B. Ignatij exempti nouem.

COL-

Digitized by Google

COLLEGIVM LIMANVM. &c.

I.

QVÆ A LIMANO Collegio totius Prouinciæ huius Seminario per Noſtros DEVS hoc anno operari voluit, eorum magnã partem Sodalitatibus & ſcholis adſcribo. Indi familiaritate Noſtrorum gaudent, & proficiunt: Æthiopes Chriſtianis moribus (vt olim) imbuuntur; quibus id emolumenti ſuccreuit, vt ſeruitia, quæ noſtram domum Sodalium more nõ adeunt, ex Proregis imperio, mulctâ etiam irrogatâ, & Archiepiſcopi edicto in ſuam quæque Parœciam mittantur à ſuis Dominis, ibi à Noſtris Chriſtianæ fidei elemẽtis inſtituenda. Præcipuus Sodalitatum patronus eſt Prorex, qui die Diuis omnibus ſacro præſens ipſe vnà cum Archiepiſcopo Limenſi & alio quodam Præſule exhortationi interfuit, Sanctum vnà cum reliquis ſibi ſortitus. Caſtimoniæ certamina aliquot à Sodalibus feliciter ſunt peracta. Religioſæ diſciplinæ candidatus omnes eiuſmodi laqueos à parentibus & conſanguineis collo-

Digitized by Google

catos perrupit repugnando, ita vt etiam è cubiculo, in quod se lupa ad eum penetrauerat, profugerit. Inuitatus alius, cùm vrbem animi gratiâ obequitaret, ab impudica, se eam accessurũ dixit, si quid sacri audire & discere vellet: quæ vox ruborem expressit inhonesta postulãti. Fuit ex adolescentibus etiam, qui fratris inueniendi desiderio in has terras & Limam deniq; delatus, tribus noctibus Cacodæmonem visibili specie se vidisse narrauit: tum Diuam quoque VIRGINEM sibi conspectam, quæ diceret spectrum illud sceleribus ipsius debitum apparuisse: abiret proinde, & Sacerdoti rationem vitæ & factorũ redderet, studiisque literarum applicitus, ad amplectendam religiosi statûs disciplinam se compararet. Audijt præcipientem adolescens, & iam non minore studio apud nos bonis artibus operatur, quàm exemplo. Præter hunc alius etiam fuit, cui DEIPARA de Guadalupe Religionis impedimentum, quo tenebatur, nuncupato voto amouit.

II. IN MISSIONIBVS Truxillensi, Samnensi, & alijs istarum partiũ, septem menses versati Nostri, superioris anni reliquias idololatricas & striges, quibus hæc ora abundat, detexêre. Inter Guarochirienses, ad quos sex è Nostris vicissim missi, eas radices egerat idolorum cultus, quæ vix reuelli posse credebantur. Adhuc enim mõtes ipsi prisca formidine venerationem habebant, vt etiam perennitates fontium, Iris cœlestis, lapilli inusitatæ formæ, & huiusmodi mille sexcenta alia, quę in vnica Guarochirensi Paroe-

cia

cia reperta numerabantur. Ad quæ excindenda, penitúsque ex animis hominum euertenda, iuxta mobiscum ipsi cœlites adlaborare visi. Etenim D. Iacobus Apostolus, Hispanorum Patronus, mulieri septuagenariæ in equo albo obuius, eam de filiorum suorum beatitudine, qui Christiani decesserant, certam fecit, simul adhortatus, vt si & ipsa cum illis in cœlesti gloria aliquãdo esse vellet, idola Pariakakam & Chaupinamokam detestaretur, quibus plurimùm inesset sceleris, Numinis nihil.

III. TERTIANORVM domus probationis Limanæ consuetæ sunt ad Indos excursiones; consueta etiam Fundatoris & aliorum liberalitas, sexcentorum aureorum veste pro Sacerdotibus donata. Cæterum vt in Tirocinio multi externorum ex recessu in cubicula & animos secretiore, ad omnem pietatem proficiunt, sic in Seminario Martiniano Alumni nostri sub manu Magistrorum ad fastigium virtutis euehuntur; vt è centum & septuaginta, qui hîc viuunt, viginti tres in cœnobia se receperint, vndecim in Societatem. A Sede D. Iacobi extra muros, castimonia aliquorũ tentata vallum habuit & præsidium, vt non expugnaretur: timent enim vel nomen Nostrorum innocentiæ hostes, quòd deprehensi subinde, pro meritis habeantur.

IV. IVSTA nunc quatuor è Nostris facienda: quo in numero primus esto Franciscus Lopezius, è primis etiam, qui se Limæ Societati dicârunt, ante annos videlicet quadraginta duos: formatus Coadiutor, de cuius eximijs virtutibus

Digitized by Google

tum alibi multa, tum hic istud vniuersim dici potest; virum fuisse ad omnes Societatis nostræ mores egregiè factum, & qui exemplar esset sanctitatis, & obsequij non vulgaris; adeò vt nisi iussus decedere ex hac vita quodammodo nollet. Cui cum à Collegij Ministro diceretur, ei per Superiores & medicos iam emigrare licere, apertis oculis verumné id esset, quæsiuit: & Ministro dictum rursus confirmanti, & qua hora moriturum se crederet scisciranti; *intra horas*, respondit, *quatuor plus minus id faciam*: nec fefellit. Eum secutus deinde est P. Philippus Leander tria vota professus; quem cultus B. VIRGINIS, perpetuus labor in audiendis Æthiopibus & Hispanis, abiectorum ministeriorum frequens & voluntarium exercitium, omnibus reddidit amabilem, nemini molestum. Illi non dissimilis moribus fuit P. Ioannes Gomezius, qui aliquot supra quadraginta annos saluti animarum se impendens quatuor votis, quæ emiserat, egregiè respondit. Bernardus Vitti postremo loco mortuus arte pictor erat; sed Prouinciam hanc totam non minùs tranquillitate morum, vitæque integritate, quàm penicillo & coloribus illustrauit.

CVZCHENSE ET QVÆ DEINCEPS SVNT HVIVS PROVINCIÆ Collegia & Sedes.

V. CVZCHVM ciuitas est, quæ Indorum numero reliquas Peruuij facilè superat: cuius tamé angu-

Digitized by Google

angustijs non contenta Nostrorum charitas, vrbanis concionibus paganas etiam, imò siluestres & montanas adiunxit. Huiusmodi in laboribus occubuit P. Franciscus Rodericus septuagesimo ætatis anno & trigesimo Societatis. Qui cũ morbo in quintum annum producto decumberet, & pedibus insistere iam fractus nõ posset, in lectulo confitentes audijt, & pijs colloquijs ad se accedentes Indos excitauit. Porrò Indi à Christo Domino & B. IGNATIO nostro diligi singulari modo videntur. Nam & puella, quæ lances & cibos Caciquio diu ministrabat, è montis prærupti vertice in præceps delapsa, inuocato IESV nomine saxo incolumis adhæsit; & Sodalis morti iam proximus chirographi Ignatiani attactu sensim pedem à mortis limine retraxit, tandémque omnino euasit. Funestum illud, quod ab Indo designatum facinus; libidinis inquam seruo. Is cùm à pellice fidem sibi promissam, violatam suspicaretur, eam in campos eductam & coniectam in scrobem, viuam sepelire iam coperat: illa tempus solùm, quo crimina Sacerdoti detegat, concedi petit; ita sibi à femina, quam vidisset, formosissimæ iniunctum esse testata. Indus nihilominus animi intemperantia prouectus, vbi eam spirare adhuc & loqui posse audiuit, gladio adortus è medio sustulit. Ipse denique Caciquij monitu Societatis hominem adijt, tanto animę vulneri medicamentum quæsiturus; quem confessio totius vitæ à Nostro imperata, quid de reliquo fieri oporteret, perdocuit.

Digitized by Google

VI. AREQVIPÆ menſibus ſingulis pro animabus in igne purgandis ſacrificium inſtitutum; iámque Sodalitatis alumni ſimul omnes ſacram menſam in noſtro templo frequentant, quod olim factu difficile viſum. Moqueguenſis vallis luſtrata, occaſione prædij hæreditario iure nobis ibi relicti. Et annuos Collegij reditus multiplicauit Illephonſus de Eſtrada vir nobilis & in nos liberaliter animatus.

VII. IVLIDE, vbi vndecim Noſtri, oppreſſa olim veneficia his iterum temporibus repullulare videntur: ſeptem enim præſtigiatores reperti ſunt, qui ſe mali Dæmonis ope per hanc Prouinciam quadraginta duos interfeciſſe fatentur ingenuè, his ferè artibus, quæ Cacodæmonis nequitiam & ad nocendum expeditam vafritiem declarent. Carnes tribus diebus non comedebant; chicha (potionis genus eſt) atque Indico pipere, quod Agi vocant, non vtebantur. De nocte inſomnes Diaboli opem crebris & validis vocibus bacchantium more implorabant, chicham illi & Cocain, quæ herba eſt, aliáque id genus ſacrificantes. Quo in ſacrificio Cacodæmon cum quatuor alijs comitibus funeſto linteo amictis præſto erat, cui cauſam ſuæ euocationis ſciſcitato, cùm aliquos ſibi ad inferos demittendos nominâſſent, iuſſi ſunt ab eo tacere, vt qui ſacris adfuiſſent, & Iulidenſes præcipuè Parochos, Orco infenſiſſimos eam rem celare, atque illos ne alloquio quidem dignari. Sub hæc libamenta deuorare viſus imperauit ſimulachrum hominis, quem vellet de medio tollere, ex ſeuo efformare,

Digitized by Google

mare, constitúitque tempus, quo id præstandum esset opere. Mox confectam è seuo arietum indicorum personam lanci atque igni imponebat; Dæmoníq; litantes magnis clamoribus hæc verba ingerebant: *Tange, interfice.* His ita transactis, Dæmonéque è conspectu sublato simulachrum humabant: quod dum corrumpebatur, homo, quem illud referebat, paulatim macie torridus extinguebatur. Cæterum præstigiæ istæ per annum proditæ venêre in lucem, quæ, dissidentibus inter se maleficis, grauiter in generum commota se suósque dato ad Magistratum libello aperuit. Et enituit tunc Principis Caciquij Iulidensis coniugis pietas: hæc enim cùm venefícijs infecta iam iam moreretur, & an malum dilui vellet, & cuniculi adipe tolli rogaretur, abnuit, *tanti sibi præsentem vitam non esse*, inquiens, *quam scelere emat, aut æternæ præferat.* Quæ sic mortua habuit in alio quamuis genere æmulam virtutis feminam, quam Indus lasciuus extrémè deperibat; à qua cùm precibus, minísq; extorquere consensum non posset, vi egit, eámque lucis vsura gladio priuauit: sicut ipse postea fassus est.

VIII. PAREM pudicitiæ & Martyrij coronam Inda quædam alia apud Cuiquiabenses accepisse memoratur: vbi nostræ quoque res è sententia procedunt, & ex argenti fodinis quiddam pretiosius eruimus, quàm plerique solent, animas videlicet, Christo Domino tam caro emptas. Incidimus hîc in quendam virum nobilem, qui ad constituendum eò loci Collegium, fundum, in-

Digitized by Google

quo ouium quinque millia & ducenti boues pascuntur, se mox daturum spopondit.

IX. ANNVVM Potosini Collegij vectigal augetur quotidie, cum ipso animarũ fructu: auctoréq; fuere Nostri, vt publica domus conderetur hospitibus ęgrotis; Religioseq; familiæ alumnorum, quibus Ioannes DEI, nomẽ & viuendi normam dedit, curæ commissa. Ii singulis quibusque Dominicis domi nostræ admissa scelera cõfitentur, & sacris pascuntur epulis, nihilque sine Nostrorum consilio aggrediuntur. Vnde factum, vt vir nobilis cum vxore non solùm ijs rem omnem familiarem tribuerit, verum ipsorũm habitu indutus vicatim egenis stipem corrogauerit.

X. IN CVIQVISAÇANO seu Platensi Collegio è Nostris vnus communem Indorum linguã externos Sacerdotes docet: ij vt boni Sodales pergunt ægris in Nosodochio opitulari, & qua corpora qua animos solatijs & subsidijs erigere.

XI. GVAMANGÆ annó præterito P. Illephonsum de Mirada obijsse memorauimus, cuius hoc anno cadauer cùm aliò esset transferendum, integrum prorsus repertum est, multæq; eius partes ita molles & faciles, vt viui hominis iudicares: cùm sexdecim abhinc mensibus fuisset sepultum, viuáque calce instratum; quod consonum sanè est & ipsius Illephonsi moribus, & testimonio de beatitudine illius, quod Guamangę esset ciuem primarium dedisse tum quoq; demonstrauimus. Præturæ quinq; deucis hinc dissita Præfectus, Indos Sodales Pueri IESV à Christi Cir-

sti Circumcisi cultu, festíq; eiusdem celebratione quondam tentârat prohibere: eius domus anno proximè acto pridie eius diei concepit ignẽ, quem cùm extinguere manibus pedibúsq; laboraret, manus pedésq; combussit. Quare supplicium id sibi pro sua impietate obuenisse rectè interpretatus, posthac illas Christi Calendas religiosiùs acturum se DEO vouit, idque hoc anno præstare cœpit.

XII. AD SANCTAM Crucem in Montanis concionando, audiendóq; confitentes, dies noctésq; continuantur: ad ægrotos, qui alioquin inexpiati decedere cogerentur, quatuordecim aliquando aut sedecim leucarum itinere contenditur contemptis imbribus, quibus hîc fœdum cœlum sæpenumero. Quadringenti sexaginta ampliùs sacro fonte à Nostris lustrati; horum vndetriginta natu grandiores.

XIII. FEMINÆ Quitenses ad liberiorem quodammodo vitam adhuc sibi natæ videbantur: verùm hoc anno coërcitæ, ita se ad D. VIRGINIS Lauretanæ modestiam composuerunt, vt multi nouæ rei admiratione defixi teneantur. Eiusdem salutatæ ab Angelo Virginis festam lucem tanto feruore celebrarunt, vt decem Sacerdotes confitentibus tantum feminis non sufficerent.

XIV. AD COFANES iterum, qui sexaginta Leucis Quito absunt inter mõtes cõcitatósq; fluuios, penetrauit se P. Raphaël Ferretius, de quo superiore quoq; anno: is breui tẽporis spatio in tam barbarâ gente quadringentos vndis salutaribus ablutos à vaga siluestríq; vita ad elegantem Societa-

cietatis humanæ vrbanitatem traduxit, & tria constituxit oppida. In eorum principe (quoniam se Regis Hispani ditioni eius consilio subiecerant) decem Hispani vt commorarentur, curauit. Et immensus aperiri videbatur Euangelicæ doctrinæ campus, nisi humani generis & salutis nostræ hostis spem boni Patris turbâsset. Nam auocatus hinc mēse Iunio anni huius, cùm ex oppido in oppidum vagus & fessus iter faceret, è corporis ergastulo solutus est: nusquam tamen cadauer, vel Sociorum aliquis comparuit; vt de ipsius morte diuersæ sint diuersorum opiniones; illa constantior, eum ab indigenis, dum aduentātem gratulabundi excipere se simulant, (vt tori ex fraudibus sunt compositi) in profluētem, vbi in Isthmum cōgitur & ponticulo traijcitur, fuisse præcipitatum. Quod vt certum non est, ita in comperto illud: Ferrerij ardēs hos populos Christo aggregandi studium animíque incendium ne pluribus quidem fluminibus superfusis potuisse extingui.

(*†*†*)

†*†

PRO-

PROVINCIA INSVLÆ PHILIPPINÆ.

Habent hæ Insulæ vnum supra nonaginta Socios. Diem vltimum clausêre quatuor. Totidem in Societatem sunt recepti.

	Vniuersim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholast.*	*Adiutores.*
Collegium Manilanum	XXXII.	XII.		XI.	IX.
Seminarium D. Iosephi	III.	I.		II.	
Tirocinium	XI.			IX.	II.
Sedes Silanensis	II.	I.			I.
Sedes Antipolana	VII.	IV.			III.

Digitized by Google

	Vniuerſim.	Sacerdotes.	Præcept.	Scholaſt.	Adiutores.
Coll. Zebuanum.	VIII.	IV.			IV.
Reſid. Boholana	V.	IV.			I.
Reſid. Carigarana	VI.	IV.			II.
Reſid. Dulachiana	VI.	IV.			II.
Reſid Tinagonenſis	V.	IV.			I.
Reſid. Palapagana	V.	IV.			I.
Miſsio Areualenſis	II.	I.			I.

Sacro baptiſmate expiati adulti bis mille, trecenti, octoginta tres.
Hæreſin damnârunt viginti tres.

Digitized by Google

Contra procos aut impudicas mulierculas pudicitia defensa quindecies.

Dissidentes conciliati septies.

Sacris commentationibus sunt vsi vndecim.

Sancta Crux & S. Ioannis Euangelium recitatum à varijs periculis liberauit tredecim: B. Virgo duos: quinque BB. Ignatius & Xauerius.

COL.

Digitized by Google

COLLEGIVM MANILANVM.

I.

QVÒ PROLIXIORES huius Collegij literæ anno præcedente fuerunt, eò iam citiùs nos hinc expediemus, facto à duobus Fratribus initio, qui cursum vitę absoluerunt, Ludouico à Figueroa & Didaco de Zarcuela. Fuit Ludouicus nobilis genere, sed nobilior virtute; quippe cùm humanas literas didicisset, persuaderi non potuit, vt sacris initiaretur ordinibus: & cùm Patres de ipso admittendo in Societatem ob pedum male firmum robur ambigerent; *vel in mancipium*, inquit, *me suscipite obtestor, vt ligna saltem ab aliis iam cæsa igni applicem, ignem vé peracto opere cinere sopiam aut extinguam.* Cum hac animi demissione admissus, vestium curam vt plurimùm habuit, ea Marthæ sorte contentissimus, quam & vbicunque poterat dilaudauit. Tam efficax ac potens fuit seu suaderet seu dissuaderet, vt diceret quidam ex eius Socijs, promptiorem se ex Ludouici sermone, quàm ex graui cuiusuis concionatoris oratione ad opus iuisse.

Offi-

Digitized by Google

Officia charitatis præclarè gessit; & cùm in se vel minimũ defectum ferre non posset, in alijs idem cum amore & prudentia efficere curauit. Acceptis Romà vltimo ægritudinis tempore literis, quibus in Coadiutores formatos adscribebatur, eâ perfusus est lætitiâ, vt ad vota in templo nostro emittenda satis valuerit; post quæ breui ingrauescente iterum morbo extinctus est. Ad eadem vota Didacus quoque peruenerat, duos & viginti annos Societatis operarius: è quibus Seminario D. Ioseph̃i non pauculos dedit; vir boni exempli, improbi laboris; tam cupidus Indicarum gentium salutis, vt diceret; *Hispaniam, etsi Manilià duabus tantùm leucis abesset, à se nequaquam desiderari, nec vllo modo adduci posse, vt sortem suam cum quocumq; alio Europeo fratre commutaret:* quod sæpius morti iam proximus repetijt. E febri decessit, contra medici quidem sententiam, non tamen suam; qua vt se moriturum eo decubitu prædixit, sic & mortuus est: ijs conseruatis interim in vita, qui ad BB. Patrum nostrorum Ignatij & Xauerij patrocinia de externis confugerunt. Tribus IGNATIVS feminis partum facilem concessit: vni Cantabro dolorem dentiũ, ob quem rogabatur gentilitatis gratiâ, exemit: Xauerius Hispano alæ militum præfecto in extremis posito adfuit, vitámque pro duobus cereis ipsi promissis longius produxit.

II. QVOD AD ALIA: in omni ætate res Christiana Manilensium quotidie vires sumit maiores; ita vt nec adolescentium integritas prece tentata aut prętio possit expugnari, eorum præ-

cipuè, qui Sodalium nomine gloriantur; nec fe-
minæ viris de feruore & pietate vel tantillum
concedant. Quibus cùm ob sexum inter Par-
thenios numerari non licet; licere sibi existi-
mant ea saltem opera præstare, quæ in Sodalibus
commendes: suntque ex Hispanis, quæ ter per
hebdomadem à cœnâ abstinent; humi cubant;
assiduâ cogitatione Christi plagas recolunt; in
priuato cubiculo cum sui æqualibus sese ad san-
guinem vsq; diuerberant. Quædam graui per
VIRGINEM morbo liberata promisit se donec su-
peresset, vnà cũ familitio femineo quicquid acu
posset, id omne ad nostri templi ornatum elabo-
raturam. Perfecit iam multa, & quòd supra
vires promisisse videretur, abstinere iussa respó-
dit; *ita se statuisse, vt si Nostri eam operam recusarent,*
alijs temp.is impenderet. Ornatus vero reliquus
templo additus, vt in his Insulis penè est singu-
laris, ita celebritatem eam, quæ tribus Bac-
chanaliorum diebus institui solet, magnopere
auxit. Nudæ enim priùs tegulæ illud vix te-
gebant: & stillicidijs pluuio tempore penetran-
tibus, vespertilionum multitudo omnia fœda-
bat. Adiuncta ergo est multiplici piorum homi-
num eleemosynâ noua tecto contignatio, quæ
varijs operibus atq; ornamẽtis intexta & elabo-
rata loco splendorem cõciliat & venerationem;
opus mille aureis comparatum, quod in magna
vrbis penuria maximum visum est. Indi quoq;
illi, quos multis abhinc annis alit prope hanc vr-
bem Societas, nouo nunc erecto templo suæ
ptam D. Michaëlis patroni statuam intulerunt l

adiun

adiuncta VIRGINIS DEIPARÆ noua formosáque imagine, aliísque, quæ haud exiguæ pietatis indicia sunt in exiguo oppidulo.

III. EX CAPTIS in Hollandica classe anno præterito Hæreticis (hi supra nonaginta fuêre) aditi adiutíque sunt à P. Andrea de la Camara frequentissimè, tum qui in carcere detenti, tum qui vulnerati in hospitali domo iacebant.

Quibus ille locis Lutheranorum & Caluinianorum supra viginti palinodiam canere docuit, eósque maioris ferè inter suos nominis, Naucleros, Procuratores, Chirurgos, &, si cum his nominandus est, Verbi etiam Minister, quem cùm imperitiæ suæ pigeret puderétque, haud difficulter manus dedit, & tabulas, quas ab Antiepiscopo suo acceptæ potestatis testes acceperat, vltro genus suum & artes confessus: quippe qui per vim à pice & sutoria abstractus ad verbũ ministrandum coactus fuisset. Hi omnes nunc tam veri sunt Societatis nostræ amatores, quàm acerbi priùs aduersarij. Vnde cùm præ operariorum penuriâ P. Camera ad pictas Insulas amittendus esset, illi S. Inquisitionis Vicarium adierunt, rogáruntque, ne eis aliquis è Societate IESV deesset, cuius operâ, vel etiam per interpretem possent frui: *persuasum enim sibi esse* aiebant; *Nostros linguâ inter se dissidere posse, moribus non perinde.*

Verum enim verò conciliati sunt nobis alij plures, aut certè ex amicis amiciores facti; inter quos præcipuus est, qui has regio nomine Insulas administrat, Dominus Ioannes de Silua.

Digitized by Google

Hic enim amorem in DEVM & nos ſuum, tum alijs multis modis declarauit, tum verò reſtauratione ſacelli haud modicâ impensâ, in quo ſacræ Diuorum reliquiæ conditæ aſſeruantur, quibus & lampadem lucere perẽni igne curauit, & Noſtros in communi, ſed breui morbo afflictos pecunia aliíſque rebus liberaliter iuuit. Reſtituimus & alijs non paucis amicos ſuos, à quibus per ſimultates auulſi fuerant; ſed moleſtiam fugio, & vnius tantùm feminæ in condonanda iniuria laudo magnanimitatem. Ab vſque Europa Mexicum primò, mox in has Philippinas Inſulas, Malucas demum adnauigauit, vt abſentem filium reperiret. Reperit illum tandem in Ternatenſi Inſula ſtipendia facientem. Sed læta iam inuento filio, eo etiam breui gaudio ſubitò fruſtrata eſt. Nam paulò poſt ſuum aduentum, filium in diſſidio pluribus confoſſum vulneribus, quem tantis itineribus & laboribus reperat, iterum amiſit. Quem caſum eo tulit animo mulier, vt non ſolùm interfectori libens veniam dederit, ſed infortunio hoc ad ſuam ſalutem abuſa, totam ſe in diuinas laudes cœleſtéſq; actiones effundere cœperit; quatuor diebus ſingulis horas precibus intenta, ter per hebdomadẽ ieiuna, ter item verberibus, totiéſque cilicio caſtigata: quæ pulcherrimæ vitæ exercitia ſumpto diebus Dominicis diuino ferculo hodiéque ſolet perſeuerare.

SEDES SILANENSIS ET ANTIPOLANA CVM COLLEGIO Zebuano.

IV. Si-

Digitized by Google

IV. SITVM est Silanense oppidum loco aperto & percommodo: quo fit, vt hospitibus facilem & frequentem accessum præbeat; eóq; magis, quo sunt ipsimet incolæ humaniores & Christianæ studiosiores pietatis. Diuerterant fortè ex itinere Indi quidam ad oppidani domũ; cúmque ex arcula vestes, quas conditas ferebant, protraherent, contigit, vt vna cum illis paruum Idolum ex complicata capillorum congerie cõpactum educerent. Hoc viso territi Silanenses, qui aderant, Nostrum de re monẽt; qui quasi aliud ageret, eòdem se conferens fraudem cum Idolo deprehendit: indéque sumpta occasione, graui Indos oratione à tanto facinore deterruit, Idolíque dominæ (erat enim mulier) meliorem iniecit mentem: quæ DEO bene iuuante & impium capillorum cultum, quem eò vsque tenuerat, damnauit, & aliud quoddam crimen nõ paruum simul deseruit & correxit. Iubilæi indicti gaudia magnum fortuitò malum hîc exortum, ferè disturbârat. Nam cùm expectaretur lux Diuis omnibus festa, quâ se ad illud ritè percipiendum incolæ comparauerãt, ecce tibi ingruente nocte ventorũ omnium exsurgunt furiæ, quas imber turbóque secuti priùs non sæuire desiêrunt, quàm supra ducentas domos euerterint, incredibili Indorũ metu; qui relictis suis ad nostram se ocyùs ædem receperunt, vbi totam ferè noctem in eorum confessionibus excipiendis vigilatum est. Sed nec hîc tuti satis, reuulsis indomitâ ventorum vi & procul ablatis parietum tabulis sacrarium cum tota gente petiêre,

Digitized by Google

vbi omnes mortem & supremam horam expectarunt.

V. AD EIVSDEM Iubilæi promulgationem in Antipolano oppido nongenti cõmunicârunt, sexaginta plures quam in Taitaiensi; quod multum in recẽtibus Christianis: estq; apud hos populos, vt aliàs dictum, Crux illa hodiéque celebris, ad quam hoc anno mulier publicum instrumẽtum bis receptæ sanitatis attulit. Calicem argenteum & alia templi ornamenta oppidani dederunt.

VI. TAITAIENSES matronæ quantum olim præstabant ceteris Indis in Idolorum cultura, tãtum nunc in Christianis ritibus & moribus sectandis sunt exactiores; nec pudet etiam nobiles ex illis templi nostri solum verrere, & cum aqua & scopis in publicũ sæpius procedere, quæ possent id ancillis & seruitijs suis imperare. Hæc feminarum, virorum alia laus. Grandæuo senî ẽ manibus exciderat scheda menstrua, in qua Sancti nomen sortitò accepti descriptum erat. Subtristis eo damno bonus senex ad oppidum Taitaiense mille ferè passibus à suo distans cucurrit, indéque, non inuento Patre, qui distribuere eiusmodi schedas solebat, Antipolum contendit difficili & montoso itinere, vbi tandem quatuor confectis milliaribus, petitâ priùs negligentiæ commissæ venià Patrem rogat, vt in amissi Patroni locum alium dare ne grauetur. Quod factum satis declarat, quo studio maiora salutis negotia hæ gentes procurent. Iacebat in alio quodam loco Indus expiatus iam sacróque inunctus oleo, qui aliquando sub noctem

Digitized by Google

ctem adeò angi cœperat, vt à domesticis pro mortuo sit habitus, compositóque cadauere, in patrio ferretro ab ijsdem collocatus. Qui cùm sic insomnes apud illum noctis omne tempus transegissent, reuertente die reuerti & ipse, aperire oculos, balbum nescio quid loqui, ipsóque tandem meridie syllabas omnes articulatim ejicere: tum referre primum: *Se antetres anno obijsse sibi videri ob tormenta crudelia, quæ tam ipse sustinuisset ad inferos, quàm infinitos Indorum passos vidisset. Ibi Dæmones quasi fabros quosdam agitatis follibus fornaces succendere, ferróque liquefacto miseros perfundere, & inter eiulatus miserabiles doloribus nunquam cessantibus æternum vlulare. Post hæc spectacula abductum se à venerabili quodam sene ad editiorem locum, cuius accessu (cœlum enim existimabat esse) adeò fuisset delectatus, vt inde nollet discedere. Sed iussum se ad vitam redire, quò vinos de vtroque hominum receptaculo commoneaceret, beatorum videlicet, & damnatorum: idque sub graui pœnâ sibi fuisse imperatum; quando inter mortales essent non pauci, qui ficta virtute se & alios fallerēt, boniq; habiti, à diuino obsequio alienissimi forent.* Additum deniq; aiebat à suo ductore, bono animo oppidanos esse iuberet, futuram meliorē ceteris ac firmiorē ædem, in qua exædificanda tū occuparentur. His dictis Indus ille cōualuit, institutáq; generali Confessione exemplo suo adhuc docet & vitâ, ea quę retulisset, nō somniâsse. Secuta item in alijs pluribus, qui hæc audiuerunt, morum emendatio, omnem ferè ambiguitatis causam falsitatísque suspicionem præcidit.

Digitized by Google

De templo autem, quod reliquis firmius futurum prædixit, sic erat. Paucis antè mensibus templum his Indis secundò iam conflagrârat, vnà cum domo nostra. Cùm enim quidam ex oppidanis venarétur, factum est, vt orto inter barbaros illos de venatione iurgio ad manus deueniretur. Breui post has turbas iniectus in nostram domum ignis nouam simul ædem cum omni pene supellectili consumpsit; Reliquijs duntaxat Sanctorum aliquot, & imaginibus per Christianorum solertiam ab incendio ereptis. Sed non diu otiati Nostri in opus iterum incubuêre, ædémque aliam sibi haud exiguâ impensâ Indorúmque labore erexêre, quæ septima iam est ab oppidi institutione decenni. Accidit porrò cum Inda, quod non paucos in Christianorũ fide confirmauit. Ausa illa, non detectis priùs more Christianorum peccatis, Christum in Synaxi sumere, domum abijt; eóque gutturis dolore premi cœpit, vt suffocari sibi videretur. Dolet itaque, queritur, plorat, donec mali causam assecuta sub ipsum vesperum ad templum redit, Patrem orat atque obtestatur, vt abeuntem iam animam retineat, iuuet miseram, cuius fauces ab hostia sacra ardenti quasi face vstulentur. Quo audito nec distulit opitulari Pater, nec miserari DEVS: audita est de peccatis, & illico dolor omnis abscessit: quo salutaris confessionis remedio plures Indorum morbi subinde à Nostris, inuocato DEI aut Diui alicuius nomine, depelluntur. VI. E ZEBVANI Collegij Socijs vnus, cùm esset in villa, auditum clamorem non longè à loco secutus,

Digitized by Google

cutus reperit matrem de infantis recèns nati interitu miserabiliter lamentantem. Commotus ea lamentatione Pater paululum inde recessit, DEVMQ; rogauit, vt per VIRGINEM Matrem afflictæ mulieri auxilio veniret: nec mora: reuixit infans, nullo morbi relicto indicio: cuius siue sensus siue anima à corpore abfuerint, diuino certè beneficio tribuendum est, tam citò respirásse. Profuit & D. Ioannis Euangelium recitatum multis infirmis: sed nihil tam animorũ morbis tollendis aptum experti sunt Collegæ, quàm salutarẽ B. P. Nostri aſceſin, quà ipsa vtriusque Magistratûs sacri & ciuilis capita non cum priuato solùm, sed & publico bono sunt vsa: eorum enim exemplum secuti ex honestioribus alij, eundem fructum tulerunt. Reliquam ciuitatem excitauit mirificè inter alia nouus Sodaliũ feruor, & auctoritas, quam illis conciliárunt literæ Romanæ hoc anno summa omnium gratulatione & plausu acceptæ: quæ cùm Beatissimæ VIRGINIS cultum non parum promouerunt, tum accenderunt eos, qui inter primores vrbis censeri solent, vt amplectendæ Sodalitatis consilium & ipsi aliquando capesserent. Ab his deriuatæ aliò etiam curæ, & quatuor coniugum discordiæ capitales, quibus iugulum vitæ & salutis non sine publica offensa petebatur, optato successu extinctæ.

SEDES BOHOLANA.

VII. CREVIT Boholij animarum proventus

Digitized by Google

decrescente inimicorum audacia, annuáque ferè Mindanaensium incursione: ad mille baptizati sunt, si cum pueris adultos numeres: inter quos plures Bailanæ seu Idolorum Sacerdotes: & vnus, qui ante baptismum nihil nisi furere, & vnguibus dentibúsque in obuios quosque ruere solebat, ex ipso sacri fontis lauacro sui compos mitísque exiuit. Quod cùm cernerent quidam Indi, occasionem ex facto arripientes ad Patrem iêre, precati, vt morientem Indam salutaribus etiam aquis aspergeret. Noster suspicatus velle ea ratione feminam onus Catechismi ediscendi declinare, recusat, nisi priùs quæ Christiani sciunt, condiscat: *quin*, inquiunt illi, *nequaquam Pater ita fieri debet: baptismum petimus, quo seruetur in vita: Ego enim*, addit vnus, *ab Indo cantore alterius Patris iussu morti vicinus, statim vt tinctus sum, conualui: lymphaticus ille, vt nôsti, eodem fonte furorem abluit: & hic socius meus iam depositus suscepto baptismate sibi suíque restitutus est.* Cessit Pater tot argumentis, ægram in templum deferri iussam, interrogatíque, quæ tempus & necessitas postulabant, lustrali Sacramento expiauit: quæ statim meliùs habuit, breuíq; omnino pristinas vires recepit. Plures huius fontis eandem curationis vim quotidie hîc experiũtur; sed illud æquè mirum, Primates quosdam horum populorum, nobis infensissimos, & à quibus ne vita quidem Nostrorum tuta erat, ita repentè ad Patris alicuius nostri aspectũ mutari, vt non ipsi tm̃ Christianis legibus se vltro subijciant, verùm barbaros etiam in mõtibus ferarum more

Digitized by Google

more palantes & dispersos, quà auctoritate, quà labore suo in oppida perducant, & Patribus ad instituendum & baptizandum offerant. Oblata vnà cum his fuêre aliquando (ex Baylanis videlicet acta præcipuè pręda) Idola ampliùs septuaginta, quæ publicè à Nostris ante excelsam Crucem combusta sunt. Idem passim & alibi factitatum: præcipuè Ialibone, Ingaone, Orione, & Canlirone, vbi læti Indi vindictam hac ratione sumpsêre de Cacodæmone, à quo per Idolorum ludibria toties fuerant decepti. Eminent Baylanæ in eo studio persequendi hostis: verberibus ad sanguinem vsque se cedunt pro delictis expiandis: & quæ priùs ianuam aperiebant ad omne impietatis genus, nunc instrumenta præcipua sunt, quibus Baylanæ reliquæ impijs sacrificijs adhuc operantes ad fidem perducuntur. Lacer enim illarum ars, istis fraudem detegentibus; quæ quidem non rarò se ipsam prodit, dum ea prædicunt, quæ nunquam eueniunt; ea minantur, quæ nulli nocent.

IIX. SODALES B. VIRGINIS curam in se vertunt, & vitia inueterata ex proprijs animis reuellere student. Fuit Inda, quæ à proco in cubiculo deprehensa, amore integritatis semet per feneſtram eiecit; fuit adolescens, qui cùm lasciuientium puellarum gregem à domuncula sua aliter arcere nó posset, tam acriter in suum tergum funiculis desæuijt, vt eæ ferali strepitu conterritæ denique dilaberentur: fuêre, qui ad ebrietatis crimen euitandum vini vsu sibi omnino interdixerunt.

Nulla

Nulla quidem olim inter hos Indos erant misericordiæ viscera, nulla pietatis indicia: quin suosmet filios pro victu vendebant parentes: parentibus idem faciebant filij: quod auaritiæ seu potius crudelitatis genus multò magis inter affines, consanguineósq; reperiebatur, sic vt ne beneficium quidem præstarent sine maleficio: nũc hæc omnia DEO iuuante sunt inuersa, libétque huic genti facere alijs, fieri quod sibi vellet: atque idcirco extructa pro hospitibus ægrotis domus nunquam caret rebus necessarijs, habétque semper ex nobiliori etiam familia, qui ministerijs pauperum libenter occupentur.

Porrò nosocomium hoc ita sustentari solet. Inter hebdomadã sporta pro valuis templi collocatur, in quam quod quisque vult pro sua facultate, vel cibi vel olerũ proijcit, ad ipsam deinde domum asportandum: singulis præterea Dominicis diebus singula oppida inseruiunt infirmis hac ratione, vt ij, quos ordo euocat, aprorum ceruorúmque venationi operam dent, statáque die assam lixamvé carnem cum oryza ægrotantibus deferant, vel quod huic æquale est aliud obsonium. Hæc igitur gens tam Christiana modò, illud antiquitus obseruabat, vt nũquam venatum abiret idolo inconsulto: quam consuetudinem cùm adeò detestari; imò omnino abrogare Patres nostros animaduerterẽt, quidam ex eis interrogárunt, quidnam ergo sibi foret agendum, cùm ad eiusmodi opus accederẽt? quibus cùm responsum esset, vt in sacra aliqua æde à DEO per VIRGINEM DEIPARAM successum

Digitized by Google

cessum venatui felicem expeterent, fecerunt, ipsóque eius diei meridie haud longè ab oppido apros ceruósque viginti duos iugulârunt: qua prædâ onusti domum cùm redirent, magna omnium admiratione: *Heus*, inquiunt, *Pater, quam bonus Christianorum DEVS! nostri prius Diuæ dies implorati ægrè tandem duos nobis ceruos, aprosvé concedebant, quin vt plurimum nihil: nunc autem verus noster vix oratus DEVS tot nobis exiguo tempore feras indulsit libens.* Horum exemplum pietatémque secuti in alio deinde oppido alij, intra tres quatuorvé horas quinque supra viginti huiusmodi feras & ipsi straurerunt, illud vbiq; clamitantes: *Abeant in malam rem Baylanæ fallaces, quæ nos nostráque perditum ibant: nobis pòst alius nullus erèt DEVS, præter IESVM CHRISTVM, qui tanta in nos recèns ad se conuersos vtitur liberalitate.* Possem iam plura de S. Ioannis Euangelio, de salutari Crucis signo, de alijs Christianorum mysterijs, quorum miram virtutem experiuntur hi populi, commemorare, si prolixus esse vellem: satis sit monuisse, ægrotos septem, octové minimùm eiusmodi amuletis curatos.

SEDES DVLACHIANA, CARIGARANA, TINAGONENSIS, PALAPAGANA.

IX. SÆPE in Dulachiana sede Nostri Diabolo ægrè faciunt: sæpe Diabolus Nostris. Illud certè non ab alio auctore profectum crediderunt. Indixerant Iubilæum, cuius & suprà meminimus:

Digitized by Google

mus: iámque omnes eo fine congregati in templum diuinæ rei vacabant, cùm ecce nullo cogitante subitus adest nuncius Mindanaenses, antiquum hostē Caragáſque adeſſe: quo audito conſternati Indi ex æde certatim omnes vnà ſe effundunt, relictóque Sacerdote (nondum enim ſacrificium finiuerat) elapſi ex oppido, montibus teguntur. Rem diuinam vt abſoluit Sacerdos, diſpoſitis, quantum per tempus licuit, rebus ſuis cogitárat & ipſe de fuga, vt paſtor cum grege eſſet: ſed detentus à nobili Indo, cuius vxor ſepelienda fuerat, remanſit, feminæque de Chriſtianis optimè meritæ, & à B. VIRGINE, vt maritus teſtis narrauit, inuiſæ iuſta fecit. Interea certior nuncius aduolat, qui narrat, *exigua quædam huius Inſulæ oppidula à quinque aut ſex non amplius nauigijs Caragarum fuiſſe petita, à quibus viginti ſolùm capti eſſent ex Indis, reliquos fugâ euaſiſſe.*

Quare breui ex montibus redière vniuerſi, pauciſque diebus multorum diligentiam compenſárunt; adeóque creuit confitentium numerus, vt dies longi breues viderentur: quod Diabolo non parum credo perdolitum; vti non minùs illud, quod Dei beneficio patrauit P. Chriſtophorus Ximenius Manilâ reuerſus, vbi Catechiſmū Roberti Bellarmini Cardinalis in Biſaienſem linguam tranſpoſitum ſub prælum dedit. Is cùm ex Superiorum nutu ad Alongalenſes Sacerdote tum carentes ſub maioris hebdomadæ principium diuerteſſet, eúmque populum ad omne pietatis genus proclinem omnino

& ex-

& expeditum habuisset, accidit, vt quidam eius Insulæ nobilissimus Idolorum cultor, Malacaia nomine, supra sexaginta mancipiorum Dominus, & quem omnes Indi summopere velut Patrem reuerentur, videret simul, admiraretúrque indigenas plerosque pijs operibus suisque diuerberationibus tam seriò occupatos: ita attonitus; *ecquid ego tandem*, inquit, *hic agam Pater? Agas*, respondet Ximenius, *quod isti & te ipsum verbera. Nunquid autem verbera*, inquit Malacaia, *& mihi proderunt? Proderunt non parum*, ait Pater. Ille statim posità tunicâ operi accingitur, & vnà cum Christianis reliquis in scenam progressus tragicè adeò in se ipsum egit, vt flagello vno stellulis aspero non contentus, vni proximè assistenti suum quoque extorserit, & gladio iam velut ancipiti in tergus suum atrociter defulminârit. Penetrârunt autem ea verbera ad vsque animam hominis, quid tum ageret nescientis: nec enim alijs tantùm factum illud magno fuit exemplo atque emolumento, sed ipse desiderium quoddam suscipiendi baptismi eo ipso tempore concepit, ad quem catechumenus iam præparatur.

X. CHRISTIANI, quos Carigaranæ sedis Patres excolunt, id habent cum Dulachianis cõmune vt magna à rebus Ecclesiæ ritu consecratis præsidia accipiant. Nam quemadmodum illi fi: in agris Cruce & lustrali aqua locustarum examina à frugibus arcent, sic isti ramis palmarum & seminibus ad tẽpla delatis idem subindè effi ciunt, damnato iam more, quo antiquitus trab

pr.

Digitized by Google

prægrandes in campis figere solebant (Omalagares vocabãt) quibus defunctorum animæ scilicet insiderent. Quingenti hic & vltra initiati Christianis mysterijs, plerésq; fuissent, nisi Ministri defuissent: quadraginta coniugũ paria sanctiore vinculo nexi. Reperti aliquot mirabili DEI prouidentia (neque enim fas est casum existimare, quòd Nostris saluis per tot pericula effectum) qui cùm abstrusi in montibus neminẽ alium habere possent, Patrem aliquem pro indicandis peccatis impetrarent. Reperti item in exigua Insula Leprosi quadraginta fœtore & tabe squalidi sine veste & victu rerum omnium egeni, quibus omnibus doctrina Christiana primum, tum baptismus, victus denique & vestitus collata sunt. Seueriorem DEVM sensit etiam vnus, qui ab impia iurandi consuetudine à Nostris sæpissime monitus desistere, nunquam obtemperauit; frequenter vsurpare solitus eam vocem, qua se Crocodilo deuouerat: cui deindenõ multo post præda factus, alios malo suo docuit facere, quod ipsemet ante recusauit. Cuius quidem mors quanto infelicior erat, tanto felicior fuit illa, quæ nobis P. Alphonsum Rodericum abstulit, quatuor vota Professũ, Hispanis Biscaísque æquè charum: quorum pariter cõmodis ita studebat, vt angusta viginti duorum annorum periodo, qua illi inter nos viuere datum erat, exsatiari non posset, quin moriens illud D. Martini identidem vsurparet: *Domine, si adhuc tuo populo sum necessarius, non recuso laborem.*

XI. TINAGONENSIVM Nostrorum curæ vtiliter in-

Digitized by Google

liter in feminis sunt collocatæ; quippe quæ rei Diuinæ libentiùs intersunt, & rariùs ex oppido abeũt, nisi cùm vna alteraue ex lenonis alicuius manibus elapsa, mauult in montibus & siluis inter serpentes pernoctare, quàm domi inter eiusmodi pestilentes homines periculum integritatis subire. Quæ alia sunt huius Sedis, gemino ferè exemplo comprehendi possunt; altero Misericordiæ, Diuinæ Iustitiæ altero. Incautam Indam flumen fortè tranantem furens Crocodilus arripuerat: eiulat illa, vociferatur, petit à DEO inducias & confitendi tantùmmodo spatium. Maritus, qui non longè aberat, accurrit ocyùs, & in aquam proiectus bestiam assequitur, ferit, vxorémque tandem ex illius vnguibus eripit; verùm adeò miserè habitam laniatámq; nulla vt ratione viuere posset. Quid agant boni homines in oppido Sacerdote destituto, longè à Sede, vbi Patres commorabantur, distante! & ita cõstituta erat mulier, vt eò deferri ante mortem non posset: sed tantis difficultatibus modum facilè reperit DEI sapiens misericordia: eo enim duce illis adhuc quid facerent ambiguis, oppidũ intrat Sacerdos noster, rei prorsus ignarus: ad quem simul casus iste peruenit, ad moribundam abijt, afflictámq; solatus, confitentem & de peccatis dolentem ad cœlum misit. Alterum ab illo non discrepat, quod paulò antè in Carigarana Sede commemorauimus. Quidam cùm nullo monitu vel metu melior fieret, aut ab iurandi blasphemandique sibi temperaret vitio, accidit, vt die quodam testis litis esset, caput suũ

Digitized by Google

Crocodilo deuouens, si res aliter quàm testaretur, se haberet: addensque, idem se plurium appellata fide confirmaturum. Ad quos pro sua causa adducendos dum fluuium traijcit, à Crocodilo rapitur, & quod certius extitit damnati hominis indicium, aliorum testimonio compertum deinde est, falsa illum testatum fuisse.

XII. IN PALAPAGANA Sede cum fame conflictatum & morbis; sed ita se gessêre Indi, vt non deessent ægrotantibus ministeria necessaria; ita Nostri, vt pauperibus de annona prouideretur; quando ad eorum ianuam quotidie cibus pluſquam septuaginta hominibus ministrabatur. Nouum erectum templum & Sodalitas magnorum bonorum spem faciunt, ijs iam initijs, vt sexcenti robustioris ætatis sacro se fonti abluendos præbuerint: cum in infantibus octingentos numerassem, quorum maior pars rectà ad cœlum ijt. Vocatus quidam è Nostratibus ad infantulum, qui ægrotare dicebatur, baptizandum, recusauit; tum quòd rem non ita prorsus se habere putaret, tum vt Indos morem doceret, paruulos suos ad templa deportandi. Victus tamen importunitate petentium illuc se contulit: vbi cùm signum ægritudinis in infante nullum adeò deprehenderet, inde pedem referre cogitauit re infecta: sed puerum iterum intuitus tacitè sibi ab eo videbatur moneri, id ne illi beneficium negaret. Tandem cùm obsecutus fuisset (mirum dictu) in ipsis susceptoris manibus omnibus ritè & ordine iam peractis

puer

puer expirat: quo euentu non magis lætus Pater, quàm cautus redditus, ne tempori aliquid dandum in eiusmodi re censeret; cùm maris terræque incommoda omnia perlaturum potiùs fuisse se affirmaret, si vel vnico huic puerulo cœlum aperire licuisset. Perspecta sunt & alia non pauca diuini Numinis in hanc gentẽ & Nostros singularis curæ indicia: quale fuit, cùm Indus implicitum pedi serpentem octo pedibus lõgum ingeminato salutari nomine IESV explicuit: cùm deficiente cibo, quem Quadragesimæ diebus licebat comedere, in ora ripæ cymba, à nescio quo aduecta, pisces ibidẽ insolitos liberaliter exhibuit: cùm templũ ruiturum, in quo faciebat Noster, fragore ingenti omnes Indos exegit, & quod sacrificium finiẽdum esset, non antè corruit, quàm Pater in sacrariũ se recepisset, incolumi calice, cum sacris imaginibus in altari relicto: vt taceamus iam eos, quibus DEVS per Nostros vel animi vel corporis cõmoda voluit indulgere. Missus in hanc Sedem ante decenniũ Franciscus Simon, Coadiutor formatus, diem suum obijt, cuius ab ingressu Societatis annus hic fuit vigesimus primus: qui cùm hoc omni temporis interuallo nihil eorum neglexisset, à quibus laudari bonus Religiosus posset, quo tamen propiùs accessit ad mortẽ, hoc id facere videbatur multo contentiùs. Hortum, culinam, triclinium, sacrarium, officinas, alia loca, in quibus operabatur, pro sacellis quodammodo habebat, dum iam corollam recitaret, iam cùm SS. TRINITATE, Christo, D. Virgine colloquium institueret.

Digitized by Google

Atram bilem, quam illi natura dederat, virtute & industria ita fregit, vt Patres, quos in Missionibus comitabatur, humaniorem non optarent; diligentiorem & ad omnia promptiorem vix haberent. Sed testes virtutis suæ habuit Franciscus non domesticos modò, sed etiam Sacerdotes externos, inter quos oryzæ parandæ caussà absens mortuus est, magno omnium exemplo; cùm antè negotiorum suorum ratione per epistolam Superioribus reddidisset, & Socijs Vale vltimum non rediturus scripsisset. Donatus sepulchro est à Paræco, qui Ablaensi oppido in Luzonia præest, à quo & iusta eidem cum magna Indorum multitudine honorificentissimè sunt persoluta.

MISSIONES OCTONIENSIS ET AD MALVCAS.

XIII. PRÆTER consuetam Nostrorum cum Arevalensibus Hispanis Indisque operam, haud parui momenti adiuncta est alia, cum magna militum manu, quæ se ad Malucensem expeditionem accinxerat: sed non exigua etiam vtilitas ad peregrinos exportata à P. Francisco Gonzalez hinc ad Zebuanam vrbem quatuor vororum nuncupandorum gratiâ euocato; qui in itinere illo Indos passim ad sua deliria & Idola deflectentes in viam reduxit: Christianos mores restituit, infantes & adultos baptizauit, matrimonia vaga & inconstantia stabiliuit, & alia eiusmodi multa, quæ etiam non scripta intelliguntur, perfecit.

Cala-

Digitized by Google

Calamum hoc desiderat. Quidam obscœniore voluptate irretitus nullo vel pœnitentis populi exemplo, vel iubilæi publicè tunc vulgati occasione permotus ad frugem se composuerat: quin summa nocte domo egressus cõsuetis illecebris inhiabat. Quod dum agit, ecce tibi duo prægrandia suliginéq; horrida spectra, demissis pallijs obuoluta se ostendunt: quæ infelix accessu ausus & colloquio sollicitare, à non respondentibus abripitur, sublimísque in aëra defertur, clamoribus & vociferationibus omnia complẽdo, frustraque renitendo. Ciues expergefacti, & sonum vocis secuti, villam totam circumeunt nomine reperto. Oriente tandem die inter densiores montium vepres hominẽ toto corpore quassatum, semimortuum, & mutum reperiunt, repertúmque ad nostrum deferunt templum, vbi multorum precibus remediisque adhibitis sensum tandem recepit & vocem, clamitans; *iusto se DEI iudicio castigatum, eo quòd confessionis præceptum diu contempsisset, nec, quod Christianum decebat, peregisset.* Addidit deinde, dum à Dæmonibus portaretur, ad terrum illos profundúmq; puteũ deueniisse; in quem cùm iam precipitandus esset, DEI interuentu, cui se tum commendârat, se fuisse liberatum. Confessus itaque crimina, mores meliores induit.

XIV. AD MALVCAS expedito Philippinarum Prætori adiunctus è Nostris P. Angelus Armanus pro sui muneris ratione totius nauigationis bellíque tempore, terra marique non absq; periculo versatus est. Gessitque strenuè, quæ inter

Digitized by Google

arma, tormentorúmque fragores, & hostium insidias, cædésque fieri potuère. Et sanè ingens fuit Religionis per hanc expeditionem augendæ expectatio, quando & Rex ipse cum filio aliisq; primoribus quinque iam annis Manilæ detentus sæpe promittere Gubernatori solebat, se, si ad Malucas classem expediret iterum, clientes suos omnes (qui ad ducenta ferè millia hominũ censentur) in Regis Catholici ditionem obsequiúmque daturum: quæ compendiosissima via visa erat ad Christianos Malucenses, à nouo Batauorum Hæreticorum iugo, quo premuntur, liberandos. Multitudinem verò eorum, qui Christi fidem ibi adhuc profitentur, vel ex Amboinensibus tantum æstimare poteris, quorum supra viginti millia numerabis. Vnde licet gloriosus partâ victoriâ Imperator ex hac expeditione domum redierit, dolere tamen se non semel significauit, tot Insularum gentiúmq; commodis & saluti ob Sacerdotum penuriam non satis prouideri, nil se magis optare testatus, quàm vt plurimos diuino huic operi è Societate IESV sibi liceret destinare.

(*†*†*)

†*†

PRO-

Viuunt in Mexicana Prouincia Socij quatuor supra trecentos. Obiêre vndecim. Viginti se nobis adiunxêre.

		Vniuersim.	Sacerdotes.	Precept.	Scholast.	Adiutores.
Mexici	In Dom. Professa	XXVI.	XV.			XI.
	In Collegio	LXXII.	XXI.	II.	XXIX.	XX.
	In Sem. D. Ildefonsi	XI.	III.		V.	III.
In Tepotzotlanâ Dom. Probat.		XLV.	IX.		XV.	XXI.
In Coll. Angelopolitano		XXXI.	XI.	II.		XVIII.

Digitized by Google

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
In Sem. D. Hieronymi	III.	I.	I.		I.
In Coll. Guaxaquenſi	XVIII.	VII.	I.		X.
In Coll. Guadalaxarenſi	X.	III.	I.		VI.
In Coll. Paſquarenſi	XII.	V.			VII.
In Coll. Valliſoletano	VIII.	III.			V.
In Sede Zacatecanâ	VII.	IV.			III.
In Sede S. Crucis	VII.	IV.			III.
In Sede Guadianâ	VII.	III.			IV.
In Sede Guatemalenſi	V.	III.			II.
In Sede S. Ludouici	III.	II.			I.

Digitized by Google

	Vniuersim.	Sacerdotes.	Precept.	Scholast.	Aduitores.
In Missione Cinaloanâ	XLV.	XI.			III.
In Missione Topianâ	VI.	VI.			
In Missione D. Andreæ	VI.	VI.			
In Missione Tepehuanâ	V.	V.			
In Missione Parensi.	VI.	VI.			

Sacro fonte excepti adulti quingenti triginta duo.
Confessionem de tota vita instituerunt duodecim.
Pudicitia vnius & triginta in tuto collocata.
Ad pacem vocati sex.
B. Ignatius morbis partúque laborantibus præsto fuit quinquies.

DOMVS PROFESSA MEXICANA CVM SVO COLLEGIO & Seminarijs.

I.

MISSIS, quæ à Domo quotannis fieri consueuêre, & recèsitis alio in loco ijs, quæ hîc optimo Parenti nostro IGNATIO, cum primùm BEATVS audiuit, magnificè apparata sunt; soli restant amici, quibus gratum animum pro magnifica in nos liberalitate exhibeamus. Nam quod hoc anno templum ipsum capacissimum dicari potuit, id verò beneficium DEI est; quod speremus ære alieno domum, quo adhuc premebatur, leuari posse, id etiam hominum pietati tribuendum. Præter communes quidem & quotidianas, ac nonnullas, quæ vel trecentorũ, quingentorum, vel mille aliquando aureorum fuêre condonationes, insignis ea fuit Ioannis de Villaseca, qui vndecim aureorum millia nobis contulit moriens; cui DEVS in illa vita gratiam redhibeat.

II. AD SCHOLARVM commoda intenti, qui in Collegio degũt, non neglexerunt, quantum fieri potuit, labores Professæ Domûs suis subleuare, & in vrbe aliquam etiam sementem facere. Vinctus quidã desperatione adactus, tres ipsas horas laborauit in laqueo induendo frustra, caussámque impediti sceleris Nostro (cui de peccatis confessus erat) fuisse dixit, quòd scapularem vestem in honorẽ VIRGINIS de Monte Carmelo gestaret, à qua contra hostis insidias & arma vel nolens reluctánsque defenderetur. Sed maiorem multo ipsi DEIPARÆ clientes fauorem & merentur & auferunt. Vnius ea est cum DEO familiaritas, vt animas, pro quibus supplicat, ex igne ad cœlum volare subinde conspicetur. Vir probatæ fidei, dignus planè, cui vel iniurato credatur, se vidisse asseuerauit è Sodalium numero quendam siderum varietate ac splendore circumfusum radiare: quod mirum non adeò videatur illi, qui horum cœtuum pro virtute contentiones cognôrit, frænis potiùs quàm calcaribus indigentium.

III. INTER ALVMNOS, qui in Seminarijs instituuntur, idem in stadio virtutis certamen, eóque ardentiùs hoc anno ad S. Idefonsum, quò elegantioribus tutelarium Diuorum picturis, sex, in quas distributi sunt, aulas suas exornarunt. Sollicita Indæ iuuentutis cura ad S. Gregorium, non tantùm nullo fuit impedimento, quò minùs alia æquè salutaria curarentur, verùm id potiùs didito rumore effecit, vt quàm plurimi vel è remotissimis locis profecti cõscientias

suas

suas posito inani timore ac pudore credere sint ausi: qua ex re multi multa commoda percepêre. Inda, cui pudor totum charissimúnique fuit peculium, contra irruentem procum tam constanter fortitérque pugnauit, vt barbâ per ignominiam euulsâ, fugam capessere coëgerit. Aliam proprius quidem parens cùm à Sacramentorum frequenti vsu, fidóque DEIPARÆ obsequio auertere non posset, noua arte dolóque in vicinum montem educit, vestibus exuit, ad arborem adstringit: tum eam cędere acerrimè exorsus repêrè ipsa in se verbera verti animaduertit, atque ab horrendo monstro flagellorum ictibus tam diu pulsari, dum in terram collapsus ingenti vociferatione monticolas exciret, quibus culpam facinoris deprecatus, rem, vt acciderat, narrauit: Puella verò Nostris adiutoribus in Cœnobium Virginum se abdidit. Puerulum præterea Beato IGNATIO cognominem ardentissima febris ad extrema deduxerat, reduxit inde idem Beatus, cuius ad aram parens pueri cereos accendit: quod & auus interea se per quietem vidisse testatus est, & puer ipse recepta sanitate comprobauit.

IV. OBIERE in Collegio è Nostris sex: P. Ferdinandus Gomez, è Lusitania adolescens in has oras delatus: qui, cùm Othomitanæ linguæ esset peritissimus, & virtutis præterea laude ac fama clareret, ab Archiepiscopo Mexicano indigenarum Curio designatus est. Quo in munere ita se gessit, vt Societati adscribi mereretur, in qua triginta sex annos religiosis viris patientiæ, charitatis,

tatis, aliarúmque virtutum faces præluceret, qui id in mũdo versantibus per duos & triginta iam antea præstitisset. Enimverò DEVS Opt. Max. qui tam præclaris eum ornamentis condecorauit in vita, signis etiam mirabilibus illustrauit post mortem: quemadmodum Dominicani Ordinis Religiosus testabatur, qui sequenti ab obitu Ferdinandi luce, sibi videre visus est ex nostri Collegij testudine candidam leuari nubem, atque orientem versùs tendere; tum scalæ instar ad cœlum ferri: quæ illic gestienti præ gaudio animo spectans, cùm P. Ferdinandum expirâsse intellexisset, magna erga eius sanctitatem veneratione cœpit moueri. P. Iosephus Ramirez Guadalaxarâ oriundus, qui secundus decessit, rerum diuinarum vsui mirificè fuit addictus; cúmque administri familiaris sortem multis & frequentibus precibus extorquere non posset, ita saluti animorum curandæ totum se dedit, vt cõtracta in peccatis audiendis lue compendium vitæ fecerit. Bartholomæus Sanctos vixit annos nobiscum ferè triginta, stabiliendo, administrãdóque huius Collegij prædio intentus, sedulus omnino frater & frugi, suóq; nomine haud indignus. Dominicum Nicolaum quoque eà excelluisse modestia constat, vt neque ingenij, qua erat perspicacia, latinæque linguæ intelligentia, neq; multorum monitis, aut ipsius deniq; Præpositi Generalis literis persuaderi se permiserit, alium vt in Societate gradum quàm Coadiutoris profiteretur. Baptistæ Martinez domesticarum item rerum curatoris virtutem magni fecerunt

runt illi, qui naturam hominis perſpectam habuêre: nam cùm naturâ concitatior eſſet, eam ita DEIPARA Virgine adiutrice, quam vnicè diligebat, in contrarium deflexit, vt equus facilè ſequeretur, quâ frœnum aut nutus moderatoris inuitaret. Frater Ioannes Turrado vltimus funerei agminis, grădis natu vir, exemplũ filij Societatem ingreſſi omnibus votis ſequi deſiderârat: quod cùm illi per ætatem cõcedi non poſſet, qua licuit Noſter fuit, duodeviginti annos Coadiutoris muneribus in Collegij prędio functus, & in veſte profanâ ſacros Religioſorum mores pro virili æmulatus, eadem die, qua vota fecit, in cœlum, quod dubitari non debet, auolauit.

RELIQVA COLLEGIA ET SEDES.

V. IN COLLEGIIS Topotzotlano & Guaxaquêſi id ſolùm ſatiſq; ſingulare reperio, quod prioribus annis omnia ſint auctiora.

VI. GVADALAXARÆ cœpta conſcientiæ ſchola Epiſcopi poſtulatu fauſtis progreditur initijs.

VII. PAZQVARI peſtilens quidam morbus Indorũ animos ad poſtulanda Societatis auxilia ſolito ardentiùs incitauit: in omnem circà prouinciam ferè hoc ex Collegio diuiſa ſubinde opera eſt: retinéntq; Mechoacanenſes maximè, fideli memoria quicquid doctrinæ & cõſilij à Noſtris ſemel acceperunt. Annos ipſos vndecim Sacerdos noſter ab oppido aberat: redeũtem verò Indus cùm cõſpexiſſet; *ecce tibi*, ait, *eoſdem, quos abs te cal-*

Digitized by Google

se calculos precatorios accepi, eâ conditione, ne ebrius vnquam fierem: steti promissis adhuc, & fidem sanctè sobrietatémq; seruaui. Solent hi crebris sermonibus vsurpare, post Societatis in hanc oram ingressum sese rerum diuinarū multo capaciores, atq; intelligētiores esse redditos, quod pluribus sanè speciminibus cōfirmant: sed illud vniuersim præclarū, tantâ pleroſq; in rebus aduersis fiducia in DEVM ferri, vt cū vel pericula vel mortes effugere per scelus & flagitiū possint, præoptent tamē quiduis perpeti, quàm se criminis cuiuspiā notâ contaminare. Feriari enim Cacodæmon nec solet, nec potest, quin alijs atq; alijs machinis modò hunc, modò illū subruere conetur & iam alicubi ita se cuiusdā familiaritati ingesserat, vt clausas ei fores reseraret, viā ad omne scelus patrandum aperiret. Elisa hæc eius seruitia tamen atq; impedita per Nostros sunt, homini-que mi serè decepto ea mens iniecta, vt in aliquo Religioso ordine flagitiorū culpas abolere iam cogitet. Difficultates ab eiusdem Veteratoris artibus huc vsq; interpositæ, ne quadraginta horarum precationi locus esset, remotæ etiam sunt, tantóque feliciores habuit euentus susceptum negotium, quanto plura nobis humani generis aduersarius impedimenta obiecit.

VIII. VALLISOLETI nihil omissum eorum, quæ à bonis operarijs solent aut possunt fieri.

IX. AD VERÆ CRVCIS portum indigenæ & aduenæ publicis priuatisque sermonibus eruditur. Spectra & ludibria inferorum ex turba aptis modis proscripta.

X. Do-

Digitized by Google

X. DOLOREM Zacatecanis parit non exiguum operarum raritas, cùm videant plurimos passim sine cœlestibus Sacramẽtorum præsidijs eà causâ decedere. In preces apud hos quoq; Bacchanalia verterunt.

XI. IN SEDE D. Ludouici Sacerdotes duo operi impares & infinitâ propemodum piscium copiâ oppressi Socijs annuunt, doléntque tot gentes & nationes paratas alioqui parere CHRISTO eiúsque ministris, non habere à quibus Christum audiant, diuinisque illis præceptionibus imbuantur.

XII. GVATEMALENSES tanti cõmunia quamuis Nostrorum ministeria faciunt, nihil vt magis in votis habeant, quàm vt constabilito Collegio & scholis apud eos permaneamus. In ædes præcipuo foro vicinas facta domicilij nostri mutatio, quæstionúmque moralium nuper inchoata doctrina & nobis accidunt percommodè, & vrbi non parum videntur afferre voluptatis.

XIII. TRIPARTITA Missio, quarum Guadiana Sedes caput præcipuum, Indos quater mille complectitur: inter quos alta sæpe DEI consilia licet admirari. Pagum aliquando ingressus Noster exquirit ab incolis, num quispiam eo loco ægrotet? negant illi, & qui vnus nuper ægrotâsset, defunctum narrant. Dolore ictus Pater, quòd opportunus nõ adfuerit, mortuum videre cupit: quòd quamuis indigenæ dissuaderent, operámq; inanem agere adeuntem nollent, pergit nihilominus, & dimidio minùs, quàm narràssent, reperit: semimortuum, inquam, rogat, velit-

Digitized by Google

velítne Christiana sacra susc ipere? velle respondit, & cibo potúq; vtcunq; recreatus, baptismo præparatur. Cùm verò ad anteactæ vitæ scelera detestanda ac deploranda Sacerdotis admonitu inuitaretur, sincerè affirmauit; *neminem ab se vnquam facto, dicto, aut voluntate quidem offensum; nullius in hac vita rem vxorem vé concupitam, nulla se potûs immoderatione ab statu mentis ac rationis vsu deiectum*; quæ illum & id genus alia multa, vitæ innocenter actæ indicia, professentem sacro lustrauit fonte Noster: tum deinde interrogauit grandæuum: quînam adeò facilem se Christianis documentis exhibuerit, támque sitienti animo salutarem aquam desiderârit? ad quod ille, *sibi cùm primùm decumbere inciperet, cõspectos fuisse duos eximiæ auctoritatis & splendoris viros, qui eum in sublime, cœlum versus extulerint, vbi in magna virorum radiantium corona, ornatißimóque consessu sedem vidisset vacuã, sibi videlicet reseruatam, nec tamen (quod diuinitus didicisset) occupandam, nisi priùs Sacerdotis haud multo pòst pagum ingressuri manibus tingeretur.* Hæc commemorauit optimus senex, nec diutius distulit, paratũ sibi in cœlo thronum occupare.

XIV. TEPEHVANICÆ Missionis labores & fructus sunt: decem & ducenti adulti baptismo tincti, cum infantibus plurimis, quos præpropera mors ex ipso pene fonte plerósque excepit; & in beatas Cœlitum sedes transtulit. Vallis D. Pauli bonorum quoq; morum feracior fit in dies: tametsi hostis veræ Fidei conatibus Nostrorum opposuerit Magum quendam celebrem & potentem, cuius præstigijs, & decem præcipuè amico-

Digitized by Google

rum illius patrocinio, Princeps Vallis huius Indigena è medio sublatus est. Atque huius cædem cognata aduersariorum manus vlta haud dubiè fuisset, nisi nobis inde potiùs, quàm sibi malum aliquod grauius obuenturum timeret.

Nihilo tamen minus turbarum excitata incendia Nostros loco cedere compulêre, donec tandem DEVS Opt. Max. illum Ecclesiæ terrorẽ Saulum, diuinâ virtute Paulum esse iussit, & ad baptismum postulandum ingenti omnium stupore & Christiani gregis salute, qui sparsus passim errabat, ire coëgit.

XV. ADEST EADEM DEI præpotens vis laborantibus Nostris in Cinaloensi agro, promouétque sui nominis gloriam in tot barbarorum & à veri cognitione remotissimorum populorũ salutem. Ad sedecim vicina oppida profectum Sacerdotem erectâ in beneuolentiæ significationem cruce Indigenæ capita nostræ fidei concinentes, honorificè exceperunt. Ceterum vltra duas ferè fluminum ripas extendere tam paucorum opera se vix potest. Concurritur huc & paratissimis animis diuini verbi præconium excipitur: sequuntur fructus, quos miremur. Sexaginta aliquando barbari per ardua montium à Nostro, cùm gregem suum inuiseret, casu reperti, & in concionem producti beneficiũ baptismi petiuerunt. Quapropter mirum videri nemini debet, quòd Patres tanto desiderio sitiq; diuina mysteria excipi videntes ægrè admodum se ab hac gente auelli patiantur, intimisq; visceribus commoti doleant, amplissimum hunc campum

ad no-

ad nouum vsque Mexicum insulámq; Floridam tot regnis occupatum colonis & Sacerdotibus vix vllis habitari. Et præsertim cùm non desit manifestus DEI fauor, quem tam in bello quàm pace liberalissimè accipimus; id quod & hoc anno primùm contra Xiximes indomitæ ferocitatis populos â nostro milite superatos, experti sumus. Illi enim cùm violati fœderis pœnam victoribus dedissent, ita mansuefacti cicuratíque sunt, vt & de amplectenda Christi fide cogitarent, & facto ad Nostros agmine artem extruendorum templorum expeterent. Nimirum hæc illa orbis pars inhumana est, vbi exercitus noster inaudita crudelitatis indicia conspexit. Erecta non nusquam erant & in sublimi defixa immanium victoriarum trophæa: sparsis passim ossibus atque exuuijs demortuorum capita visebantur mille septingenta: quódque animus meminisse horret, hominum carnes lebetibus igne superposito coquebantur: assabantur verubus humana præcordia & oculi ex arborum ramis pomorum instar dependebant; tabo fluebant omnia, & sanguine cruentata madebant: quæ si misericordia aliqua & commiseratione digna videantur, multo magis certè auxilio & curatione indigebant.

†*†*†

Digitized by Google

INDEX MEMORABILIVM RERVM.

A.

Æthiopes Christianis sacris copiosè imbuti fol. III. III
Ætna flammiuoma confessionis monet incolas f.14
Agni cerei mirifici effectus f.182.212.338
B. Aloysij in miseros auxilium f.21.192.201
P. Ambrosij Veltheri laudabiles actiones. f.440
Angeli Custodis subsidium feminæ præstitum f.314
Angelus Custos excitatorem matutinum expergefacit. f.243
Apostata ad fidem & institutum reuocatus f.180.193
Apostata fulmine feritur f.447
Aquæ lustralis mira vis f.182.229.388.389
Aqua Reliquijs B. IGNATII contacta libidinis æstum sedauit f.10.19
Aquitaniæ Prouinciæ Collegiorum & hominum numerus f.166
Ariditas animi cuidam eximitur, inuocato Angelo tutelari f.46
Austriaca Prouincia f.299

B.

P. Balthasaris Barreiræ impigri labores in excolendis Æthiopibus f.112
Baptismi vis f.520
BEATA VIRGO in memoriam reuocat cuidam amissa peccata f.12

Digitized by Google

B. V. Sodalem ab ictu lethali seruat f.25
B. V. auxiliatum venit ægro. f. 209. 462. etiam hæretici filio f.245
B. V. infestationem terrificam propulsat f.110
B. V. in præcipitio excussum à larua equitem seruat incolumem f.123. seq.
B. V. auxilio infans mortuus reuixit f.519
B. Virginis ope confisus Sacerdos in energumenæ os immittit digitos f.244
B. V. duobus PP. è Societate stipata adolescenti obiecta Confessionis & Religionis votum injicit. f.367
B. V. filiolũ malè ex casu afflictum matri restituit. f.371
B. V. impedit, ne quis se suspendat f.4. 7
B. V. venationi successum bonum concedit. f.522
Belgica Prouincia. f.238. Viceprouincia f.281
Benedictio pomi fascinatam feminam malo suo liberat. fol. 56
Blasphemus in DEVM spectro obiecto corrigitur. f.42
Blasphemum dictum fulmine castigatur f.411
Blasphemi ebrij horreum fulmine conflagrat f.448
Blasphemum diabolus obsidet. f.486
Boetica Prouincia f.486

C.

Cacodæmonis grauis infestatio exorcismis pellitur. f.50
Cadauer P. Illephonsi de Mirada incorruptum 504
Calumniæ in Nostros sparsæ eliduntur. f.142.336
Calumniator Societatis Mahometis superstitionem amplectitur f.24
Calumniator eodem die occiditur, quo Nostris mortem optat f.322 (f.25
Calumniator morbo grauissimo punitur & emendatur.
P. Carolus Carlantinus sicarium ad confessionem tra-

Digitized by Google

hit & religionem. f. 55. *eiusdem magna sanctimonia* f. 56
P. *Caroli Benedicti Vasconis funus publica pompa ad Nostros delatum* f. 148
Carnibus, vetitis diebus, Sodalis noluit vesci, pane contentus f. 327
Castitatis votum sanguineo charactere in scheda quis exprimit f. 204
Catechismi controuersistici tractati vtilitas. f. 291. 292
Catechismus Bellarmini multùm prodest. f. 525
Catellus prodit homicidium f. 175
Chorearum licentia mirabili facto repressa. f. 206
Claudius Voley sub mortem à stygia turma inuasus cæleste experitur auxilium f. 194 (f. 303
Cœnam Lutheranam ædituus inter alios cibos absumit.
Confessione peccatorum mens cuidam redditur. f. 150
Confessio fascinum ab adolescente sponso pellit. f. 178
item ab alio rusticello exucco. f. 193 (f. 205
Confessionis crebrioris iocularis elusio morte plectitur.
Confessionis effecta f. 428
Constantia in seruanda castitate f. 417. 503
Constantia in vera fide tuenda f. 246
P. *Constantij Pulcharelij serenissima in morbo patientia.* f. 32
Contemptum terrenarum rerum femina inijcit cœlestis visio f. 22
Cor Henrici IV. solemniter Societati datum, & acceptum f. 138
Crucis signo liberatur quis à diabolo. f. 190

D.

Dæmonis seruitute eripitur adolescens B. Ignatij ope. f. 9. 10

Digitized by Google

DEI prouidentia in nostris alendis f.439
DEI misericordia Inda Crocodilo eripitur. 527
Diabolo deuotus quispiam ex ira, signo Crucis liberatur
Diaboli mulierem infestant f.314. seq. (f.150
Discipuli in præceptorem & virtutes feruens animus. f.253 (f.179
Disputationem cum Nostro Caluinianus Thraso refugit.
Doctrinæ cœlestis à Nouitio traditæ iocularis contemtus morte eliditur. f.52

E.

Ebrij blasphemi horreum fulmine absumitur. f.448
Euangelij recitatio lemures fugat f.182
Eucharistiæ virtus in persanando corpore. f.151. pellendo spectro. f.174
Eucharistiæ sumptio dolorem dentium tollit. f.407
Eucharistiam nolens adorare hæreticus vi quadam repentina deprimitur. f.452
Excitator matutinus Angelo custode pro horologio vtitur f.243
Exorcismi veneficium pellunt f.396

F.

Fascinata mulier confessione & alijs ceremonijs iuuatur. f.174.178
Festi diei violatio valido incendio punitur f.170
Fidem recens acceptam femina fortissimè tenet. f.210. alius non frangitur parentum infectatione f.246
Filij immorigeri interitus f.453
Flagellatione sui è nostris quidam obduratum suspendij animum effringit. f.35. alius obstinatus in malo adolescens ad meliora permouetur f.69.70
Flagellatio Idololatræ lumen fidei impetrat f.525
P. Florentij Bouehorstij clarissima ob animi dotes encomia.

Digitized by Google

comia. fol.241
Feminarum nobilium salutationem Sodalis pia fraude effugit. f.180
Franciæ Prouinciæ f.133
P. Franciscus Antonius vir memorabilis sanctitatis & auctoritatis f.121
S. Franciscus apparens reo iubet venam claudi, quam sibi vitro aperuerat f.50
Fulmine feritur Apostata. f.445

G.

Geldriæ Gubernatoris de Societate iudicium f.297
Germaniæ Superioris Prouincia f.352

H.

Hæresis cuidam prodigioso horrore est exempta. f.146
Hæreticum visio nocturna ad sanam mentem ducit. f.158.358
Hæreticus parasceues diem potitando & ludendo transigens submergitur f.177
Hæreticus adolescens B.V. ope emollitur f.196
Hæretici ea oderunt, quæ dæmon odit f.199
Hæreticus filio salutem ad B. V. Aspricollem acquirit. f.245
Hæretici Lutherum detestantis causa 303.415
Hæreticus à B. Ignatio increpitus sapit f.304
Hæreticorum technæ Commotouij f.328.330
Hæretica femina dictum malum luit f.361
Hæreticum medicum Virgo moribunda iubet excedere, ne à diabolo fortius terreatur f.415
Hæreticus nolens adorare Eucharistiam, deprimitur vi quadam repentina f.452
Hæreticus contumax spectro equi nigri infestatur. f.452
Henricus IV. Rex Galliæ, 800. strumosos curauit. f.138

Digitized by Google

Henrici IV, lamentabilis cædes f.157
Henrici COR *Societati datum* f.138
Hollandiæ animorum fructus f.279
Homicidium prodit catellus f.175
Hydropico sanitatem impetrat B. Aloysius f.201

I.

IESV *nomine pronunciato serpente exuitur.* 529
B. Ignatius variorum morborum medicus. f.11.126. 201.226.250.269.270.310.341
B. Ignatij Reliquiæ salutares afflictis. f.125.132.150
B. Ignatij vita ceruicibus furibundæ puellæ supposita dæmonem propellit f.199
B. Ignatij calumniator flumine submergitur. f.488
Imago B. Ignatij lemures fugat f.182
Imago eiusdem homini semimortuo, ex laqueo sibi inserto, spiritum & animi dolorem exprimit f.414
Imprecatus Iesuitis laqueum, eodem vespere ab alio occiditur. f.322
Imprecatus sibi duces diabolos, videt adesse vectorem stygium f.365
Incendium terribile Vilnæ f.435.seqq.
Iniuriæ condonatæ f.245.&c.f.514
P. *Ioannis Delgado virtutes* f.111
P. Ioannis Macherentini sepulchrum toto anno floribus inspersum f.385
P. *Ioannis Turrij commendata vita* f.472
Iudicio Nostri pecuniosa causa subiecta, vtriq; parti feliciter cessit f.255
Iurare sæpe solitus à Crocodilo deuoratur. f.526.et 527

L.

Lectione librorum hæreticorum Catholica Virgo pervertitur. f.362

Digitized by Google

Lazarus Haller Collegij fundator munificus f.77
Libidinis æstum extinguit aqua Reliquiis B. Ignatij contacta. f.10. & 20
Lictor canicidæ filiam suam copulat: quam Prædicantes nolebant coniungere. f.332
Lithuanica Prouincia f.430
P. Ludouici Mansonij laudabilis vitæ exercitia f.7
Lugdunensis Prouincia f.189
Lusitanica Prouincia f.89
Luxuriosus pellicem viuam sepelit, ac gladio demùm omnino occidit f.501
Luxuriosus à duobus spectris abripitur, & malè tractatur f.531

M.

Marchionis Brandeburgici inexpectata erga Nostros humanitas f.392
Mediolanensis Prouincia f.48
Menstruorum SS. sortitio familijs quibusdam salutaris f.38
Mexicana Prouincia f.533
S. Michael cognominem suum à diabolo liberat f.486
Minister matrimonij lictor est apud Hæreticos f.332
Misericordia DEI occasionem suggerit moribundæ Indæ peccata confitendi f.527
Mißio Forocornelienſis mirè vtilis. f.82. seq.
Molsheimensis Collegij occupatio à Marchione Brandenburgico f.392
Moribundus Claudius Voley à Cacodæmonibus lacessitus à cælo subsidium accipit f.194
Moribunda Virgo hæreticum medicum à se iubet discedere, ne à diabo fortiùs terreatur f.415
Mori maluit Principis coniux, quàm fascino per fascinum

nium liberari f.503

N.

Namurcensis Collegij initia f.295
Neapolitana Prouincia f.26
Nomen IESVS dæmonem fugat f.390
Nouitij peregrinantes inimicitias graues componunt. fol.52
Nouitij mira coram furibundo homine deiectio f.63
Nouitius Soc. nostræ furtim religiosa tunica exutus, laudabiliter se gessit f.96
Nouodomi hæreticorum machinationes f.335

O.

Obedientia, & orationis studium P. Florentij Bouchorstij f.241.243

P.

Parasceues diem potirando & ludendo hæreticus transigens submergitur f.177
Patientiæ exempla f.31.32. f.244.287
Paupertatis exempla f.243
Peccata omissa in memoriam reuocat B.V. cuidã. f.22
Pecuniæ emulgẽdæ causa fingit quis sibi apparuisse vmbram demortui amici f.105
Pecuniæ defectus diabolo occasio pernertendi f.309
Pecunia à latronibus spoliatus aurifaber mirè angitur. Post peractam confessionem, captis latronibus, pecuniam recipit f.7.& 8
Peruana Prouincia f.494
P. Petrus Albizius celebrans in sublime eleuatus. f.29
eiusdem laudabilis vita f.29.30
Philippinæ Insulæ f.507
Piscatorum institutio ad exemplum exercita f.36
Podagricus B. Xauerij ope adiutus f.43

Polo-

Digitized by Google

Polonica Prouincia f.402
Pomo benedicto fascinum deijcitur f.56
Pompa, quo COR Henrici IV. acceptum & in tempum depositum sit f.139
Prædicans concioni apparandæ intentus à malo genio funestè enecatur. f.339
Professor publicas suas lectiones inuocato DEI DEIparaque nomine, videt Auctoris, quem prælegebat, aureis literis expressum f.407
Prouidentia DEI in necessitate annonæ f.439
Pudicitiæ fortis defensio f.92.503. f.521.538

R.

Religionis nostræ defertor nouitius confoditur. f.237
Rhenana Prouincia f.375
Reus mortis vitro sibi venam aperiens videt Cacodæmonem, & S. Franciscum f.50
P. Roberti Cuissoti egregia vitæ commendatio f.222

S.

Sacerdos fidei defertor cum vxore sanctimoniali ad pœnitentiam renocatus. f.189
Sacrificans P. Petrus Albizius in sublime tollitur. f.29
Sacrilegus miles pediculari morbo affligitur. 393
Sanctorum menstruorum sortitio multis familijs salutaris f.33
P. Saluatoris Monachelli sanctitatis opinio f.130
Sardiniæ Prouincia f.128
Stelis nullum abdi semper potest f.176
Siciliæ Prouincia f.3
Simeonis Riuiere Campani magna virtutis argumenta. f.219
Societatis calumniator punitur f.24.25
Sodalis ad libidinem sollicitatus constanter renuit. f.13

Digitized by Google

Sodales B. V. pauperibus ministrant f.17
Sodalis etiam vitæ negligentioris B. V. ope lethalem ictum effugit f.25
Sodalis defectionem suam à B. V. suspendio luit. f.47
Sodalis pia fraude multos nobiles ad vetulas Xenodochij deducit f.460
Sodalis suâ culpâ Albo Partheniorum expunctus, solus ac desertus moritur f.183
Sodalitium ingredi cunctatus in morbum ruit f.183
Sponsus & sponsa religioni se addixit f.278
Sponsa non virgo, virginem simulans, coronam statuæ DEIparæ imponit: sed manè reperitur fenestræ imposita, iterum atque iterum f.288
Strumam octingentis suo tactu Henricus IV. depulit. f.136
Supplicatione incendium extinguitur f.171
Supplicatione Ætnæ igniuomus torrens extinguitur. f. 15. ariditas terræ pellitur f.106
Suspendium cogitans audit dehortatricem vocem. f.211
Suspendendus negata iterum Catholica fide post mortē omnes facie perterrefecit, & medius crepuit f.397

T.

P. Thomæ Sanchez vita omnibus virtutibus culta. f. 475. & seqq.
Toga attrita B. Ignatij diabolum expellit f.382
Toletana Prouincia f.116
Tolosana Prouincia f.216

V.

Valetudinem lapsam suis precibus P. Carolus Carlantinus erigit f.55
Veneficorum diabolicæ artes f.502
Veneta Prouincia f.64

Vilnen-

Vilnense incendium f.435
Vincentij de Rocha mors patientia & lætitia plena. f.100
Virgis publicè cæsus & in exilium missus Apostata seriùs sapit f.193
Virginis vitiatæ corona imposita statuæ DEIparæ reperitur mane fenestræ impositæ. f.288
Virginitatem ex concione mota vouet, & capillum sibi secat, minis mortis neglectis f.39
Visio cœlestis Virgini ostendit Iesuitarum habitum & agmen, eorum ope, ad cœlum deductum f.44
Visio terribilis filium Hæretici sub mortem terret; quem Confessio liberat f.344
Visio inferni & cœli Indum melioris vitæ monet f.517
Vitæ sanctioris tenacissima puella frustrà à parente flagellatur f.538
Vnctio extrema valetudinem restaurat. f.175. *alij vomitum sedat, vt cœlesti pane vesci possit.* f.188
Vocationis seruandæ tenacissimus adolescens, postpositis grauibus minis f.164
Vocationi ad religiosum statum non obediens lethaliter vulneratur f.413

X.

B. Xauerius imploratus Mauræ contumaci lumen fidei impetrat. f.11. *medetur ægris.* f.21.43.192 *partum promouet.* f.229

Ad maiorem DEI DEIPARÆque gloriam.

FINIS.

BIBLIOTECA
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google